Digitized by Google

3 D 1

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8 M
21 — G
71

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

40 40
F C
113 33

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# LINDA
# MARIANA,
## ſive
# DE B. VIRGINE
# Lindenſi.

## LIBRI V.

*Authore*

P. THOMA CLAGIO Allenſteinenſi Pruteno, Soc. Jesu Presbytero.

---

ECCLESIA GRÆCA.

*Verbis ſancti Sabbæ in Menæis. 2. Ianuar. Ode IX. de Baptiſmo Chriſti:* ἐν τοῖς ἀποδείπνοις. *Strophâ* 1.

Ἐμεγάλυνας Χριστὲ τὴν τεκοῦσαν σε θεοτόκον, ἀφ' ἧς ὁ πλάστης ἡμῶν, ὁμοιόπαθες περιέθου σῶμα, τὸ τῶν ἡμετέρων λυτήριον ἀμπλακημάτων. ταύτην μακαρίζοντες πᾶσαι γενεάι, σε μεγαλύνομεν. Magnificè, ô Chriſte, Deiparam, quæ Te genuit, exaltâſti. Ex hac conditor noſter, corpus iisdem nobiscum doloribus obnoxium, in quo peccata noſtra redimeres, indutus es. Hanc dum omnes generationes beatam dicimus, Te magnificamus.

---

*COLONIAE VBIORVM,*
Apud IOANNEM ANTONIUM KINCHIUM.
ANNO M DCLIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

*Sereniſsimo Principi,*

# IOANNI CASIMIRO,

REGI POLONIÆ, MAGNO DVCI Lituaniæ: Ruſsiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæ, Czernichoviæ, *&c. &c.*

# DVCI,

*Nec non*

GOTHORVM, VANDALORVM, *&c. &c.* HEREDITARIO REGI,

*Suo, & Collegii Reſſelienſ. Soc. Ieſu nomine, Author.*

TVum eſt, proinde uni Tibi, MAGNE REX, ex aſſe reddendum, quidquid hoc opere, quã ſubmiſſiſſimè exhibetur Majeſtati Tuæ. Si quis cultum MARIANUM ſpectet, Tuus is eſt; quem ab ipſo vitæ exordio, quaſi cum lacte hauſiſti; & maximis tota vitâ, augmentis,

tis, nuperrime verò, etiam publico voto, MAGNAE DEI MATRI nuncupato, ſanxiſti. Quo quidem voto, Regni quoque univerſi nomine, Kal. April. Anni M DC LVI. ad principem Baſilicæ Aram Leopoli edito, eadem DEI MATER, REGINA POLONIAE abs Te conſtituta, dicati delatique ſibi Regni habenas ita amplexa eſt, ut eodem ferè momento, tot, & tantos Tui, quin & Chriſtianæ Rei univerſæ hoſtes, ad ruinam impulerit; Te verò, unà cum Tuis, ad Triumphos provexerit propemodum inauditos. Vox orbis eſt, ab eo momento, non armis, ſed miraculis abs Te, Tuiſque in hoſtes pugnatum. Quanquam & antè, etiam illa miraculo propiora videri poterant, cùm Tu, Regum fortiſſime, adverſa omnia, decumanis planè fluctibus, in Te, Regnumque Tuum ingruentia, adverſo æquè atque infracto pectore ſemper excepiſti. Iam, ſi quis in eundem, apud Lindam MARIANAM, DIVAE VIRGINIS cultum oculos flectat, etiam ille Tuus eſt: quia SIGISMUNDI III. & CONSTANTIAE, ſereniſſimorum Regum & Parentum tuorum, curâ & labore potiſſimùm reſtitutus; Tuo inſuper exemplo maximopere auctus & amplificatus eſt, quando nuper extra regnum

Tuum

Digitized by Google

Tuum poſitus, Voto DIVAE LINDENSI Te devinxiſti, &, ſimulac fines Regni poſtliminio ingreſſus es, nihil habuiſti antiquiùs, quàm ut apud Lindam eo voto coràm defungerêre. Quod quidem Anno ſeculi hujus, ſupra triceſimum octavo, me etiam ſpectante, ritè piiſſimèque à Majeſtate Tua perfectum eſt. Tuus inſuper eſt idem cultus, quia præſidium ac patrocinium Lindæ MARIANAE, ad Majeſtatem Tuam unicè ſpectat. Sic enim, qui Lindam nuper reſtaurârunt, extremis tabulis cautum voluerunt: ſic & ſereniſsimus Parens Tuus SIGISMUNDUS cavit; qui ſuo, quin & Tuo, quia omnium Poloniæ Regum nomine, *Ius*, ut vocant, *Patronatus* ad Lindam ſuſcepit. Ad extremum, ſi ipſum ſcribendæ iſtius hiſtoriæ laborem, qualiscunque tandem ille ſit, reſpicere Majeſtas Tua non dedignetur, etiam hic Tuus erit. Qui primus, ſub annum Dom. MDCXXVI. hiſtoriam Lindenſem paucis complexus eſt, non alii, quàm ſereniſſimo parenti Tuo dedicandum cenſuit: & egò, præter tanti Regis Filium, Poloniæ itidem Regem, paternarumque virtutum omnium heredem alium quæſierim patronum? Quid, quòd hic ipſe labor, alio quoque, & quidem potiore Iure

Tuus eſt? quippe in collegio Tuo Reſſelienſi inchoatus, majoremque partem abſolutus eſt, Tuo, inquam, Reſſel. collegio, quoniam id, & ſereniſſimorum parentum Tuorum auſpiciis cœptum; & ſereniſſimi Card. Ioannis Alberti, Fratris Tui liberalitate, non leviter provectum; & Tuâ demum munificentiâ perfectum eſt: ut non alio quàm Te, fundatore glorietur; atque inde quoque, Majeſtatis Tuæ nomine commiſſam ſibi LINDAE MARIANAE provinciam adminiſtrat. Quod, ut ex omnium mortalium uſu & commodo ſemper faciat, duo, præ cæteris, ſuo ejusdemque collegii nomine, Majeſtati Tuæ precatur Author: alterum quidem, ut novo voto, quod ante præſens bellum, DIVAE LINDENSI Majeſtas Tua iteratò nuncupavit, quàm citiſſimè feliciſſimèque coràm defungatur; alterum verò, ut ejusdem DIVAE præſidiis, non collegio duntaxat & regno Tuo, verùm & Eccleſiæ Dei, & univerſæ rei Chriſtianæ, ſoſpes & incolumis quàm diutiſsimè conſervetur.

*Coloniæ Agrippinæ, Idib. Novemb. M DC LVIII.*

INDEX

# INDEX LIBRI I.

## *De prima Linda Marianæ & Religionis Chriſtianæ per eam in Pruſsia effloreſcentis origine; Rebusq; ad Annum Domini, circiter MDXX. geſtis.*


CAp. I. Argumentum, Ratio, & partitio ſcriptionis. pag. 1.

II. Obſcuriora Lindæ Marianæ primordia, perenni omnium populorum Religione & cultu, redduntur auguſtiora. 4

III. Auguſta Lindæ Marianæ primordia, progreſſus & decora, ab adverſo Satanæ ejusque Satellitum odio & invidia, technis item atque molitionibus æſtimanda ſunt. 8

IV. Lindæ Marianæ ipſe ſitus, ac loci conditio amænitatem juxta ac religionem ſpirat. 16

V. Lindæ Marianæ ſitus, etiam ad Geometrarum, Geographorumq; rationes exactus, ad pietatem, religionemque excitandam multum facit. 22

VI. Primordia, & prima ſacelli Lindenſis origo, ex unico, quod è veteribus ſupereſt, monumẽto, ſeu privilegio, ab ordine Theutonico, poſſeſſoribus fundi Lindenſis dato, inveſtigantur. 27

VII. Sub primum Chriſtianæ in Pruſſia Religionis exordium, cultum quoque & venerationem Deiparæ, apud Lindam Marianam videri exortam. 34

VIII. Linda Mariana devictæ in Pruſſia Idololatriæ, quoddam quaſi Tropæum divinitus conſtitutum. 39

IX. Ad divinæ providentiæ rationes quodammodo pertinebat, de proſtrata veterum Prutenorum Idololatriâ, quaſi Tropæum ſuper Tiliam Marianam ſtatui. 47

X. Ad easdem providentiæ divinæ rationes videtur pertinuiſſe, ut Eccleſia Chriſti in Pruſſia recens plantata, per Deiparam, & ſacram ipſi Lindam foveretur. 51

XI. Deipara Virgo, eodem ferè tempore Catholicam religionem, ex Oriente, tum in alias Occidentis provincias, tum in Pruſſiam quoque tranſlatam, per ſuam Lindam Marianam, aliaque ſibi ſacra loca fovet, ac ſingulariter provehit. 56

XII. Deipara Virgo, pro ea, quâ apud Deum & poteſtate & dignitate excellit, Lindam in Pruſſia gratiis ac beneficiis ab ſe diſtribuendis, opportunam delegit ſedem. 62

XIII. Tiliæ, apud Lindam Marianam, perennis vigor ac viriditas. 69

XIV. Prima Tiliæ & loci Lindenſis ipſiusque Deiparæ apud Lindam Marianam, religio, cultus, & veneratio ſingularis, ab ejusdem Deiparæ ſuper Lindam inventa imagine. 76

XV. Quæ, & qualis illa imago? & unde Lindam credatur delata? 81

XVI. Cœcus recepto viſu, primum imaginis Deiparæ Lindenſis beneficium expertus. 87.

XVII. Etjam brutæ animantes imaginem Deiparæ virginis Lindenſis venerantur. 91
XVIII. Deiparæ imago, iterum atque iterum deportata Raſtemburgum, ſemper ad fundum Lindenſem, & ſuam in Tilia ſedem remigrat. 94
XIX. Deiparæ imagini Lindam iteratò repetenti, ſacellum de piorum munificentia ſtructum, & Tilia, tum ramis & frondibus, tum Umbrâ etjam myſtica admirabilis, ſacelli muris incluſa. 100
XX. Piorum variis donis & anathematis Lindæ Marianæ religio, jam olim, & nunc illuſtrata. 106
XXI. Deipara Lindenſis populorum, etjam longiſſimè diſſitorum, peregrinationibus ſemper culta. 111
XXII. Deipara Lindenſis, publicis variarum in Pruſſia civitatum, vicinorumque Pruſſiæ populorum ſupplicationibus ac proceſſionibus, ſemper culta. 118
XXIII. Recenſentur ſigillatim villæ, civitates, & populi, qui ſtatas quotannis proceſſiones ad B. virg. Lindenſem obire ſolent. 123
XXIV. Ritus varii ac ſupplicandi rationes, quibus Deipara Lindenſis olim culta, & nunc, ad Eccleſiæ veteris morem, colitur. 131
XXV. Gratiæ ſanitatum, aliaque beneficia, quæ ſupplices apud B. virg. Lindenſem, in corpore rebusque exteris cumulatè ſolent referre. 139
XXVI. Beneficia & gratiæ animum concernentes, quæ apud Lindam Marianam divinitus tribui ſolent. 144

# LIBER II.

## *De Lindæ Marianæ Excidio, & rebus ad Annum Domini circiter* MDCXVII. *geſtis.*

CAp. I. Sacellum & Linda Mariana, ante ſui Excidium mirâ Angelorum proceſſione illuſtrata. 156
II. Lindæ Marianæ excidium ab hæreſi, & Theutonici ordinis pleriſque militibus (quorum fortitudine & virtute Pruſſia Chriſto adjuncta fuit) fœdè in hæreſin lapſis. 1 2
III. Lindæ Marianæ excidium, uti & alia Catholicæ in Pruſſia Eccleſiæ detrimenta, ſingularibus prænuntiata aut declarata portentis. 16
IV. Etjam inter plurimas Ædes ſacras, ſacellum cum Tilia Mariana ab Hæreticis exciſum. 174

V. Sacelli

V. Sacelli Deiparæ Lindenſis excidium, non ſine ingenti piorum ſtupore ac dolore perpetratum, adjunctarum ſacello ædium ruinam ſecum traxit. 179

VI. Cum ſacello, etiam Tilia Mariana exciſa, non tam religioni ipſius loci, quàm Catholicæ in Pruſſia Eccleſiæ imminentem portendere viſa calamitatem. 183

VII. Novorum in Pruſſia Iconoclaſtarum furor in ſacras imagines; & quid ab iisdem B. virg. Lindenſis imago experta. 188

VIII. De Excidii Lindenſis, & tot, tantorumque ſacrilegiorum authore, qui etiam hominem exuiſſe, inquiritur. 197

IX. Exciſâ Lindâ Marianâ, nequaquam exciſa, quin potius aucta & confirmata loci religio. 202

X. Exciſæ Lindæ Marianæ in loco, ut hæretici religionem quoque exscinderent, furcâ & patibulo in Deiparæ cultores ibidem deſævierunt. 206

XI. Patibulum Lindæ erectum, & homines in eodem ſuſpenſi, perpetuum crudelitatis, & graſſantis ubique Prædicantum immanitatis monumentum. 211

XII. Exciſæ Lindæ, & patibuli in ejus loco erecti author, miro & repentino ſupplicio divinitus caſtigatus. 216

XIII. Prædicantes, & quidam alii de vicino Ducatu inſolentiores, cultum divinum in deſerto Lindæ loco impedire nequidquam conati. 219

XIV. Non ſolùm Catholici, verùm & ipſi, præſertim in vicino Ducatu, ab Eccleſia Catholica ſejuncti, deſertum Lindæ locum frequentant: & ipsâ adverſariorum oppugnatione, magis erga loci venerationem cultumque Deiparæ incitantur. 223

XV. Deſerti Lindæ loci religio & ſanctitas, gemino apud homines Catholicos prodigio egregiè aſſerta. 227

XVI. Primum ſupplicii genus in eos, qui deſertum Lindæ locum contemnere, vel temerare auſi, divinitus deſignatum, Terrores & Minæ. 232

XVII. Alterum ſupplicii genus in eosdem, Cæcitas. 236

XVIII. Tertium ſupplicii genus, artuum viſcerumque cruciatus, vel ipſa etiam mors. 239

## LIBER III.

### *De Lindæ Marianæ vindiciis, inſtaurato ſacello, & rebus ad annum MDCXXX. geſtis.*

CAp. I. E ſqualore & vaſtitate Lindæ Marianæ Catholicorum & omnium piorum ſqualor; recuperandæque ac reſtaurandæ Lindæ deſiderium. 243

 II. Sæ-

*II.* Simonis Rudnicii Episcopi Varm. pro resarcienda per Ducatum & universam Prussiam fide Catholicâ, egregii conatus; proque instauranda Linda primus labor atque industria. 246

*III.* Alter Rudnicii pro vindiciis & restauratione Lindæ Marianæ labor, per Sadorscium, contra Ottonem à Grœben vehementer obnitentem, strenuè admotus. 254

*IV.* Tertius Rudnicii pro Linda Mariana conatus, per singularem, cum serenissimo Electore ac Prussiæ Duce, amicitiam atque familiaritatem. 261

V. Primus à Regia, pro vindiciis & instauratione Lindæ Marianæ, conatus prorsum irritus. 265

*VI.* Secundo à Regia conatu admoto, Area pro erigendo *L*indæ Marianæ sacello obtinetur. 267

VII. Tertio à Regia conatu, fundus juxta sacellum Deiparæ situs acquiritur. 273

VIII. Quarto à Regia conatu admoto, Caupona sacello *L*indensi adjacens comparata. 275

*IX.* Areâ, pro futura sacelli fabrica, magno operarum labore purgatâ, ipsoque Præsentationis B. virg. die apertâ, numismata, & Altare in eadem reperta. 280

X. Sacellum intra anni spatium reædificatum, atque eximio splendori restitutum. 285

*XI.* Sacellum *L*indense à Rudnicio Episcopo consecratur, & B. virg. M. summâ animi exultatione dedicatur. 291

*XII.* Rudnicii succedentiumque deinceps Episcoporum Varmiensium, in B. virg. *L*indens. religio, pietas ac munificentia. 293

X*III.* Sigismundus tert. & alii serenissimi Poloniæ reges, patrocinium *L*indæ Marianæ, & jus Patronatus ejusdem sacelli in se recipiunt. 300

X*IV.* Cum restaurata *L*inda Mariana, restaurata, imò magis, etjam aucta in Deiparam religio; non sine hæreticorum contabescentium invidia, hæresconque ad ruinam inclinatione. 305

XV. Beneficia divina, quæ apud *L*indam Marianam cumulatissimè conferuntur, quanti æstimanda. 309

X*VI*. Cæcitas, & alia oculorum vitia, Deiparæ *L*indensis ope depulsa. 311

XVII. Beneficium idem, etjam à Catholica Ecclesia alienis, per B. virg. Lindensem præstitum. 314

XVIII. Claudi beneficio B. virg. Lindensis curati. 318

X*IX*. Beneficium idem Acatholicis à B. virg. exhibitum. 322

XX. Epilepsia ope Deiparæ *L*indens. curata. 324

XXI. A pestilentiæ lue, vel maleficiis ope B. virg. *L*indensis servati vel erepti. 330



Digitized by Google

XXII. A manifeſto mortis periculo, vel gravioribus morbis, opeDeiparæ Lin enſis eruti. 335
XXIII. Supplicia divinitus accelerata iis, qui Deiparam, in reſtauratæ Lindæ loco, contumeliâ vel injuriâ affecerunt. 341

# LIBER IV.

## *De Linda Mariana cura Societatis IESV commiſſa, & rebus à MDCXXX. anno geſtis.*

CAp. I. Primi, qui de ſocietate IESV ad Lindæ Marianæ curam admoti ſunt, fuerunt è Collegio Brunsbergenſi exules. 347
II. Societati, perSigiſmundum tertium Regem evocatæ Reſſelium Sadorſcius Lindenſe ſacellum, & domum ſacello adjacentem attribuit. 351
III. Donationem ſacelli & domus Lindenſ. Societati à Sadorſcio factam, ſereniſſimus Poloniæ & Succiæ Princeps, Epiſcopus Varm. & illuſtriſſ. Nuntius Apoſtol. confirmant. 356
IV. Ven. Capitulum Varmien. prævio ſedis Apoſtolicæ conſenſu, pro ſuo quoque jure, fundum ſacello Lindenſi adjacentem ſocietati attribuit. 360
V. Sacellum B. virg. Lindenſis, ſacris BB. Martyrum Symphoriani & liberatæ Lipſanis, uti & Chriſti Crucifixi effigie, miraculi gloriâ illuſtri auctum. 365
VI. Linda Mariana, majore, quàm enarrari queant, beneficiorum divinorum ubertate efflorеſcit quorum conſignandorum causâ ab illuſtriſſimo Epiſcopo Varmien. cura atque induſtria ſingularis adhibita. 371
VII. E votivis tabellis aliiſque id genus anathematis multitudo, magnitudo, & varietas beneficiorum divinorum, per B. virg. Lind. hominibus præſtitorum, æſtimatur. 375
VIII. Beneficia divina, quæ ad animorum cultum atque ſalutem Deiparæ Linden. ope conferuntur, paucis libata. 380
IX. Inter beneficia ab Anno 1630. divinitus apud Lindam Marianam exhibita, non poſtremum locum ſibi vendicant, illuſtrati mortalium oculi, & cæcitas depulſa. 384
X. Deiparæ Linden. beneficia etjam ad Hæreticos, & ab Eccleſia Catholica alienos, præſertim in vicino Pruſſiæ Ducatu ſitos derivata: atque in iis quoque cæcitas & alii oculorum curati morbi. 403
XI. Aurium morbi, ope Deiparæ Linden. profligati. 406
XII. Dentium & gutturis cruciatibus liberati. 410

XIII. Eadem

*XIII.* Eadem quoque beneficia Acatholicis præstita. 413
*XIV.* Cephalæâ, plicâ, aliisque capitis morbis exempti. 416
*XV.* Etjam à fide Catholica alienis eadem beneficia per B. virg. Lindensem præstita. 425
*XVI.* Amentes ope Deiparæ Lindensis curati. 427
*XVII.* Energumeni, vel à Dæmoniis vexati curati. 432
*XVIII.* Fascino vel maleficiis perstricti, B. virg. ope restituti. 438
*XIX.* Nervici & contracti per B. virg. Lindens. sanati. 446
*XX.* Articulares morbi & paralyses, Deiparæ Lindens. ope, ab humanis corporibus extorres. 458
*XXI.* Epilepsia, seu morbi comitiales, Deiparæ Lindensis curatione sublati. 466
*XXII.* Etjam ab Ecclesia Catholica alieni, ope Divæ Lindens. à comitiali morbo curati. 473
*XXIII.* Claudi, aliisque pedum vitiis laborantes adjuti. 478
*XXIV.* Claudis, etiam à Catholica Ecclesia alienis, sanitas per B. virg. Lindensem collata. 491
*XXV.* Podagrici ope Deiparæ Lindensis adjuti. 494
*XXVI.* Manci, & brachiorum manuumvé morbis affecti, opem B. virg. Lindensis consecuti. 501
*XXVII.* Ulcera, vulnera, Herniæ, & apostemata curata. 509
*XXVIII.* Hydrops, aut pravus membrorum tumor, curatus. 514
*XXIX.* Febres variæ per B. virg. Lindens. depulsæ. 523
*XXX.* Lipothymia, curæ, angores, & animi cruciatus, per B. virg. Lindensem abstersi. 529
*XXXI.* Ab Elementorum, præsertim Aquæ tempestatibus erepti. 536
*XXXII.* Ab igne & incendiis per B. virg. Lindens. servati. 541
*XXXIII.* Ab Aëris inclementia, & pestilentiæ contagione, Divæ Lindensis præsidio defensi. 547
*XXXIV.* Etjam pecora à lue aliisque periculis servata. 555
*XXXV.* Steriles & parturientes à B. virg. adjutæ. 563
*XXXVI.* A variis & ignotis morbis vel calamitatibus Deiparæ Lindensis auxilio liberati. 570
*XXXVII.* A morte, vel præsente mortis periculo erepti. 584
*XXXVIII.* Animæ Purgatorii per B. virg. Lindens. adjutæ. 596
XXXIX. Quidam, ob neglectam Lindæ vel Ecclesiæ religionem, divinitus puniti. 601

LIBER

Digitized by Google

# LIBER V.

## *De beneficijs divinis apud Lindam Marianam Anno MDCLV. vel exhibitis, vel cognitis, & in commentarium relatis.*

CAp. *I.* Ratio & Oeconomia hujus libri. 606
*II.* Anni 1655. Menſis Martius. 611
*III.* Priores aliquot Menſis Aprilis dies. 621
IV. Poſteriores Menſis Aprilis dies. 631
V. Menſis Maji primi dies. 641
V*I.* Unica iduum Majarum dies. 649
V*II.* Quinque dies idus Majas proximè conſequentes. 660
V*III.* Alii quinque dies Menſis Maji. 670
IX. Poſtremi ejuſdem Menſis Maji dies. 682
X. Ipſæ Calendæ & Nonæ Menſis Junii. 694
X*I.* Priores iduum Junii dies. 744
X*II* Poſteriores iduum Junii dies. 713
X*III.* Ipſæ Junii idus. 720
X*IV.* Priores aliquot Calendarum Quinctilium dies. 727
X*V.* Quatuor ante Calendas Julias intermedii dies. 737
XV*I.* Poſtremi Menſis Junii dies. 751
XV*II.* Ipſæ Calendæ Quinctiles, ſeu viſitationis B. virg. pervigilium. 764
X*VIII.* Sex Nonarum Quinctilium dies, & ipſum viſitationis B. virg. feſtum. 779
X*IX.* Octo iduum Juliarum dies. 790
XX. Reliqui dies Menſis Julii. 800
XX*I.* Calendæ, & Nonæ Menſis Auguſti. 808
XX*II.* Iduum Sextilium dies. 814
XX*III.* Reliqui dies Auguſti. 820

*Facultas*

Digitized by Google

*Facultas R. P. Provincialis ad Rhenum inferiorem Soc. Ieſu.*

EGo infrà ſcriptus Societatis Ieſu, per Provinciam Rheni inferiorem Præpoſitus Provincialis poteſtate mihi facta ab Admodum R.do P. N. Goſvvino Nickel Societatis Ieſu Præpoſito Generali, librum cui Titulus LINDA MARIANA, conſcriptum à P. Thoma Clagio, Soc. ejuſdem Theologo Provinciæ Lithuanicæ, atque à deputatis ad id Patribus lectum, cenſum & approbatum, ut typis publicetur Coloniæ, Facultatem concedo. In cujus rei fidem ſigillum officii mei hiſce appreſſi, & nomen meum ſubſcripſi Coloniæ Agrippinæ 28. Aprilis. Anno MDCLVIII.

*HIERONYMUS VVarmoldi.*

Digitized by Google

# LIBER I.

*De prima Lindæ Marianæ, & Religionis Chriſtianæ, per eam in Pruſſia effloreſcentis, origine; Rebusq; ad Annum Domini circiter* M. D. XX. *geſtis.*

## CAPUT I.

*Argumentum, Ratio, & Partitio ſcriptionis.*

DE Rebus DEIPARÆ VIRGINIS LINDENSIS, ſplendore, & magnitudine ſuâ eximiis, temporum tempeſtatumque mirâ varietate florentiſſimis; gentium, populorumque cultu, religione, & famâ celeberrimis, omni denique DEI & cœli in eum locum, locique ſanctimoniâ fruentes, clementiâ, benignitate, propeque quotidianâ beneficentiâ, lætiſſimis ac prorſum admirandis, ſcripturo; omnino fuiſſet optandus, adeoque curandus, & calamus, & ſtylus elegantiſſimus. Sed à me, qui ſupra majorum imperia atque authoritatem, ſingulari duntaxat in magnam DEI MATREM pietate, ad ſcribendum impellor, nemo calamum, aut cælitus inauratum (qualis Divo Hildeberto divina commentanti, ut nonniſi aureos exararet characteres, obvenerat) aut argenteum (qualem Juſtus Lipſius, ad Divæ Hallenſis Aram, grati, devotique ſemper animi ergo, conſecravit) meritò requirat. Satis ego me partibus defunctum meis arbitrabor, ſi &

piorum votis utcunque reſpondero, & cùm obſcuriſſimis rerum primordiis, tum maximis deinceps incrementis, vel tantillum addidero lucis. Quantum enim vota piorum omnium attinet, eò jam uſque proceſſerant, ut non tam precibus, quàm quotidianis propè convitiis Hiſtoria Deiparæ Lindenſis paſſim efflagitaretur. Tametſi enim triginta circiter ab hinc annis, Michaël Ciautius, quem ego multò antè, Archipresbyterum & Parochum Allenſteni puer veneratus eram, non pauca ſingulari libello (qui Anno M DC. XXVI. Brunsbergæ prodiit) complexus erat; quia tamen & liber ille vix, ac ne vix quidem haberi jam poteſt, &, ſi haberi aut etjam recudi poteſt, de rebus tamen, quæ conſecutis deinceps annis evenerunt, referre nihil omnino poſſet; neceſſarium idcirco fuit, & ipſa rerum initia paulò remordiri altiùs; & tum vetera quædam accuratiùs explicare; tum, quæ deinceps acta ſunt, non ampliùs ſilentio involvere. Jam verò, quantum ad ipſam rerum originem & primordia ſpectat, ingemiſcendum profectò eſt; quod neque ad eruenda illa vetuſtatis rudera, neque ad res tot ſeculorum decurſu poſtmodum geſtas, quisquam mihi aut Ariſtophanis aut Cleanthis præferre lucernam poſſit: Quot ſunt, quos ego quidem, cùm alibi, tum in Pruſſia, ſive per literas, ſive coram appellavi, eruditione doctrinaque illuſtres viros! neque tamen ullus, ad iſtam antiquitatis caliginem, vel tantillum afferre lucis potuit? Quò magis, etjam illis, ex æquo & juſto, oboriatur in eos indignatio, qui, cùm Linda Mariana, quemadmodum lib. 2. patebit, omnia pariter, antiquitatis hiſtoriæque monumenta, ſacrilegè demo-

demoliti unà ſunt! Mihi verò verendum inſuper erat, ne Andabatarum, ut ajunt, more, in præſente ſtadio decurrerem. Quod ne fieret, quotquot de rebus Pruſſicis, deque B. V. hiſtoria, etjam aliunde; non ſine cura & labore, conſequi licuit libros, haud oſcitanter excuſſi; omnemque movi lapidem, ut tum ea, quæ è tanta oblivionis aut vetuſtatis caligine produxero; tum quæ noſtrâ, aut proximâ majorum ætati geſta memorabo, non meras omnino tenebras, ſed aliquam pio lectori lucem, DEO verò & Magnæ DEI Matri ſuam; quod unicè voveo, proferant laudem. Qua etjam de cauſa, opus hoc quinque in libros partior; ut præter miracula, & mira, quæ quotidie propè effulgent, DEI in mortales beneficia, *Primus* ipſam Lindæ Marianæ originem & primordia, resque ad Annum M. D XX. per aliquot ſecula, geſtas, veſtiget: *Alter* verò miſerandam Lindæ, & ſacelli Lindenſis, per impiiſſimos mortales, excidium, atque ruinam juxta, ac mirandam populi Chriſtiani, in loco ſolis ruderibus, hoc eſt, relictis Hæreticæ immanitatis veſtigiis illuſtri, pietatem ac religionem proſequatur. *Tertius* continebit difficilem prorſus, neque tamen infelicem, ſacelli ejusdem, integro propè ſeculo deſerti, inſtaurationem. Jam verò *Quartus*, exponet, quo pacto idem Deiparæ Virginis Lindenſis Sacellum, unà cum adjacente fundo, ad Collegii Reſſelienſis Societatis JESU curam poſſeſſionemque, jure devolutum, quotidianâ populorum undique confluentium, pietate & religione magis ac magis effloreſcat. *Quintus* denique (qui mihi ſub manibus natus eſt) ea beneficia, quæ hoc duntaxat quinquageſimo quinto

ſupra milleſimum ſexcenteſimum anno vel præſtita, vel cognita conſignataque ſunt, complectetur. *Da mihi*, ô DIVA (lubet enim verbis præeuntem Lipſium (*a*) ſequi) *quam præſentem animo contemplor, quod piè ſancteq; inſtiti, ritè & feliciter exſequi; nomini & cultui tuo propagando; pietati & ſanctimoniæ augendæ: quos duos profiteor huic ſcriptioni fines eſſe præfixos.*

## CAPUT II.

*Obſcuriora Lindæ Marianæ primordia, perenni omnium populorum religione & cultu, redduntur auguſtiora.*

VIx eſt, aut unquam fuit populus, regnum, vel Reſp. quantumvis magna, cujus origo & primordia, ob ipſam quoque antiquitatem non fuerint obſcuriora. Et quid aliud cenſeas de urbibus, aut certis urbium, ne dicam oppidorum, privatarumvé ædium, aut ædicularum originibus? Quid Nilo Fluvio, ſive amplitudinem, ſive ejus ubertatem ſpectes illuſtrius? & quid fontibus ejus obſcurius? Ad hanc diem Nili primus fons inquiritur. Nili inſtar decurrunt auguſtæ rerum humanarum fortunæ atque vires; quò magis ſe ante oculos jactant, eò obſcuriores habent ortus. Interim *datur hæc venia antiquitati* (inquit ſub exordium hiſtoriæ Livius) *ut miſcendo humana divinis, primordia urbium auguſtiora faciat*. Nobis tamen, neque licet, neque, ſi licuiſſet, ullo modo lubet, quidquam ſive divini ſive humani, quod à veritate vel minimum diſſonet, hîc admiſcere. *Neque enim*, ut cum Doctore Gentium (*b*) loquar, *veritas* DEI, *in meo mendacio, abundabit in gloriam ipſius*. Proinde jam nunc, ad ipſam

(a) *Hiſt. Hallen. cap. 2.* (b) *Rom. 3. 7.*

ipſam bonæ Mentis aram, ingenuè profiteor, nihil
me aut invidiæ odiové, aut gratiæ cujusquam datu-
rum: &, cùm res popoſcerit, *ſcapham, ſcapham*, ut eſt
in proverbio, & *ligonem ligonem* appellaturum; atque
ea omnia, quæ afferentur, non alia, ſanè quàm quæ
illis convenit, quamque ex ſeſe merentur, hederâ or-
naturum; adeoque cum noſtri temporis Poëta Jaco-
bo Balde, hiſtoriam ſcripturo, Aram VERITATI(*a*)
poſiturum. Equidem haud incertus ſum, illuſtria fuiſ-
ſe Lindæ Marianæ ejusdemque ſacelli primordia; ta-
metſi, quæ illa tandem, aut qualia fuerint, vix aliquid
certi proferre habeam. Tantæ enim, uti proximè
memorabitur, ad obſcuranda, adeoque ex hominum
memoria ipſaque rerum univerſitate, Lindæ Maria-
næ, divinique in ea cultus abolenda veſtigia, fuerunt,
& ſunt Hæreticorum molitiones atque conatus; mi-
rum ut ſit, ſi vel tantillum, quantum quidem hoc li-
bro referetur, apud plerosque vel memoriæ illius ſu-
perſit, vel potiùs reminiſcentiæ. Juſtè (*b*) de miracu-
oſis B. V. Weyerenſis beneficiis, expoſtulat Frideri-
us Fornerius Hebronenſis Epiſcopus, & Suffraga-
eus Bambergenſis, *quod Lutheri aſſeclæ, Dæmoniaco*
*fernalis ſerpentis œſtro perciti, ſummorum Pontificum,*
*ardinalium, Epiſcoporum & Fundatorum Diplomata, o-*
*niaq; virginalium beneficiorum, in varios homines di-*
*rtitorum, teſtimonia, deſcriptiones, votiva Anathema-*
*, publicaque inſtrumenta, quinimo omnia editorum mi-*
*ulorum veſtigia, Vulcano tradiderint, flammisq; exuſta*
*nino aboleverint*; & tamen ibi Templum ipſum
iparæ incolume fuit ſervatum: at apud nos, ipſum
A 3 quo-

(a) *Lib. 4. Lyric. ode* 47. (b) *Lib. 1. cap. 2.*

quoque ſacellum funditus ab iisdem exciſum eſt. Cujus quidem, quàm fuerint primordia longè florentiſſima, vel illud argumento ſit; quod ab ipſo rei Chriſtianæ in Pruſſia exortu, ita ſplendor Lindæ Marianæ omnium perſtrinxerit oculos; ut neque per circumfuſam gentilium ſuperſtitionum noctem, neque per obductas poſtmodum, tot, tantarumque hæreſeon tenebras, extingui, ac ne obſcurari quidem unquam potuerit. Quemadmodum enim per bina ampliùs ſecula, cùm è barbara gentilium nocte Pruſſia emerſit, ſplendor ille omnium in ſe oculos vertit, & mirum in modum affecit univerſos: ita poſteaquam denſæ hæreſeon tenebræ, majori Pruſſiæ parti deinceps offuſæ ſunt, idem ille ſplendor, plurimis, etjam inter ſectarios poſitis, mortalibus, Cynoſuræ inſtar affulſit. Nullum enim fere unquam fuit tempus, quo non perpetuæ hominum, quin ſæpe etjam urbium & populorum, ad Deiparam Lindenſem, ſupplicum in morem accedentium, peregrinationes frequentarentur. Ubi primùm, per Ordinis Theutonici milites, ſingulareſque eorum adversùm barbaros victorias, Chriſtianæ lumen fidei, oboriri Pruſſiæ cæpit, jam tum DIVA LINDENSIS, velut AURORA, à Sole ſuo CHRISTO, qui Pruſſiæ recens erat ortus, luce præviâ circumfuſa, plus quàm Cimmerias gentilium Prutenorum tenebras, unà cæpit diſpellere. Ubi poſtmodum, per fœdam Theutonicorum eorundem in Pruſſia apoſtaſiam, omne genus Hæreticæ caliginis, inter alias Pruſſiæ Provincias, recens conſtituto ſeſe infudit Ducatui; unica fere LINDENSIS VIRGO, in tanta Ducatus illius vaſtitate, veluti LUNA, nocturnas

nas inter tenebras, miſeris mortalibus luxit. Non deſunt, qui funeſtiſſimi illius temporis ſqualorem, ad Dominicæ tempora Paſſionis, putent referenda. Ut enim Domino, veluti *vero Iuſtitiæ ſole*, inter cruciatuum illorum & mortis caliginem *obſcurato*, omnium Domini diſcipulorum animis, fœda aut deſperationis, aut infidelitatis, aut ſaltem timoris ita offuſa fuit nox, ut fere in ſola Virgine DEI parente (quemadmodum plerique Doctorum tradidêre) reliqua fuerit, tum illibatæ fidei, tum inconcuſſæ ſpei, tum integerrimæ charitatis Lux & Dies: ita cùm afflicto per ſectas & ſectarios Pruſſiæ Ducatui, miſeranda nox & denſiſſimæ incubuiſſent hæreſeon tenebræ, unica, quamvis diruti Lindenſis ſacelli, vel potiùs DEIPARÆ, in eodem ſacelli loco, per miracula, ſanitatumque beneficia radiantis, lux & ſplendor, quà Catholicorum, quà etjam ſectariorum oculos & animos, perpetuò ad ſe traxit. At ubi præcedente tempore, & Hæreſeon tenebræ ſenſim depelli cæperunt, & ſacelli illius, poſt excidium, ſingulari DEI ope, poſtliminio reſtituti, ſplendor, omnium etjam longiſſimè [...]is junctorum, oculis ſeſe reddidit, jam VIRGO LIN[D]ENSIS, non ſecus atque *electa ut Sol*, vel, ut *Sole a[m]icta*, in univerſo reſplendet, quà latè patet, Orbe [C]hriſtiano. Quæ omnia, cùm ſuis uberiùs tractanda [...]t locis, hîc vel libaſſe ſuffecerit; ut vel exinde, quàm [au]guſta fuerint LINDÆ MARIANÆ primordia, æſti[ma]ri poſſit. Interim ſuum hîc locum & pondus ha[be]at illud Innocentii Pont. qui illud Canticorum (a) [Qu]*æ eſt iſta, quæ progreditur quaſi Aurora conſurgens! pulchra*



(a) Cap. 6. 9.

*chra ut Luna, electa ut Sol*, ſermone 2. de Aſſumptione expendens, in rem quodammodo noſtram philoſophatus, *Luna*, inquit, *lucet in nocte; Aurora in diluculo; Sol in die. Nox autem, eſt culpa; Diluculum, pœnitentia; Dies, gratia. Qui ergo jacet in nocte culpæ, reſpiciat Lunam; deprecetur* MARIAM. *Qui ad Diluculum pœnitentiæ ſurgit, reſpiciat Auroram; deprecetur* MARIAM. Denique ut cum Franciſco Mendoza (*a*) cauſam præſentem abſolvamus, *Qui in Die gratiæ vivit, reſpiciat ſolem; deprecetur* MARIAM.

## CAPUT III.

*Auguſta Lindæ Marianæ primordia, progreſſus, & decora, ab adverſi Satanæ ejusque ſatellitum odio & invidia, technis item, atque molitionibus æſtimanda ſunt.*

N*Atura ita comparatum eſt* (placet enim cum Chriſtiano Philoſopho, & Chriſtianorum apud gentilem Imperatorem patrono præfari hoc loco) *ut malitia ſe opponat virtuti; & divinâ quadam lege, quæ inter ſe contraria ſunt, depugnent.* Non eſt illuſtrius DEI ipſius, divinorumque operum argumentum, quàm Satanæ, ejusdemque Miniſtrorum adversùm ea odium. Quod, cùm ſemper, & ubique, tum in perpetuis adversùs Deiparam molitionibus luculentiſſimè patuit. Jam enim ab ipſo, & hominum & rerum omnium primo conditu, antiquus ille ſerpens, *Calcaneo*, Benedictæ inter mulieres virginis, *inſidiatur; & ipſa conterit caput illius* (*b*) Impreſſerat ab ipſo rei Chriſtianæ, uti diximus, in Pruſſia exortu, ſuum quodammodo ad ſacrã Lindam calcaneum: & ita quidem impreſſerat, ut ad omnium ætates ſeculorum fixa hærerent veſtigia.

(a) 1. Reg. cap. 4. Annot. 11. ſect. 2. (b) Gen. 3. 15.

Non potuit ea coluber ille, quantumvis maximè
iteretur, vel eradere, vel obterere veſtigia; neque
ien deſtitit, quà ſuis, ſuorumque Miniſtellorum
lis ac linguis impetere; quà cæno vel pulvere ob-
re, vel, ſi id non ceſſiſſet, tegere. Dici vix poteſt,
intum ii, qui de Quinto Miniſtellorum Evange-
, tanquam *fonte caballino, labra proluerant*, quoties
quid chartis illinendum erat, in hoc Satanæ præ-
, & virium intenderint, & curatum nervos. Si
id fortè, de prima iſtius Evangelii in Pruſſia ſe-
ente, memorandum veniſſet, primo ſtatim impetu
Deiparam Lindenſem incurrebant. Si quid de
isdem Pſeudo-Evangelii progreſſu atque incre-
entis dicendum occurrat, à Lindenſis ſacelli exci-
o & ruina etjamnum ſumunt proœmium. Cæleſti-
s Mislenta, inter Prædicantes Regiomontanos,
ocacis juxta ac impudentis, ſi quiſpiam alius, cala-
i nuper & oris; dum, *in Manuali Prutenico, depravis*
ctæ ſuæ Apparatibus (quæ ille *προηγούμενα* vocat)
) differit, non poteſt inter *Peregrinationes*, quæ, vi-
ente Catholica in Ducatu Religione, viguerunt,
onniſi primo ac principe ſemper loco Peregrina-
onum Lindenſium meminiſſe. Idem ipſe, cùm de
atholicæ, in eodem Ducatu, Religionis exterminio
ta enim loqui homini illi libuit) *differens Indulgen-*
*as, Proceſſiones, Peregrinationes ad loca ſanctis ac divis*
*nſecranea, proſcriptas & inhibitas fabulatur, comme-*
*ioratione,* inquit (*b*) *dignū occurrit, de deſtructione Fani*
*d tiliam extructi; ad quam peregrinationes, Indulgentia-*
*um impetrandarum gratiâ, ut & recuperandæ valetudi-*

A 5 nis

(a) *pag. b. 8.* (b) *pag. d. 4.*

*nis causâ, ab undequaque hominibus illuc confluentibus, inſtitui ſolebant.* Paria ſunt, quæ Caſpar Hennebergerus, in ſuis ad Geographicam Pruſſiæ Tabulam commentariis (*a*) aliique Miniſtelli ogganiunt. Quò enim majorem, loco, & Catholicis locum reviſentibus, illi affricant *Idololatriam*, eò magis & loci, & hominum, numen numinisque matrem piè venerantium, ſeſe pandit religio atque pietas. Conſtat quippe Miniſtellos ex illa hominum tribu eſſe, qui teſte divino vate Iſaia (*b*) *Dicunt bonum, malum; & malum bonum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Verùm de iſta Miniſtellorum indole, atque egregia, ſcilicet, exercitatione deinceps agendum erit (*c*) uberiùs. Nunc illud Miraculo propiùs ſeſe offert trutinandum, quod LINDA MARIANA, non jam intra Varmienſis Epiſcopatus; ſed intra ipſos Pruſſiæ Ducatus limites poſita, ideoque Miniſtellorum, qui in eo Ducatu impotentem jam diu exercent dominatum, furori ſemper obnoxia, eorundem nihilominus ſemper eliſerit atque perfregerit furorem. Potuit quidem ſacellum Deiparæ Lindenſis, quoad muros & parietinas, aliquamdiu furori illi cedere; ſed quoad religionem & conſtantiſſimam populorum, etjam longè ſejunctorum, pietatem (quam muris quoque exutum in animis hominum ſemper obtinuit) nunquam ceſſit: ut mihi, in ea Virginis Ædicula, intra Miniſtellorum fines eum in modum ſemper triumphante, nihil aliud niſi *Arcam Domini* (*d*) intra Philiſthinorum regnum magni-

(a) *pag.* 261. (b) *Iſaiæ* 5. 20. (c) *lib.* 2. (d) 1. *Reg.* 5.

gnificè triumphantem, quaſi coram videat intue-
Et ſanè, ſi cum D. Ambroſio, uti par eſt, ſentien-
m diſſerendumque ſit, quidni cum illo (*a*) excla-
em? *Arcam quid, niſi ſanctam* MARIAM *dixerimus?*
*uidem Arca, intrinſecus portabat teſtamenti tabulas;*
ARIA *autem ipſius Teſtamenti gerebat Heredem. Illa*
*tra ſervet legem, hæc* Evangelium *retinebat. Illa* DEI
*cem habebat, hæc* VERBUM. *Arca intus foriſque auri*
*tore radiabat, ſed & ſancta* MARIA, *intra foriſque*
*rginitatis ſplendore fulgebat. Illa terreno ornabatur auro,*
*ta cæleſti.* Neque minores Arca hæc noſtra, de Allo-
hylis noſtris, quàm illa vetus de Palæſtinis trium-
hos egit, atque etjamnum agit. Conantur equidem
llophyli noſtri, ut profanis Dagonis, aut (ſi Diodo-
us (*b*) idem reſpexit idolum) Dercetum Atarga-
umvé ſuarum fanis inferatur, vel potiùs uniatur; &
quandoque etjam quaſi opimorum in morem ſpo-
iorum iisdem offeratur (*nam & Arcam* DEI, *tan-*
*quam exuvias, & opimum quodam ſpolium Idolo, donarii*
*loco, conſecratam fuiſſe* aſſerit Chryſoſtomus (*c*) Ve-
rùm enimverò & Atargates, & Dercetes, & Dago-
nes (tot enim nominibus Idolum illud appellatum
docet Athan. Kircherus Tomo 1. Oedipi Syntagm.
4. cap. 16. & ante illum Mendoza ad 1. Reg.) Al-
lophylorum iſtorum, in ipſo quoque triumpho ſuo,
perinde ſine triumpho ſunt, atque ſine manibus &
ſine capite Dagon. Et adverte, quæſo, animum, ad
locum, tempus, ac modum triumphi! haud dubiè
cum Theodoreto (*d*) fatebere: *Quòd* DEUS *Allophylis*
*Arcam*

(a) *Serm.* 80. (b) *lib.* 1. (c) *Tom.* 5. *lib. contra Gentiles.* (d) *Serm.* 10. *de Provid.*

*Arcam tradidit, populi iniquitatem arguens: Tradita autem Maieſtatem tuetur, Allophylos docens, quòd non* DEUM *viciſſent, ſed hominum iniquitatem.* Vel ad cauſam noſtram paulò affiniùs, cū Ven. Beda, ad illud Lucæ: (*a*) *Cùm fortis armatus*, &c. alludendo dices: *Fortis erat Dagon, quando ſtulta* (etjam Prutenorum noſtrorum) *Gentilitas, arma ſuo cuſtodiebat in atrio: fortior eſt Arca fidei, qua huic, ſpolia impietatis victrix eripuit, & hac arma & ſpolia pietatis fecit.* Fecit enimverò, quando, ut hoc libro (*b*) ſpectabimus, apud Lindam Marianam, de victa ac proſtrata gentilium Prutenorum ſuperſtitione, æternum quaſi Trophæum ſtatuit. Denique & cum S. Damaſceno (*c*) adeoque universâ Eccleſiâ Græcâ (in Menæis 25. Mart.) Allophylis noſtris inclamare licet. *Tanquam animatam* DEI *Arcam, nullatenus cuiusquam profani manus contingat. Quin potiùs Deipara, in clamore exultationis, labia fidelium indeſinenter occinant: Ave, Gratia plena, Dominus tecum.* Verùm, & hæc ſurdis inclamantur. Pergunt illi, nimirum, &, quemadmodum veteres illi Allophyli, omnem movent lapidem, ut *reſtituant Dagon in locum ſuum* (*d*) ſed diffidendum minimè eſt, quin & hic eveniat, ut *rurſum manè, die alterâ conſurgentes, inveniant Dagon iacentem ſuper faciem ſuam, in terra, coram Arca Domini; caput autem Dagon, & duas palmas manuum eius abſciſſas ſuper limen*, intueantur: præſertim cùm eorum Archiſynagogi, qui non palmarum duntaxat, verùm & ca-

(a) *cap. 11. 21.* (b) *cap. 8.* (c) *Apud Simon. VVagnereckium chiliade 1. Centuria 4. num. 308.* ὡς ἐμψύχῳ θεοῦ κιβωτῷ, ψαυέτω μηδαμῶς χεὶρ ἀμυήτων. χείλη δὲ πιστῶν. &c. (d) 1. Reg. 5. 3.

& capitis vicem obibant, jam proſtrati herbam, aut potiùs terram mordeant tanquam progenies illius, cui divinitus illud maledictum obtigit, *Terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ* (a) Porrò cæteri quoque Azotiorum iſtorum, ſive Duces, ſive etjam ſatellites, ſeriò ad ſe reſpiciant, quid agant, quidvè circa Arcam Domini moliantur; ne fortè & ſuper ipſos, *aggravetur manus Domini, & percutiantur in ſecretiori parte*, &c. præſertim, cùm id jam nonnullis, ex eorum cohorte eveniſſe, ſuo loco memorabitur (b) Quòd ſi animum cervicemque inſuper obfirment, Arca hæc nihilominus triumphos aget; illi verò juxta Pſalmum (c) vel inviti, *videbunt, & iraſcentur; dentibus ſuis frement, & tabeſcent: deſiderium peccatorum peribit.* Vidit inter alios, & iratus eſt, fremuit dentibus, & contabuit; idem ille Manualis Prutenici author Miſlenta. Poſteaquam enim ad *quintum Eccleſiæ* (ut ipſe appellat) *Lutheranæ ſtatum* in Ducatu Pruſſiæ, hoc eſt, ut ipſe quoque exponit, *ad ſtatum miſeriæ & inclinationis ad ruinam*, pervenit, ejusdemque miſeræ inclinationis perſequi indicia orſus eſt. Tertium indicium ponit, *Religionis Romano-Catholicæ introductionem.* Hanc verò ntroductionem (ſupponebat enim, quanquam fal- ſſimò Miniſtellus, Catholicam è Ducatu Pruſſiæ eligionem, prorſum fuiſſe exactam, vel potiùs, ut e ſæpius ingeminat, *eradicatam*) unde tandem no- s, vel potiùs ſuis, manifeſtam faciet? *Ex locorum*, ut e ſubdit, *Idololatricorum reſtauratione.* At quæ illa idem loca? cùm plurima fuerint in Pruſſia, miracu- peregrinationibus, publicisque urbium ac populorum

(a) *Gen.* 3.14. (b) *lib.* 2. *cap.* 18. (c) *pſalm.* 111.

lorum ſupplicationibus celeberrima loca, quæ tandem reſtituta? aut potiùs, quorum ob reſtaurationem Myslenta quiritando tabeſcit? Dixerat loca idololatrica reſtituta; at ubi ad eorum ventum eſt cenſum atque numerum, unicum, duntaxat, atque eum ſolum nempe LINDAM MARIANAM memorat. An quia illa unica, plurimorum inſtar contra Allophylorum acies militat? an, quia non modò militantem, verùm & perpetuò contra ſuos triumphantem ob oculos habebat? an denique, quia ex illa ſola, tanquam è prima uti Chriſtianæ quondam, ita nunc Catholicæ in Pruſſia Religionis, primariaque Arce, ſibi ſuorumque fidiculæ potiſſimùm metuebat? Quidquid tandem ſit, divinum oraculum, etjam in Mislenta verum fuit. Vis intueri *videntem & iraſcentem?* vis audire *dentibus frementem & tabeſcentem? Quartò,* inquit ille (a) *loca idololatrica antehac abrogata, & obſoleta, nunc, prô dolor! reſtaurantur & redintegrantur paſſim. Sic tiliæ illius, ante centum fere annos ſacellum, ab Illuſtriſſimo Duce Alberto dirutum, ac ſolo æquatum; à Pontificiis Patronis jam reſtauratum, officina idololatria abominanda evaſit; peregrinis è longinquo, ac è propinquo, eò, ſuperſtitionis cauſâ, confluentibus; & impunè quidem, quibus olim præmii loco patibulum erat deſignatum.* Atqui, Euge! ô Miniſtelle! tuum illud *prô dolor!* (nam cætera ſuo loco audienda erunt) iterum atque iterum ingemina. Ego verò tibi, ſociennisque ac combennonibus tuis illud Chryſoſtomi, in Catena Patrum Græcorum (b) apud Corderium, occinam. *Vſque adeò virtus, vitio gravis eſt, & moleſta! Quemadmodum enim*

(a) *pag. 2, 6.* (b) *pſalm. III.*

*enim ignis accendit ſpinas, ita & benignitas, in humanos, & efferatos homines irritat. Ea enim illorum improbitatem arguit & accuſat.* Cùm porrò ibidem Chryſoſtomus homines efferatos, præque invidia tabeſcentes, intra pectus, venenum ſuum tabemque premere aſſerat (ſic enim pergit; *Sed vide eum, cùm invidiâ extabeſcat, non audere accuſare, & clarum virtutis aſpectum intueri; ſed mente quidem liqueſcere, & dentibus dolorem oſtendere; non audere autem verbum proferre; ſed tantùm angi, & cruciari;* & in eundem ſenſum Cyrillus in Catena Corderii ad Lucæ 11, 17. *Quia impudens erat talis illorum ſuſpicio, ideo multorum timore perterriti non præſumpſerūt, criminationes ſuas in publicum proferre, ſed mente ſecum aßiduè verſabant*) cùm, inquam, hæc intra ſe iſti premant, quantam, quæſo, oportuit, non modò invidiæ, odiique tabem, ſed etjam iræ, furoriſque rabiem in Mislenta fuiſſe, qui, & ore, & calamo, toties illud è pectore venenum profudit! atque idcirco, tanto magis Arcam Domini, in LINDA MARIANA triumphantem illuſtravit! Talis enim hominum iſtorum genius atque indoles eſt, ut nihil ſit illuſtrius, quàm quod illi carpunt: nihil auguſtius atque divinius, quàm quod illi proculcant. *Qui enim ſcit Neronem* (fas eſt enim in ſimili cauſa, cum Tertulliano (a) memorare) *intelligere poteſt, nonniſi grande aliquod bonum à Nerone damnatum.*

CAPUT

(a) *Apologet, cap. 5.*

# CAPUT IV.

*Ipsi Lindæ Marianæ situs, ac loci conditio, amœnitatem juxta ac Religionem spirat.*

MAgnam persæpe rebus gratiam adjicit ipsa loci conditio atque situs; Lindensi verò sacello, quemadmodum plerumque & aliis Deiparæ Virginis alibi positis Ædibus, miram insuper addit venerationem, sacro quodam horrore permixtam. De sacra Divæ Hallensis Æde, non aliâ fuit Justo Lipsio experientiâ atque testimonio opus, cùm abundaret proprio. *Cùm veni,* inquit ipsemet (*a*) *& calidè Templum adii, ac preces cœpi fundere; sensi trepido quodam gaudio, & mixtâ veneratione, corpus animumq; percelli; & palpavi in loco Numen esse, quod, vel ignaris mentibus se superfundat.* Et alibi (*b*) *Ornatum* (inquit de sacello Hallensis Templi Deiparæ sacro) *à donariis & tabulis votivis habet, religionem à se; & nescio, quomodo ingredientes eâ tangit.* De sacello, quin universim de ipso Lindæ Marianæ loco, non possunt, unà mecum, non fateri plurimi, qui id unà experti sunt, ac quotidie propè experiuntur. Evenire quippe solet, iis potissimùm, qui nusquam antè locum sacrum accesserant, ut, simul ac virentes in propinquo silvulas atque lucos emensi, in sacræ Ædis, atque adeò loci ipsius conspectum venerint, tantundem animo hauriant pii cujusdam sensus, venerationis, horrorisque sacri, quantum de ipso loco libarant oculis: ipsa quippe loci facies, quiddam amœni juxta ac sani ex se videtur spirare. Hinc enim, ab ortu perinde atque occasu, pro-

(a) *cap.* 1. (b) *cap.* 4.

enſi in longum colles gemini, modicè in altum
vallem, quæ ſub ipſum Orientis collem Deipa-
cellum amplectitur; pinetis variâ arborum ſtir-
onnihil intertextis, & quaſi coloniis hinc inde
is, atque arte quâdam, propè in quincuncem ſa-
trinque leviter ſtringunt: inde verò gemini iti-
Lacus, Virbellus à Borea, & Denaus ab Auſtro,
m eandem rivulo perenni (qui in hunc ex illo
ſeſe, tum piſces ultro citroque commeantes
vit) ita rigant; ut ſimul, vel ex ipſa quoque una
ſpectantiũ, oculos mira perfundant voluptate;
uaſi tacitè, illud (quod Græca Eccleſia in Me-
3. Januar. ſancti Sabæ verbis Deiparæ occinit)
munibus rivuli ſuſurris videantur ingeminare.
*ſponſa Numinis, aquæ in vitam æternam ſalientis, at-*
*itam eandem in cunctos homines derivantis, publi-*
*quoddam labrum, umbraculumq́; fontanum exiſtis.*
Vel certè illud, quod eadem Eccleſia S. Theo-
nis verbis 17. Januarii modulatur. MARIÆ *im-*
*ulatæ, & omnium ſanctiſſimæ Virgini, fauſtâ plauda-*
*acclamatione. Ex ipſa enim, donorum cæleſtium, quæ*
*tem humanam excedunt, ſcaturigo nobis promanat; ut*
*eſt torrens quidam bonitatis divinæ*(b) Quòd ſi quis,
ò etjam in fontes atque ſcaturigines, in eadem

B valle

a) *Apud Simonem VVagnereckium Chil.* 1. *Cent.* 1.
17. ὕδατος ἀλλομένου εἰς ἀθανασίαν ὤφθης σκήνωμα
τοῦ πηγάζοντος τὴν ζωὴν τοῖς ἀνθρώποις, θεόνυμφε.
*Apud eundem Cent.* 1. *num.* 114. Μαρίαν, τὴν ἄχραν-
τον καὶ παναγίαν ἀνευφημήσωμεν. δι' αὐτῆς γὰρ ἡ χάρις
πηγάζει τῶν ὑπὲρ νοῦν δωρεῶν, ὡς ἐκ χειμάῤῥου, τῆς
ς χρηστότητος.

valle pluribus locis erumpentes, &c, quemadmodum ſuo loco videbimus, ad medicandos tum reliqui corporis, tum oculorum morbos perquam ſalutares, reſpexerit; vix ſe cohibebit (præſertim quando unà adventantium in publicis ſupplicationibus intuebitur choros) quin cum eadem Eccleſia, verbis S. Joſephi, Deiparam interpellet: *Decantandis tibi laudibus intentos, & chorum inſtituentes ſacratum, ô* DEIPARA, *quæ es Fons vivus ac perennis, in divina, quàm de te habent, exiſtimatione confirma glorioſisq́ in cælo dignare coronis* (a) Tantam loci amænitatem, ipſum Deiparæ ſacellum, colli, uti diximus, Orientem versùs ſubjectum, & adjacentem nonnihil hinc inde deſpectans vallem, cujusdam inſtar diadematis coronat; & omnium ad ſeſe oculos, præ cæteris rapit. Et quid ni rapiat, cùm pauca, quæ ad aliorum, etiam non ſatis ſacrorum, amænitatem locorum facere poſſint, hîc deſiderentur. In ſacroſancta Æde Lauretana, Turſellino (*b*) ad loci ipſiusque Ædis amænitatem plurimùm facere videtur; *quod ſi quà uſquam, ad quatuor mundi cæliqúe regiones, ex Mathematicorum diſciplina ſita ſit; ut ſol ſub occaſum, per feneſtrā, Angeli quondam ingreſſu nobilem, veluti veſpertinus ſalutator ad B.V. accedat, quando matutinus eſſe nequit, objectu parietis excluſus.* Atqui etjam in ſacro Deiparæ Lindenſis ſacello, examuſſim propè ad easdem mundi cæliqúe Regiones poſito, non modò veſpertinus, verùm & matutinus, & meridianus, &c

(ſub

(a) *3. Ianuar. ex cent.* I. *num.* 18. τοὺς σοὺς ὑμνολόγους, Θεοτόκε, ὡς ζῶσα καὶ ἄφθονος πηγή, θίασον συγκροτήσαντας πνευματικὸν, στερέωσον ἐπὶ τῇ θείᾳ δόξῃ σου, καὶ στεφάνων δόξης ἀξίωσον. (b) *lib.* I. *cap.* 10.

ſub ſolſtitium æſtivum ) aliquantum etjam Aqui-
onaris ſalutator accedit ſol. Ad Belliſontanam DEI-
ARÆ Ædem, plurimum Ericio Puteano, qui hiſto-
iam ſcripſit, loci amænitatem commendat, ſcaturi-
inum fontiumque, à quibus loco nomen, ubertas.
d D. Weyerenſis Friderico Fornerio (*a*) tantun-
em confert, *quod vallis interjaceat peramæna, fontium
aturiginibus, & ſtagnis ac lacubus viſenda, & collibus
raciſſimis per gyrum cincta.* Colles apud Lindam Ma-
anam uſque adeò feraces ac fructiferi eſſe necdum
ſſunt, quibus vario arborum genere hactenus con-
ſtitis, ſatis fuit jucundiſſimam toti loco ſcenam
ætexere. Si tamen cultus acceſſerit, ne illi quidem
l hortos ac ſtruenda pomaria inutiles aut incom-
odi erunt. Vallis, tametſi fertiliorem habeat gle-
im, ſuperiore tamen ævo, quo ſacellum & locus
ualebat deſertus, in paludem pene deſierat pror-
s inertem. At ubi, paucos ante annos, manus ad-
otæ tandem ſunt, & foſſæ atque incilia ſuis locis
ta, pravum exſuxerunt humorem, arboreſque &
gulta (quæ integro propè ſeculo, tanquam *ſpuria
ulamina* adoleverant) exciſa vel etiam ſtirpitus re-
lſa ſunt, jam vallis non gramini modo atque ole-
ous, verùm & ſtruendis ad voluptatem deliciaſque
rtis, idoneum exhibet fundum: qui ſicut nonnihil
n excultus eſt, ita diligentiorem ſperat, adeoque
pirat cultorem. Quantum enim cultor na-
er adhibuerit induſtriæ, tantundem & lo-
ſacro decoris, & ſibi commodi atque fru-
us, nec minùs afferet peregrinis, & quibus-
mque tandem advenis, voluptatis atque

(a) *lib.* 1. *cap.* 6.

amænitatis. Ego, ſi quid veterum juxta ac recentiorum placitis geographorum eſt dandum, vix ullum, toto pene univerſo, amæniorem, & ad uſus humanos commodiorem invenio locum, quàm ſit Boſphorus Thracius: quem, ſicut Conſtantinus M. nova Roma, ex ſuo appellata nomine, ornandum; ita Petrus Gyllius juſto & erudito volumine, cùm aliis de cauſis, tum ob ſingularem amænitatem, celebrandum ſibi ſumpſit. Mihi quidem etſi omnino non ſit fas *parva componere magnis* (nam Boſphorus centum ſexaginta ſtadia longus eſt, quæ faciunt terna milliaria Germanica cum beſſe; latus verò ſtadia quatuor, quæ faciunt quingentas paſſus) licebit tamen in LINDA MARIANA aliquam Boſphori illius quaſi imaginem intueri. Boſphorus gemino, hinc Ægæo, illinc Euxino mari clauditur; Linda hinc atque inde, gemino ſubſtringitur lacu: Boſphorum Propontis Ponti Euxini finis, principium Ægæi ex altero in alterum mare ſeſe evolvens, medium interluit; Propontidem ad Lindam itidem exhibet, rivulus, cùm piſces ultro citroque, tum ſemetipſum ex uno in alterum lacum exonerans. Boſphorus Regiâ Conſtantini M. urbe, quaſi coronâ quâdam præcingitur; nos ſacellum Deiparæ diadematis inſtar toti loco Lindenſi impoſitum videmur nobis intueri. Boſphorus cum quovis, quà latè patet orbis, de amænitate certat loco: ſed neque amænitas, gratia, jucunditas & ſuavitas, quæ ad Lindam Marianam oculos animosque omnium paſcit, cuiquam minori, è vicinioribus præſertim locis, facilè concedet. Jam verò, ut commoda, quæ ad uſus pertinent quotidianos ac vulgares, majora homini-

minibus afferat Boſphorus; certè, quæ apud Lindam Marianam, non in animos modò, verùm & in corpora redundant mortalium, tanto ſunt ampliora atque auguſtiora, quanto ſacra anteſtant profanis, cæleſtia terrenis, fluxis atque labentibus æterna, divina denique humanis. Ad extremum (quod ad ſitum utriusque loci maximè facit, quodque hujus cauſæ proprium eſt) Boſphorus Thracius inter Aſiam & Europam limes eſt; ita ut Chalcedo urbs, Boſphoro orientem verſus adjacens, Aſiam aperiat, quemadmodum Conſtantinopolis, olim Bizantium, occaſum verſus aperit Europam: at verò LINDA MARIANA, quanquam in Ducatu Pruſſiæ tota ſit, quia tamen toto, quà è meridie in Boream quàm maximè protenditur, fundum Epiſcopi-Varmienſis occaſum verſus radit, haud injuriâ pro Limite inter utramque provinciam cenſeri poteſt. Ipſius certè Religionis Catholicæ, hoc præſertim infelici ſeculo, limes omnino eſt. Tametſi enim per omnem ubique Ducatum, præ Lutheranorum quoque commentis, quæ Auguſtanâ Confeſſione circumſcribuntur, primas Eccleſia Catholica, etjam civili jure, obtineat partes; adhuc tamen malum à Lutheri Pſeudo-evangelio ſatum germen, plurium mortalium in Ducatu illo obſidet mentes, ut de Orthodoxo populo, *appareant rari tam vaſto in gurgite nantes*. Spes tamen eſt haud dubia, vel ab hac LINDA MARIANA, quæ ſuper gurgitem ita vaſtum, Phari inſtar divinitus poſita eſt, ſicut olim in alias plures provincias, ita deinceps in Ducatum Pruſſiæ, quaquaverſum Catholicæ Eccleſiæ lumen ac ſplendorem longè lateque proceſſurum.

# CAPUT V.

*Lindæ Marianæ situs, etjam quoad geometrarum, geographorumq́; rationes exactus, ad pietatem religionemq́; excitandam multùm facit.*

SI locum ad geometrarum & geographorum exigamus leges, longitudinis quidem terrestris quadragesimum circiter octavum; at verò latitudinis quinquagesimum quartum obtinebit gradum, Resselium inter ac Rastemburgum civitates, inæquali aliquantum à sacro loco disjunctas intervallo; hinc enim quinque circiter, inde verò haud paulò plus ternis abest passuum millibus. Universus fundi Lindensis ambitus infra sex, ut vocant, mansos, sive intra centum octuaginta continetur jugera; mansus enim ad Culmensem, quæ hîc in usu est, decempedam subactus, tricenis constat jugeribus. Tam angusti fines, silvis & lacubus undique clausi, non unius juri atq; legibus municipii subsunt. Quantū enim rivulus, Ortum versùs mediæ præsecuit valli, municipii est Rastemburgensis, & uno dumtaxat manso, seu triginta comprehenditur jugeribus: quantum verò idem rivulus de valle occasum versùs dirimit, Sehistensis castri juri subditur, & plus aliquanto quatuor continetur mansis. Tantas loci sacri angustias, angustiores superiore anno contendebat reddere, vicini fundi possessor. Verùm causâ arbitrorum, etjam à Præfecto Rastemburgensi missorum arbitrio discussâ, limites DIVÆ Lindensis non modò integri relicti sunt, verùm & in adjacente adversarii fundo jus pastionis & pascuorum ad triginta annos acquisitum, publicisque tabulis sancitum est.

Jam verò si eundem Deiparæ sacrum locum, non modò

modò ad Pruſſiæ totius, verùm & ad univerſæ Europæ componere ambitum quis ſatagat, haud fortaſſe injuriâ illud Regii vatis (a) de ſupremo Numine, in eodem loco per opem & ſuffragia magnæ DEI Matris, tot & tanta mortalibus beneficia largiente, uſurpare poterit; DEUS *autem Rex noſter ante ſecula; operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Cùm enim Pruſſiæ univerſæ poſitus, quoad latitudinem quidem intra 53. ac 56 parallelos, quoad longitudinem verò intra 44. ac 50. fere intercipiatur LINDA MARIANA, quæ & longitudinis quidem, uti diximus, 48. & latitudinis 54 occupat gradum, propè inſtar centri, medium Pruſſiæ univerſæ locum occupabit.

Quòd ſi Caſpar Hennebergerus Tabularum Pruſſicarum haud aſpernandus architectus (b) Epiſcopatum Varmienſem, non partem duntaxat, ſed medium Pruſſiæ locum occupare dicit, quidni Lindam Marianam, quæ multo quàm integer Epiſcopatus, ad centrum totius Pruſſiæ magis accedit, medium Pruſſiæ locum occupare dicamus? Quid, quòd Europam ipſam, quæ inter Aſiam Africamque quadantenus media adjacet, dicti quadrageſimus octavus longitudinis, & quinquageſimus quartus latitudinis gradus (ut vel ipſam Europæ tabulam, cuivis oculo duntaxat libanti conſtare poteſt) mediam quoque quadantenus interſecant? ut vel hinc pateat, tum Europam orbis univerſi (ſaltem veteribus jam olim cogniti) tum Pruſſiam Europæ, tum denique Lindam Marianam ipſius Pruſſiæ medium occupare locum; ideoque umbilicum tum



(a) *Pſalm.* 73. 12. (b) *pag.* 2.

Pruſſiæ, tum Europæ, ne dicam orbis veteribus cogniti dici poſſe, non ſecus atque Livius *Ætolos umbilicum Græciæ* (*a*) aut Cicero (*b*) *Ennam urbem, Siciliæ*, aut denique alii plerumque, *Reate umbilicum* appellant *Italiæ*. Quod ſi plerique Judæam, apud Ezech. (*c*) *umbilicum terræ* dictam putant, tum ex eo, quòd medium terræ orbisque univerſi videretur locum tenere; tum potiùs, quòd (uti Cornelius advertit) gentes ex Judæa, fidem, gratiam, ſapientiam, & ſalutem à Deo ſuxerint, perinde atque infantes in utero adhuc poſiti, alimenta per maternum ſugunt umbilicum: quid vetat Lindam quoque Marianam, utraque de cauſa, tum umbilicum, per quem tot gentes atque populi, & ſalutem, & ſapientiam, & gratiam, & fidem ipſam, quotidie ſugunt, tum Medium terræ dici? Quin imò, quid obſtat, quo minus id, quod mellifluus Bernard. de Deipara Virgine univerſim (*d*) effatus eſt, nos de diva Virgine Lindenſi uſurpemus? *Operabatur* Deus, inquit ille, *ſalutem in medio terræ; in utero videlicet Virginis* Mariæ; *quæ mirabili proprietate, terræ mediũ appellatur. Ad illam enim, ſicut ad Medium, ſicut ad Arcam* Dei, *ſicut ad rerum cauſam, ſicut ad negotium ſeculorum, reſpiciunt, & qui in cælo habitant; &, qui in inferno; &, qui nos præceſſerunt; & nos, qui ſumus; &, qui ſequentur; & nati natorum, & qui naſcentur ab illis. Illi, qui ſunt in cælo, ut reſarciantur; &, qui in inferno, ut eripiantur; qui præceſſerunt, ut Prophetæ fideles inveniantur; qui ſequuntur, ut glorificentur.* Quòd ſi quis porrò, neque Orbis, neque Europæ, neque ipſi-

us adeò

(a) *lib. 5.* (b) *Act. 6. Verr.* (c) *cap. 38. 12.* (d) *ſerm. 2. Pentecoſt.*

us adeò Pruſſiæ medium occupari à Linda Mariana locum contendat, ſaltem illud lubens volensque concedet Lindam Marianam inter Ducatum Pruſſiæ ac Varmienſem Epiſcopatum, mediam quaſi interjacere; & B. Virginem, ſecundùm DEUM & Filium ſuum (ut Apoſtoli verbis (a) utar) facere *utraque unum: & medium parietem maceriæ ſolvere.* Solvit enim, & quidem planè quotidie ſolvit, quando murum illum, quem peccata mortalium, DEUM inter & ipſos (non diſſimili conatu vel potiùs furore, quàm vel apud veterum Gigantes, vel apud impios Turris Babel architectos fuêre) ad cælum ipſum uſque perduxerant, ſuis apud Filium precibus demolitur; ut eâ causâ illi Græca Eccleſia (b) jure occinat: *Tuo partu naturam ſuperante, disjectus eſt medius paries, qui propter maledictum nos à* DEO *divellebat, atque unà nos naturæ divinæ connexi ſumus: Filius quippe tuus, eos, qui Te, uti Deiparam colunt, per gratiam in filios adoptat.* Adhæc *ſolvit*, quando Eccleſiæ Catholicæ pomeria intra Pruſſiæ Ducatum feliciſſimè producit ac provehit. Hoc enim pacto, *parietem maceriæ*, aut potius murum (quem, non jam legitimi aliqui Pruſſiæ Ducatus moderatores ac magiſtratus; ſed impiiſſimi hæreſeon architecti, Eccleſiæ Religioniique Catholicæ, ad ipſos Ducalis Pruſſiæ limites, perpetuum, & quodammodo adamantinum eſſe cupiebãt) fortunatè ac gloriosè disjecit; aut non tam disjecit, qui nunquam

 ſub-

(a) *Epheſ. 2. 14.* (b) ἐῤῥάγη τὸ τῆς ἀρᾶς ἡμῶν μεσότοιχον, τῷ ὑπὲρ νοῦν τόκῳ σου, καὶ τῇ θείᾳ φύσει συνήφθημεν, ὁ τοῦ θεοῦ υἱὸς ἐχρημάτισεν υἱοθετήσας χάριτι, τοὺς θεοτόκον σὲ γεραίροντας.]

ſubſtructus fuit, neque ullo etjam civili jure ſubſtrui potuit; quàm, ne ſubſtrui poſſet, pro ea, qua apud Deum & mortales poteſt ac pollet, authoritate perfecit. Inſuper *ſolvit*; quando, ut ad mentem Apoſtoli intimiùs loquamur, *inimicitias interfecit*; interfecit, inquam, ac quotidie, ſi non in ſemetipſa, certè in Filio ſuo, interficit magis ac magis; quando illa ſectariorum odia, & accenſos ità inflammatosque olim animos, ita ut in Eccleſiam Catholicam Catholicosque omnes, etjam in proximo ſitos, malignè ſemper arderent atque exæſtuarent, ita ſenſim domuit ac domat, ut plerique eorum, extinctis illis flammis, certare etjam humanitate ac benevolentiâ cum orthodoxis non deſiſtant. Ad extremum, ne illud quidem inficiari quisquam poterit, LINDAM MARIANAM, illiusque causâ DEIPARAM Virginem, inter Ducatum Pruſſiæ & Epiſcopatum Varmienſem, jam ſe olim *Mediam* ſtatuiſſe; quando & Ducatui, jure municipii, & potiore Religionis jure Epiſcopatui obnoxiam ſe ita voluit eſſe; ut in eam uterque provincia utriusque paries, quaſi in lapidem angularem coiret, quoad tandem in verum illum, *à* DEO *poſitum, lapidem ſummũ, angularem, electum, precioſum*, 1. Pet. 2. 6. una coaleſcant. *Talem quippe* (ut jam cum Richardo à S. Laurentio lib. 1. de laud. Virg. cauſam concludamus) *decebat eſſe Matrem, ut Mediatrix Mediatorem, lapis angularis, lapidem pareret angularem*: in quo, juxta Eph. 2. 20. *ſummo angulari lapide Chriſto* JESU, etjam ii, qui nunc ſunt hoſpites & advenæ, aliquando tandem *ſuperædificentur ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum; cives Sanctorum & Domeſtici* DEI. Quod

ut

utquàm primùm fiat, ipſa Lindenſis DEIPARA adjuvabit: de qua etjam uſurpari quodammodo poteſt, quod de ipſa Deipara uſurpavit B. Amadæus. *Ipſa Virgo virginum* (inquit ille hom. I.) *vernans floribus, & in fructuum ſuavitate delicians, apparet Media & velut Arbor, plantata in mèdio Paradiſi, attollit verticem in altitudinem cæli, & de ſuperno rore concipiens fructum refert ſalvatorem.*

## CAPUT VI.

*Primordia & prima ſacelli Lindenſis origo, ex unico, quod è veteribus ſupereſt, monumento, ſeu privilegio, ab Ordine Theutonico fundi Lindenſis poſſeſſoribus dato, inveſtigantur.*

QUi prætergreſſam fugientemvé in aliquo ſaltu feram veſtigant, nonniſi ad impreſſa, ſi quæ uſpiam ſe offerunt, feræ veſtigia reſpiciunt: non ſecus faciunt ii, qui rerum perenni temporum lapſu decurrentium, aut aliquâ inſuper hominum pravitate intereuntium, memoriam, quaſi è curſu reprehendere conantur, nonniſi ad monumenta, ſi quæ ſuperſunt, tanquam ad veſtigia, debent reſpectare. Etſi verò, cū ipſo Lindenſi ſacello, pleraque etjam illò ſpectantia monumenta, hæreticus furor ſuſtulit, non deſunt tamen paucula, quæ nos ad primam illius quoque ſacelli originem, quaſi quodam Ariadnæ filo, utcunque ducant. Hæc verò inter, principem ſibi vendicat locum, Jus & Privilegium Joanni Langerbein, à Joanne Tieffenio, Ordinis Theutonicorum tricesimo ſecundo Generali Magiſtro, IV. Idus Oct. Anno Domini M. CCCCXCI. datum. Quod quidem ipſum per ſeſe in membrana exaratum, ſigilloq; etjamnum munitum, uti & geminū illius exemplar (quorum alterū

è Ta-

è Tabulario Eccleſiæ Cathedralis Varmienſis, per D. Michaëlem Schambogen, ejusdem Eccleſiæ Canonicum & Cancellarium; alterum verò per Magiſtratum Roſſelienſem, ex civitatis Actis tranſumptum eſt) cùm ad manus noſtras integrè pervenerit, non debuit hoc loco plurimis de cauſis præteriri. Eſt autem è Theutonico in Latinum, eâ, quâ par erat, fide, hunc in modum à nobis traductum.

Joannes à Tieffen, Ordinis Fratrum Hoſpitalis S. Mariæ, Theutonicæ Domus in Hieruſalem, Generalis Magiſter. Notum facimus, & omnibus ac ſingulis, hasce literas noſtras lecturis vel audituris, teſtatum eſſe volumus: quòd Joanni Langerbein, fideliter nobis dilecto, ob ſingularia in Ordinem noſtrum merita, ab ipſo jam præſtita, & tum ab ipſo deinceps, tum ab legitimis ipſius heredibus poſterisque, nobis Ordinique noſtro præſtanda, Tabernam, juxta ſacellum Lindenſe ſitam, unà cum manſo agri & horto (quæ, de prædeceſſoris noſtri gratia & conſenſu, à Petro Vogler emerat) concedendam & inſcribendam eſſe duximus: quemadmodum memorato Joanni Langerbein, legitimisque ejus hæredibus ac ſucceſſoribus, prædictam tabernam, cum manſo agri ac horto, juxta dictum ſacellum Lindenſe, in territorio Raſtenburgenſi, intra limites à noſtris fratribus deſignandos ſitam, vi & vigore literarum harum de facto concedimus & inſcribimus. Ad hæc damus & concedimus eidem, legitimisque illius heredibus ac ſucceſſoribus, duos manſos ſilvæ, in Sehiſtenſi Territorio, inter lacum Denau, & limites Epiſcopatus ſitos, quemadmodum iidem ab Ordinis

dinis noſtri Fratribus monſtrati ſunt: in agris,pratis, ſilvis,arbuſtis,paludibus,prorſum ab omnibus operis, angariis, & laborum oneribus liberos, jure Culmenſi æternùm poſſidendos. Inſuper concedimus illi judicia minora,quoad vulnera,& livores; majora verò nobis & Ordinis noſtri dominio reliquimus dijudicanda. Quòd ſi quis etjam memorato Joanni Langerbein, legitimisque illius heredibus & ſucceſſoribus, intra ſilvas aut limites illorum, damnum quodpiam intulerit, mulcta iisdem cedere debebit.

Cæterùm Joannes Langerbein, ejusque legitimi hæredes ac ſucceſſores,de Taberna quotannis die S. Martini Epiſcopi,ſacerdoti Ordinis noſtri, qui ſacellum Lindenſe curabit, unam bonam marcam, uſualis in Pruſſia monetæ pendet. Si verò ſacellum illud ſacerdos Ordinis noſtri non curabit, cenſus, ei, qui ex Ordine noſtro Præſidem Raſtenburgi aget, pendetur. Volumus etjam, ne quisquam,ſive in majoribus Dominæ noſtræ feſtis, ſive quovis alio per annum die, citra ſcitum & conſenſum prædicti Joannis Langerbein,ejusque heredum ac ſucceſſorum, ullum genus cereviſiæ, in eorundem præjudicium, venum proponat. Concedimus etjam illis, liberam in duobus lacubus, Denau & W.rbel dictis, piſcationem minoribus inſtrumentis,& ad eorum tantùm uſum,non autem ad vendendum: ſimiliter & in foſſa juxta Tabernam, uti & in aqua ex Skatenicht Reſſelium decurrente, quantum, citra Ordinis noſtri damnum uſus permittet. In perpetuam hujus rei fidem, literis hisce ſigillum noſtrum appendi curavimus

mus;quæ datæ ſunt in caſtro noſtro Rhein,die Diviſionis Apoſtolorum, Anno à Nativitate Domini 1491. Teſtes horum fuerunt Reverendi, ſpectabiles, & ſpirituales Ordinis noſtri,dilecti ac devoti Domini ac Fratres, Stephanus à Streitberg major Commendator,Rudolphus à Dippelskirch Commendator in Rhein, Dominus Nicolaus Creuder Capellanus noſter,& Canonicus Regiomontanus; Wilhelmus ab Eiſenberg Bartenſis, Joannes à Wallenfels Raſtenburgenſis Præfectus; Jordanus à Bergrode,& Eckardus à Reichstag ſocii noſtri; Liborius & Joannes Notarii noſtri, aliique multi fide digni. Concedimus etjam ipſi illiusque heredibus in ſupraſcripto ad ſacellum horto apes ſervare, & iisdem omni meliori modo uti, frui.

Atque ex hoc Privilegio,præter cætera,quæ œconomiam temporalem,reliq; familiaris & fundi incrementum concernunt, illud ad cauſam præſentem maximè videtur pertinere. Principiò quidem, quod illo ipſo,quo privilegium eſt conceſſum,nonageſimo primo ſupra milleſimum quadringenteſimum anno, tum ſacellum ipſum Lindenſe jam viguerit (ita,ut ſacerdotem,curionis adinſtar,vel ex ipſo Ordine Theutonico, vel aliunde ſumptum, jam haberet) tum diverſorium ſive Taberna,ob populi ad locum ſacrum confluentis frequentiam jam poſita, atq; eo jure ſtabilita fuerit,ut cùm, non majoribus duntaxat Virginis Deiparæ feſtis,verùm & aliis per annum diebus, populo undique agminatim concurrenti,præter alias merces,etjam poculenta ab extraneis (quod & nunc quoque poſtliminio increbreſcit) proponi venum cæpiſſent, ea poteſtas extraneis adempta ita ſit, ut

ſolis Lindenſis fundi poſſeſſoribus relicta fuerit integra. Alterum verò eſt illud, quod ſacer Lindæ Marianæ locus, multis retro temporibus coli, adiri, frequentarique cæperit. Cùm enim ob loci & ſacelli religionem indies magis efflorefcentem, populi quoq; frequentia indies augeretur; & ad populi, locum ſacrum ſacellumq; ipſum frequentantis, uſus diverſorium ſive Taberna neceſſariò fuerit extructa; liquere manifeſtò debet, & tabernam ſacello, & ſacellum ipſum, populi viſitantis concurſu atque frequentiâ, multò eſſe poſteriora; ut ita & ante conditum ſacellum religio loci ſacri plurimum viguerit; & ante poſitam tabernam, etjam ſacellum (cujus causâ tabernam conſtat fuiſſe conditam) non minùs, quàm ipſa tilia ſacello incluſa (de qua cap. 13.) tum florem, tum odorem longè lateque ſparſerit ſuum. Accedit, quòd Privilegium, per Generalem Ordinis Theutonicorum Magiſtrum Joannem à Tieffen Anno 1491. collatum, palàm commemoret, tabernam & manſum diu antè, ſub Tieffenii anteceſſore (qui fuit Martinus Truchſeſius à Wetzhauſen, in Magiſtrum Ordinis Anno 1477. quatuordecim videlicet ante privilegium collatum annis lectus) fuiſſe à Petro Voglero poſſeſſum, ac poſtmodum Joanni Langerbein venditum. Cùm verò & manſi & taberna, cultum celebritatemque, ſolius causâ ſacelli, uti diximus, habuerint; nefas eſt ambigere, quin Linda Mariana, ante illum annum & proxima illi anno tempora, diu ante viguerit. Petrus enim Voglerus, qui proximè antecedentis Generalis Magiſtri temporibus, Lindam vendiderat, aliquanto utique temporis intervallo Lindam antè poſſedit: & poſ-

& poſſeſſionem illam, vel à majoribus ſuis hereditate, vel alio juris titulo ab extraneis adiit: ut non dubiè credendum ſit, fuiſſe alios, qui ſub initium ſeculi decimiquarti, Petrum Voglerum in poſſeſſione Lindæ præceſſerint; adeoque ſub illa ipſa ſeculi decimiquarti initia, tum Linda, tum Lindenſes Panegyres non minimùm viguerint. Quid ſi verò, etjam ante dictum quartumdecimum ſeculum Lindam & Lindenſes Panegyres viguiſſe, aliquâ ratione aſſeramus? Conſtant Raſtemburgum, ad cujus municipium Lindenſis fundus pertinet, ſub Annum Domini M.CCCXXIX. eſſe conditum, & à requie, quam milites Theutonici, bellis alibi defeſſi, reſtaurandis viribus captare Raſtenburgi ſolerent, quaſi caſtrum ſive *Arcem quietis*, ac refocillationis fuiſſe nuncupatum. Quid ſi porrò Deus, eodem propè loco ac tempore, quo homines corporum ſuorum quieti ac tranquillitati, Arcem & quoddam quaſi Aſylum ſtruebant, multò opportunius ac magis neceſſarium, quieti ac refocillationi animorum Aſylum atque Arcem erigebat? Quid ſi magnus ille Belli Imperator, ut milites ſui (quibus, Apoſtolo (a) pronunciante) *non eſt colluctatio adversùs carnem & ſanguinem; ſed adversùs Principes & poteſtates; adversùs mundi rectores, tenebrarum harum; contra ſpiritalia nequitiæ in cæleſtibus*) tantis & tam periculoſis belli tempeſtatibus defeſſi, ne dicam, graviter perſæpe afflicti, vulnerati, ac propè fracti, ſuum non modò receptum, verùm & aſylum, & quietis neceſſariæ refocillationisque apud Lindam Marianam, tanquam apud multò auguſtius diviniusque

(a) *Epheſ. 6, 12.*

que *Raſtenburgum*, paratam haberent Arcem, tutiſſimamque ſtationem, à primo tempore, quo illud belli genus ac pericula cæpêre, paternè providebat? Quando enim piiſſimus ille *Samaritanus* noſter (*a*) *de Ieruſalem in Iericho deſcendentibus*, & tot tantorumque immanitate latronum ſauciatis, quin & *ſemivivis relictis*, non continuò adeſt? Quando eosdem ita miſerrimè afflictos, aut *infuſo vulneribus oleo & vino*, non refocillat? aut *ſuo* inſuper *jumento impoſitos & ad ſtabulum*, hoc eſt, uti Græcus quoque ac Syrus legunt, ad Diverſorium *ductos non curat*? Et quid ſunt aliud tot, & tam illuſtria Deiparæ Virginis templa atque Ædes, perinde illius cultu atque innumeris ſanitatum gratiis, toto orbe conſpicua, quàm quædam divini Samaritani noſtri diverſoria? vel unum hoc Lindenſe diverſorium, fidem hîc abunde faciat. Quotus enim quisque non animo duntaxat, verùm & corpore plerumque ſaucius, eò accedit, quin continuò, & animi, & corporis vires ac robur (ſæpe etjam ultra ſua ſuorumque vota, ſed non ultra pietatem beneficentiamque Samaritani cæleſtis) reſumat? Quis enim (ut cum magno illo Conſtantinopoleos Patriarcha S. Germano, hom. de Zona Virginis, Deiparam ipſam alloquamur) *quis*, inquam, *poſt tuum Filium, curam gerit generis humani, ſicut Tu? Quis ita nos defendit in noſtris afflictionibus? Quis in ſupplicationibus adeò pugnat cum peccatoribus?* Quid ni verò, & cum mellitiſſimo Bernardo (*b*) eandem inſuper appellemus? *Ergo beatam Te dicent omnes generationes, Genitrix* DEI, *Domina mundi, Regina cæli; quæ omnibus generationibus vitam & gloriam*



(a) *Luc.* 10. 33. (b) *ſerm. in Fer.* 2. *Pentecoſt.*

*gloriam genuiſti. In Te enim Angeli lætitiam, juſti gratiam, peccatores veniam invenerunt in æternum. Meritò in Te reſpiciunt oculi totius creaturæ: quia in Te, & per Te, & de Te, benigna manus Omnipotentis, quidquid creaverat, recreavit.*

## CAPUT VII.

*Sub primum Chriſtianæ in Pruſſia religionis exordium, cultum quoque & venerationem DEIPARÆ, ad Lindam Marianam videri exortam.*

QUanto fædior, &, ſupra barbararum quoque gentium morem, inanior juxta ac immanior, gentilium quondam Prutenorum idololatria fuit; tanto altiores in animis miſerrimorum egerat radices: ut neque ipsâ temporum diuturnitate aboleri; neque clariſſimâ jam Chriſtianæ fidei, per univerſum orbem radiantis luce perſtringi; neque ad extremum vi bellicâ, quanquam ſæpius varieque admotâ, extirpari facilè poſſet. Conſtat, armis Theutonicorum Ordinis B. Virginis militum denique extirpatam eſſe, qui, cùm à Conrado Maſoviorum Duce ſub Annum Domini 1226 invitati, & tum à Rom. Pontifice Honorio III. tum à Friderico II. Imperatore, adversùm infideles miſſi, ſub Annum 1233. Pruſſiam ingreſſi, paganos integro propè ſeculo fortiſſimè, vario interdum Marte, oppugnâſſent, tandem & terram, & terrâ ipsâ aſperiores contumacioresque infidelium animos expugnaverunt, ac Jesu Chriſto, ejusdemque Vicario, Romano Pont. ſubjecerunt; totidemque victoriæ Trophæa, quot ſive Arces, ſive Urbes, ſive Templa, ad elegantiæ pariter ac fortitudinis Chriſtianæ normam expolita, feliciſſimè, quà latiſſimè Pruſſia patet, ſtatuerũt. Inter quæ principem,

DEO

DEO ita providente, locum obtinuiſſe LINDAM MARIANAM deinceps patebit. Sæpius antè Pruteni, per varios ad Chriſtum non modò vocati, verùm & traducti cùm eſſent, ad Idola nihilominus ſua poſtliminio relapſi ſunt. Qui iis Chriſti Evangelium annunciavit primus (fundamento aſſertionis ſumpto ex vitâ ejus, per Marcellinum collegam ſuum ſcripta, in qua iſte inſignis Apoſtolus narratur Boructuariis prædicâſſe) fertur S. Suitbertus fuiſſe, in Anglia ſub Annum æræ Chriſtianæ DCXLVII. natus, & cùm biennium in Pruſſia; haud pænitendo fructu prædicâſſet, in Germaniam, unde venerat, reverſus, ibidemque ſub Annum DCCXVII. uti teſtis eſt Surius ad 1. Martii, fato ſuo eſt defunctus. Duobus propè ſeculis exactis, S. Adalbertus Pragenſis primùm in Boëmia, deinde Gneſnenſis in Polonia Archiepiſcopus, eadem prædicationis Evangelicæ apud Boruſſos laxavit retia: etſi hic, præter egregiam Martyrii palmam, vix alium ullum in Pruſſia Evangelii fructum tulit. Sub ipſum enim prope in Pruſſiam aditum, juſſu *Krivve Kyrvvayto*, ſupremi ſacrorum impiorum præſidis, à ſacrificulis, quos *VVaidoletos* pagani appellabant, haud procul Fiſchhauſen oppido, ad ipſum maris Balthici littus, crudeliſſimè fuit interemptus: quo loco, Eccleſiam S. Martyri ſacram, & in ea majorem Aram, vitâ & miraculis ejusdem depictis hodieque ſpectabilem, olim verò plurimis illuſtrem anathematis, quorum vix unum ſupereſſe (ferreum nempe Teli ſpiculum, quod Erhardus à Reifenſtein, magni inter Theutonicos milites & nominis & dignitatis vir, cum ex arcu in ſe jactum annos quatuor-

decim intra caput eſſet paſſus, tandem liberatus, divo Adalberto, uti Patrono ſoſpitatorique ſuo, argenteâ catenulâ appenſum, unà cum expreſſis in ſcutulo argenteo inſignibus ſuis, dicavit (uti Hennebergerus quoque *(a)* teſtatur) nos ipſi, paucos ante annos, coram ſpectavimus. Sed & alia quoque Ædes ſacra, quatuor fere paſſuum millibus urbe Gedano diſſita, eidem S. Adalberto olim dicata, etjamnum extat; in qua ejusdem Sancti corpus, à barbaris in fruſta conciſum, iterumque in ſeſe integerrimè coalitum, priùs, quàm Boleslai Chabri, Polonorum Regis curâ & ſtudio Gneſnam deportaretur, quieviſſe aliquandiu, fertur. Pleraque, quæ Simon Grunau, inter rerum Pruſſicarum ſcriptores facilè princeps, de S. Adalberto memorat, ipſi ſectariorum Miniſtelli, ut ex vano minimè hauſta, recipiunt: illud tamen, quòd diſſecti corporis partes in ſe coierint, atque integrè coaluerint; corpusque ipſum in ſe ita reſtitutum, ſacroque amictu decorum, lucidam nubem præeuntem, & ad proximè memoratam ædiculam tanto intervallo (interjacent enim Gedanum inter ac Fiſchhauſum, etjam quà mare Balthicum iter aperit, quindena minimum germanica milliaria) deducentem ſecutum pervenerit, pro inſigni fabulâ habent; inſigniores ipſi, cùm aliàs ſemper, tum hac in cauſa, fabulatores; præſertim verò Mislenta, qui *(b)* primum omnium, qui Prutenos ad Chriſtum conatus ſit convertere, fuiſſe Boleslaum, decimum quartum Boëmorum Ducem aſſerit, *miſſo*, ut ille ſcribit, *in Pruſſiam S. Adalberto circa Annum Chriſti* 988. cùm tamen, non

(a) *pag.* 19. (b) *pag.* 4. 8.

non modò Hennebergerus, loco citato, S. Adalbertum, non uti Pragenſem, ſed uti Gneſnenſem Epiſcopum (proinde non à Boëmiæ Duce, ſed à Rege Poloniæ) miſſum aſſerat; verùm & ipſe Mislenta ſibi ex adverſo (*a*) fateatur, propè trecentis retrò ſeculis, ſub Annum 965. *ſaltem in certa Pruſſiæ parte*, à Mieſcone, ſeu Miecislao Duce Poloniæ, plantatam in Pruſſia Chriſtiana religionem fuiſſe. Cæterùm, quod tum Miecislaus Dux, fundatis, in Pruſſia, Lobavienſi, & Caminenſi in Pomerania Epiſcopatibus inchoavit; tum S. Adalbertus, Pruſſorum Apoſtolus, Evangelicæ prædicationis tubâ promovere conatus eſt, Miecislai Ducis filius, Boleslaus *Chabrus*, vel potiùs, ab aſpredine linguæ ita dictus, *Chrobrus*, victorioſiſſimus, &c, ſupra plurimos, glorioſiſſimus Polonorum Rex, eximiè provexit. Necem enim S. Adalberti, quem in Boruſſiam, divino monitu abeuntem, ægerrimè ab ſe paulò antè dimiſerat, armis ulturus, aliquot interjectis annis, Prutenos aggreſſus, victricia ita quaquaverſum circumtulit fortunatiſſimè arma, ut (quemadmodum etjam Hennebergerus (*b*) tradit) & *Balgam* fortitudinis Pruſſicæ, & *Rykoioth* ſive *Romovve*, ſuperſtitionis barbariſſimæ Arcem, de qua proximè agemus, ſub Annum Domini 1014. expugnârit. Fractis eo bello viribus, Pruteni pacem ita impetraverunt, ut & tributum Regi Polono penderent; & fidem Chriſtianam, à Rege, primo præcipuoque inter conditiones loco, oblatam ſuſciperent; Victorque Rex columnam ferream, in Oſſa fluvio, ad villam *Slupy* (à columna ſcilicet ita appellatam)



(a) *pag. b.1.* (b) *pag. 466.*

quà fortitudinis, quà religionis Chriſtianæ, æternum collocaret Trophæum. Verùm Pruteni, & tum, & ſuccedentibus poſtmodum temporibus, ſub Boleslao Crivouſto, aliisque Poloniæ Principibus, æquè ad ingenium, atq; ad ſuas rediére ſuperſtitiones; quoad tandem à Marianis Theutonici Ordinis militibus, uti diximus, domiti ſunt. Quanquam & ab his ita domiti, intra centum non integros annos, iterum ſexies, uti Simon Grunau toto tractatu octavo diffusè proſequitur, à fide, divinâ juxta ac humanâ, deflexerunt: ad extremum tamen CHRISTO, & Magnæ DEI Matri, quæ per ſuos milites, barbariſſimam è Pruſsia ſuperſtitionem profligavit, victas omnino dederunt manus. Quis enim ambigat, Deiparam, quam Ferdinandus II. glorioſiſsimus Imperator, Exercituum ſuorum omnium Imperatricem delegerat, & *Generaliſſimam ſuam* appellitare ſolebat, jam olim ſuo Ordini fuiſſe Imperatricem, atque Belli-ducem? Vel ipſi Barbari, & quidem oculis quoque ſuis, id experiri ſæpe potuerunt, uti quidem ſub ſecundæ defectionis tempora Anno circiter M.CCLVII. experti ſunt. F. Theodoricus Chriſtburgenſis Præfectus (quod vel ipſe Hennebergerus Prædicans fatetur pag. 45.) non ampliùs, quàm centum viris, quà ex ſuo Ordine, quà è peregrinis mercenariisvé ſecum aſſumptis, Paganorum fines in Hockerlandia, cujus nunc caput Elbinga eſt, latè vaſtârat, & ubere cum præda regreſſus, in grandem paganorum exercitum incurrit. Cùm nulla ad evadendum pateret via, animoſiſsimè in hoſtem invectus, ſimul in conſternationem, ſimul in fugam omnes vertit. Cæſis plurimis, captivi ingenuè faſſi, non

non tam ſe ab exercitu, quàm à cæleſti Bellatrice proſtratos. Sub ipſum enim prælii exordium, viſam ab ſe inclytam formâ Virginem, quæ Ordinis & Chriſtianorum vexillum in aëre explicuiſſet, & ſe ita conſternâſſet, ut nonniſi fugâ elabi ſibi poſſe viderentur. Quo ego tempore cenſuerim Chriſtianam Religionem, uti & LINDÆ MARIANÆ ſacellum efflореſcere in Pruſsia cæpiſſe; ut idipſum, non minus, quàm ſint, vel fuerint ferreæ Boleslai Regis columnæ, videatur divinæ in Pruſsia conſtitutum relictumque victoriæ Trophæum; de quo jam uberiùs erit agendum.

## CAPUT VIII.

*Linda Mariana, devicta in Pruſſia Idololatria, quoddam quaſi Trophæum divinitus conſtitutum.*

DEcuit profectò, frondentem ac ſemper floridam, uti paulò pòſt videbimus, DEIPARÆ Lindenſis Tiliam, divinæ per Marianos milites & ipſam MARIAM, de tam immani Idololatria, victoriæ eſſe monumentum; non minùs quàm vel Olea, vel Quercus, vel Palma fuit; & adhuc ſolet eſſe ſeculi hujus victoribus. Quid ſi verò, Mariana hæc Tilia (à qua Germanis Linda Mariana ſumpſit nomen) portentoſis illis Quercubus, quæ impiæ ſuperſtitionis & Idololatriæ apud Prutenos ſedes erant, divinitus ex adverſo poſita atq; conſtituta fuit; ut ſicut illæ, tametſi monſtroſæ eſſent magnitudinis, cum impiiſſimis tamen ac vaniſſimis gentium illarum ſuperſtitionibus prolapſæ tandem corruerunt; ita hæc, non minùs quàm ipſa Religio Catholica, ſi non in ſe (invidit

enim tiliæ Marianæ gloriam iſtam, ſectariorum, & ipſius, qui ſectarios agitabat, Satanæ furor) certè in Linda Mariana æternùm vireat ac frondeat? Sex erant Prutenorum gentilium, quæ præcipuè colebantur, idola; *Potollo, Perkunus, Potrimpus, VVurſchkaitus, Svvaybratus*, & *Gurko*; omnium autem eorum cultus & ſuperſtitio, ad Quercus quaſi religata & fixa erat. Eas verò inter Quercus, duæ potiſſimùm in Provincia Natangia, quà magnitudine, quà vetuſtate cæteriſque portentis eminebant. Altera earum, eo prorſum loco ſita erat, ubi nunc *Heyligenbeil* oppidum eſt; olim quidem à profano barbarorum cultu & idolomania, quæ ad dictam quercum viguit, *Svvantomeſt*, ſive Hieropolis, aut ſacra civitas dicta; poſtmodum verò à Securi, quâ tandem quercus exciſa fuit, *Heyligenbeil* Germanis appellata. Colebatur in ea quercu Idolum *Gorko*, ſive *Curcho*, à Maſoviis uti Grunau aliique memorant, ad Prutenos translatum; quod, quemadmodum cibis, obſoniis, generiſque omnis eſculentis ac poculentis credebatur præeſſe; ita frugum quarumvis, uti & mellis, & farinæ primitiis, alicubi verò in Hockerlandia ſeu Pogeſauia Provincia, etjam piſcibus primo loco captis, & ſuper immane ſaxum, quod in ſinu Balthico inter undas eminet, crematis honorabatur. Ante omnia verò igne perpetuo, è quercus lignis accenſo, numinis profani cultus ac veneratio conſtabat. Quæ, cùm *Anſelmus*, primus Epiſcopus Varmienſis (qui quatuor duntaxat inde paſſuum millibus, Pontificiam ſedem Brunsbergæ fixerat) haud ignoraret; ut paganos, ab impio cultu, ad Chriſtum & Chriſtiana ſacra perduceret, cum pleriſ-

pleriſque ſuorum eò profectus, tantum apud Idoli illius cultores perfecit concionando, ut quercum & magnitudine, & perenni frondium foliorumque virore inſignem, cui Idolum *Gorcko* inſiſtebat, facilè à Chriſtianis, ſi qui tantùm auderent, paterentur exſcindi. Ad Epiſcopi imperium quidam & manum & ſecurim quercui extemplo admovet: ſed (quod etjam Hieronymo Pragenſi, ſub Vitoldo Principe, Lituanis Chriſtum annuntianti, lucosque idolorum exſcindenti, poſtmodum eveniſſe Æneas Silvius in corpore rerum Polonicarum (*a*) memorat) bipennis quercui admota, atque impacta, reſilit, & Chriſtianum, qui impegerat, exultantibus triumphantibusque barbaris, non leviter vulnerat. At Epiſcopo ſancto, neque fides, neque in præſente Dei & Eccleſiæ cauſa, animus deeſſe potuit. Ipſe quocirca, ſecuri arreptâ, quercum adoritur; breviſſimoque temporis intervallo, ſuis ſuorumque manibus ſucciſam, igne, quem Chriſtiani præſentes admôrant, unà cum idolo demolitus eſt. Pagani, eo miraculo attoniti ſimul ac commoti, & ipſi Chriſto nomina dederunt, & locum à ſacra illa ſecuri appellandum deinceps ſtatuerunt. Jam verò altera Quercus, quæ potior ac multo celebrior impuræ ſuperſtitionis erat ſedes, in eadem provincia Natangia, loco *Romovve*, ſive *Rikaioth*, ſive, à primario principeque idolo nomen ſortito, *Potollo*, octo circiter leucis à priore diſſita erat: ſed & hanc, non longo poſtmodum intervallo temporis, Joannes à Miſnia, Varmienſis itidem Epiſcopus, demolitus eſt; ut vel ab ipſis hiſce Epiſcopis, Idololatriam



(a) *Tomo I. pag. 3.*

Prutenorum *in ſecuri & aſcia*, ut verbis Regii Prophetæ (*a*) utar, *dejicientibus*, ipſa Varmiæ Provincia, Aſciæ vel Securis figuram, in ipsâ geographicâ Pruſſiæ tabulâ, exhibere contemplantibus videatur: niſi fortè quis malit Samſonis, aut potiùs ejus, cui Samſon proludebat, contundentem Philiſthæos Mandibulam in eadem contemplari. Majorum duntaxat gentium idola, *Potollo, Perkunus, & Potrimpus*, in ea ſibi quercu locum vendicabant; reliqui enim tres Deaſtri, uti minorum gentium erant, ita Quercus ac ſedes minùs nobiles occupabant: præſertim *VVurſchkaitus & Svvaybratus*; quorum alter *VVidevutus* olim Prutenorum Rex, alter frater illius erat *Brudenus*, vel potiùs *Prutenus*; uterq; ſe in decrepita jam ætate, pro ſuorum omnium ſalute devovit; &, ut Deorum commercio jam fruituri, quemadmodum promittebant, ſuorum facilius maturiusque promoverent ſalutem, ultro ſe in pyram, è ſiccis lignis quernis accenſam, jactantes, vivi abſumpti, Deorum inſtar poſtmodum habiti cultique ſunt. Ut autem, quæ de Idolis ipſis, præſertim verò de dictis Idolorum principibus memorantur, horrenda propè ſunt; ita quæ de Quercu illa referuntur, & rara admodum, & mira. Si enim magnitudinem ſpectes, diameter ad ſex omnino cubitos, ſive geometricos pedes duodenos protendebatur; ut proinde ambitus ipſe arboris (quem peripheriam geometræ vocant) ad cubitos octodenos ſeu pedes triginta ſex neceſſariò protenderetur. Haud ignoro, vaſtiorem etjam fuiſſe quercum, quæ ante quinquaginta circiter annos corruit, juxta oppidum Welau in pago Oppen dicto; quæ (ut (*b*) Hennebergerus, non ſuo duntaxat, ſed etjam Welavienſis Magiſtra-

(*a*) *Pſalm. 73. 6.* (*b*) *pag. 472.*

tus teſtimonio probat ) non octodecim, ſed viginti ſeptem cubitos ſive pedes quinquaginta quatuor, quoad ambitum complexa fuerit; ita, ut in ejus cavo (cavam enim intrò vetuſtas ipſa reddiderat ) eques, quantumvis magno inſidens equo, circumagere ſe in gyrum poſſet; quod & Albertus primus Pruſſiæ Dux, & filius ejus itidem Albertus fecerunt; ſed, ſi quid mole ſuâ magnitudineq; cæteris, quercus *Rikojothana*, certè nihil omnino aut ſpecie, aut cultu, quo apud infideles eximia erat, ulli concedebat. Rami quippe, foliis ac frondibus, hieme juxta ac æſtate ( Dæmonum utique operâ atque induſtriâ interveniente) ſemper virentibus, mutuum inter ſe nexi, ut ne pluvia quidem perſtillare ac pervadere uſquam poſſet, triplici in altum nodo ac vertice, ſive potiùs cono, in ſublime ita tuburcinabantur; ut una in quercu, tergemino Idolo, tergemina ſedes, admodum commodè diſtincta eſſet. Primum in ea quercu locum tenebat *Potollo*, ſive (ut alii verius, ipſo Dæmonis nomine, Dæmonis artes putant expreſſas ) *Pokollo*, ſeu *Pikollo*; cui promiſſa & cana barba, caput faſciâ candidâ, adinſtar diadematis, redimitum; facie, quæ & hominem, & equum, & ſimul bovem referebat, pallidâ ac ſurſum proſpectante. Tam monſtroſo capiti, mortuorum hominum ac jumentorum capitibus, ſacra fiebant, adjecto feſtis diebus ſebo, ſive adipe ollis ingeſto. Si quis, maximè ex opulentioribus, ſacra neglexiſſet, ſpectris nocturnis iterum atque iterum exagitatus eſt: quod ſi tertiùm ſpectra fuiſſent repetita, ſanguine humano placari Dæmonium oportuit. Simul igitur atque flaminum ſive *VVaidoletorum* quiſpiam, placandi illius causâ, ſanguinem è ſuo ſibi

corpo-

corpore elicuit, Idolum, editâ ſat validâ admurmuratione, reconciliatum ſe indicabat. Alterum locum tenebat in eadem quercu *Perkunus*, fulminis (ut ipſum nomen, etjam Lituanis uſitatum, indicat) tempeſtatumque ætherearum Deus habitus, igneam prorſus, & ira ardentem faciem præferebat, uti & caput flammis coronatum, & criſpam innodemque nigri coloris barbam; cui perenni, & quidem è quernis, admodumque aridis lignis, accenſo igne ſacrificabatur. Quòd ſi porrò ignis aliquando fuiſſet extinctus, ſacrificulus, cujus id oſcitantiâ accidiſſet, capite facinus illud luebat. Tertium *Potrimpus* imberbi ac lætantium ridentiumque in morem liberaliter exporrectâ facie, referebat juvenem, caput viridante è ſpicis coronâ præcinctum. Ridebat enim Perkuni, torvum in ſe tuentis, ſive immanitatem, ſive vanam ſine viribus iram. Et tamen huic quoque, ita ſcilicet miti ac manſueto numini, tum ſerpente, intra vas fictile, manipulis frumenti ſemper adopertum, lacte à ſacrificulis nutrito; tum cerâ & thure accenſo; tum denique effuſo innocentum ſanguine infantium, ſacra fieri neceſſe fuit. Idolis eum in morem Quercum inſidentibus, quercus ipſa, æſtate juxta ac hieme (quod vel hominum faſcino, vel Dæmonum ope fieri creditum) ſemper virens ac viridis, velis ac ſipariis, ſeptem cubitos in altum elatis, obtegebatur; Archiflamine (quem ipſi *Kirvvaito*, quaſi Divûm mentem, alii verò *Krivve*, denique alii, utroque nomine junctim *Krivve Kirvvaito* appellabant) & cæteris ſacrificulis ſeu Weidolatis, è propinquo habitantibus: cæteris procul exeſſe juſſis, tanquam profanis mortalibus;

bus; nec, niſi ſublatis aut paulùm remotis velis, cùm ſacra fierent, introſpicere quandoque permiſſis.

Quercum iſtam, plus quàm Dodonæam, tum Boleslaus Chobrus Poloniæ Rex, uti innuimus; tum quidam è Maſovia Chriſtiani, uti (a) Hennebergerus teſtatur, magis excuſſiſſe videntur, quàm evertiſſe. Evertit verò, uti jam diximus, Joannes Varmienſis Epiſcopus, hujus nominis primus: qui cùm Anno Domini M.CCCLV obierit, minimè dubitem, jam ſub idipſum tempus, quo ferales illæ falſorum numinum Quercus ſubruebantur, LINDAM MARIANAM, quæ everſæ in Pruſſia Idololatriæ, Trophæum, atque monumentum deinceps perenne eſſet, viguiſſe ac floruiſſe. Neque enim minùs, ad evertendam in Pruſſia Idolomaniam crediderim valuiſſe Tiliam Marianam, quàm ad edomandam ejusdem gentis barbariem ac ferociam, valuit illa in Pruſſia itidem Quercus, de qua Æneas Silvius (b) ita ſcribit: *Fratres Theutones, quos S. MARIÆ diximus appellari, ſumptis armis, brevi tempore quidquid Prutenici juris circa Viſtulam fuit, occupavere. Exin tranato fluvio, vetuſtam & latè patulam Quercum, in caſtelli modum erectis propugnaculis, iuxta ripam munierunt. Ibi collocato præſidio, ulteriores Prutenos vexare cœperunt. Pugnatum eſt ſæpe pro Quercu, & ingentes paganorum copiæ fugatæ, ac deletæ ſunt. Bellum pluribus annis productum eſt; ad extremum fortuna, Fratrum imperio arridens, omnem Pruſſiam eis ſubiecit. Victæ barbaræ nationes iugum ſubiêre.* Non ſecus ad Tiliam Marianam non jam ferro, ſed cæleſtibus armis, contra Idololatriam dimicatum; quoad tandem

Pruſ-

(a) *pag. 466.* (b) *Tomo I. corp. hiſt. Polon. pag. 5.*

Pruſsia Chriſti jugum ſubiit, & DEIPARÆ Victrici, ab Eccleſia Catholica acclamatum eſt: *Gaude* MARIA *Virgo! cunctas hæreſes ſola interemiſti, in univerſo mundo.* Cui quidem Epinicio, cum S. Cyrillo Alexandrino hom. cont. Neſtorium, ego libens volensque accino. *Sit etiam Tibi, ſancta* DEI *Mater, laus. Per Te Trinitas ſanctificatur. Per Te, Crux precioſa celebratur, & adoratur, in toto orbe terrarum. Per Te omnis creatura Idolorum errore detenta, converſa eſt ad agnitionem veritatis; atque in toto orbe terrarum conſtructa ſunt Eccleſiæ. Te adiutrice Gentes, veniunt ad pænitentiam. Quid plura? per Te unigenitus* DEI *Filius, vera illa lux, effulſit ſedentibus in tenebris & umbra mortis.* Quemadmodum igitur, tum ſub Joanne Zemiſce, tum ſub Joanne Comneno, Conſtantinopolitanis Imperatoribus, in imagine ſuâ, currui triumphali impoſita (uti Zonaras tomo 3. & Nicetas Choniates memorant) Deipara Virgo de victis proſtratisque gentibus barbaris, triumphum egit: ita poſtmodum in ſua itidem imagine, de qua paulò pòſt agemus, apud ſuam Tiliam Marianam jam olim triumphavit, & nunc, quamvis peſſundatâ per ſectarios imagine, triumphat: ut hæc quoque ſuo jure dici poſsit *Nicopæa*, quemadmodum & illa, quâ dicti Orientis Imperatores ſunt uſi. De qua præſtat ea, quæ ex Carolo Quirino in Atlantis Mariani Idea, pag. 102. ſcribuntur, audire. *Nicopæa Imago, id eſt, victorioſa, quæ Venetiis in Ducali Templo ſervatur, ea eſt, per quam Iuſtinianus Vandalos, Iuſtinus Perſas, Zemiſces Bulgaros, Comnenus Scythas, Narſes omnes hoſtes domuit. Nec Zemiſces & Comnenus aliter triumphârunt, quàm quòd Imaginem hanc Currui triumphali glorioſè impoſitam, ipſi præierint; equo Zemiſces, Comnenus pedes.*

CAPUT

# CAPUT IX.

*Ad providentiæ divinæ rationes quodammodo pertinebat, de proſtrata veterum Prutenorum Idololatria, quaſi Trophæum ſuper Tiliam Marianam ſtatui.*

FUit is, & eſt Sapientiæ ac Providentiæ divinæ mos, & quidam quaſi genius aut indoles; ut ruinis ipſis ſarciat ac reſtauret univerſa: & non tam nova condere, quàm, aut vetera ad meliorem revocare formam, aut novis quaſi coloribus illuſtrare videatur. *Ob eam cauſam* (lubet enim S. Gregorium Nazianz. de hoc argumento (*a*) diſſerentem audire) *Veteri Novum ſubſtitutum eſt; ac pro unaquaque rerum noſtrarum, unaquæq; res eius, qui nobis ſublimior eſt, repenſa: novumq; myſterium factum eſt illa, quæ per benignitatem contigit circa eum, qui per inobedientiam cecidit, diſpenſatio. Idcirco generatio & Virgo; idcirco præſepium & Bethleem. Generatio propter effictionem; Virgo, propter mulierem; Bethleem propter Eden; præſepium propter Paradiſum.* Sicut igitur hominem, qui non erat, condidit Deus: ita hominem, qui per peccatum miſerrimè perierat, reſtauravit Homo-Deus: & ſicut homo per fructum Arboris ceciderat; ita per fructum Arboris, cùm cecidiſſet, fortunatiſsimè erectus reſtitutusque eſt. Qua de re, ſacrum pæana, non ſine gaudio, univerſa Eccleſia ita modulatur; (*b*)

*De parentis protoplaſti*
*Fraude factor condolens,*
*Quando pomi noxialis*
*In necem morſu ruit*
*Ipſe lignum tunc notavit,*

*Damna*

(a) *orat. I.* (b) *in Hymno de Paſſione.*

*Damna ligni ut ſolveret*
*Hoc opus noſtræ ſalutis*
*Ordo depopoſcerat;*
*Multiformis proditoris*
*Ars ut artem falleret;*
*Et medelam ferret inde*
*Hoſtis, unde læſerat.*

Jam abunde ſpectavimus, quantopere veteres Pruſſiæ incolas, vetus ille ab Orco proditor, per ligna & arbores dementârit; qui omnem vaniſſimorum idolorum cultum in arboribus fundârat; addecebat proinde ſapientiam ac providentiam divinam ut veram religionem, & cultum ſibi debitum, per Arborem in Pruſſia erigeret: & de Idololatricis Pruſſiæ quercubus, ſuper tiliam, in Pruſſia itidem ſitam, triumpharet. Unde hic quoque locum habeat, quod de Triumpho per lignum ſanctę Crucis peracto, eadem Chriſti Eccleſia ſibi gratulatur, & divino numini gratias agit (*a*) quòd, *ſalutem humani generis in ligno Crucis conſtitueris; ut, unde mors oriebatur, inde vita reſurgeret; & qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur.* Oriebatur profectò in Pruſſia, è ligno mors; quando omnis veterum Pruſſorum Idololatria (quâ quidem nulla præſentior eſſe poteſt humano generi mors) in arboribus ſita, majores ac firmiores in animis mortalium, quàm illæ ipſæ arbores in terra, uti ſpectavimus, radices egerat; addecebat proinde, ut per Arborem quoque vita reſurgeret; & depreſsâ idolorum ſuperſtitione, orthodoxa per Tiliam Marianam religio atque pietas, firmiſſimas in animis eorun-

(a) *in Præfat. de Cruce.*

eorundem mortalium radices ageret. Quoniam verò *mors*, per arbores *oriebatur*, idcirco per eaſdem arbores, idem ille proditor, *in ligno vincebat*; & inſolentiſſimos, ſuper illas Quercus, non tam de Deo, quàm de miſeris mortalibus, triumphos agitabat; par omnino videbatur, *ut etiam in ligno vinceretur*; & per Tiliam Marianam, tam de Idololatria, quàm de Idololatriæ ita fædæ authore, Trophæa ſtatuerentur. Non deſunt ( uti Hennebergerus (*a*) teſtis eſt ) qui Pruſſiam, cum Palæſtina ſeu Terra ſancta comparari poſſe cenſuerint; tum ex eo, quòd, uti Palæſtina in duodecim tribus, juxta numerum filiorum Iſraël, ita Pruſſia, juxta numerum totidem filiorum Widevuti Regis in duodecim provincias diviſa ſit; tum multò etjam magis ex eo, quòd, uti Palæſtina, ita etjam Pruſſia, ob mellis, butyri, & lactis, omniumque frumentorum ac rerum copiam atque ubertatem, *Terra melle, & lacte fluens*, ad mentem vel phraſin S. Scripturæ, dici potuerit; uti quidem olim eadem de cauſa Germanis, regio adipis ſeu abdominis, vulgo Schmärgrub dicta fuit: fortaſſe etjam non deerunt, qui vel ob fluminum, fontium, & lacuum copiam tantam, quantam alibi vix inveniant ( ita ut lacus, quorum minimus quatuor manſos, ſive millia jugerum ſedecim amplitudine ſuâ complectatur) bis mille triginta ſeptem numerentur ) cum Pentapoli (quæ, ut ſacræ literæ (*b*) memorant, *univerſa irrigabatur, priusquam ſubverteret Dominus Sodomam & Gomorrham, ſicut Paradiſus Domini* ) conferri poſſe cenſeant: ego, ſi quà cum Paradiſo, etjam terreſtri, inſtitui com-



(a) *in libro de veteribus Prutenis.* (b) *Gen.* 13.10.

paratio poteſt, non aliò, quàm ad Lindam Marianam reſpexerim, quæ quaſi *Lignum vitæ*, in medio, ut vidimus, Paradiſi iſtius poſita, ad totius provinciæ, quin & aliarum quoque gentium ſalutem, uberrimos, tot jam ſeculis, fructus profert. Quod enim de ipſa Deipara Virgine Concilium Epheſinum (a) dixit, dici etjam de Linda Mariana quadantenus poteſt. *Maria in unum nos coëgit. Hæc impollutus, & purus ille impollutæ Virginitatis Theſaurus, decusq; & ornamentum: hæc ſpiritalis ſecundi Adami Paradiſus.* Et quantos, quæſo, cuneos mortalium in unum apud Lindam ſuam toties cogit? &, cui non aut impollutum Virginitatis theſaurum, aut ſpiritalem ſecundi Adami Paradiſum aperit? ut proinde illud quoque Damaſceni (b) locum hîc habeat; *Hodierno die Eden, ſpiritalem novi Adami Paradiſum, ſuſcepit; in quo condemnatio abrogata; in quo Lignum vitæ conſitum, in quo nuditas noſtra contecta eſt:* Quin & illud Eccleſiæ Græcæ in Menæis 5. Januarii. *Tu, ô undique immaculata, tanquam lignum vitæ, Chriſtum germinâſti, qui omnibus ad vitam aperuit aditum* (c) Denique & illud Canticorum (d) *Emiſſiones tuæ paradiſus.* De quo quidem Emiſſionum Paradiſo Rupertum infrà (e) audiemus Philoſophantem.

CAPUT

(a) *cap.* 7. (b) *Orat. 2. de Dormitione B. V.* (c) σὺ γὰρ πανάμωμε, ὡς ζωῆς τὸ ξύλον, Χριστὸν ἐξήνθησας, τὸν τὰς εἰσόδους τῆς ζωῆς πᾶσι γνωρίσαντα. (d) *cap.* 4. 13. (e) *lib. 1. cap. 26. ſub finem.*

# CAPUT X.

*Ad eaſdem providentiæ divinæ rationes videtur pertinuiſſe, ut Eccleſia Chriſti in Pruſſia recens plantata, per Deiparam, & ſacram ipſi Lindam foveretur ac propagaretur.*

POſteaquam Chriſtus Dominus, Eccleſiam per ſe, diſcipulosque ſuos in terris plantatam, deſerere, & decurſo peregrinationis ſuæ ſtadio, cælis ſeſe reddere, ad dexteram Patris æterni conſeſſurus, neceſſe quodammodo habuit; mirum videri poterat, quid ita Deiparam Matrem ſuam, in eodem peregrinationis terrenæ ſtadio reliquerit! longè enimverò dignisſima, & jam olim merita illa erat, ut illos à morte eſurgentium, Matth. 27. 53. & triumphali pompâ imul cum Chriſto aſcendentium cuneos, Pſalm 67. 9. non comitaretur modò, verùm & longiſſimo anteverteret intervallo. Verùm eæ tum caritatis, tum rovidentiæ divinæ erant rationes, ut Filio recèns lantatam in terris Eccleſiam deſerente, Mater necum deſereret; quin imò vicariam quodantenus oeram navando, teneras, & vixdum fixas humi plans, ſolidaret. *Apoſtoli* (inquit ad veterum Patrum ıentem in Hiſtoria Deiparæ Chriſtophorus de Caro cap. 18.) *Feliciter ſecum actum exiſtimabant, omnes, òd* JESU *ad dexteram Patris conſidente, Mater eius in rris ſuperſtes remaneret; cuius precibus germinans proveretur Eccleſia, conſiliis iuvaretur, ac denique docuntis erudiretur.* Et S. Brigitta in ſermone Angelico p. 19. *Aſcendente Filio ad ſuum Regnum, Virgo* MARIA *hoc mundo ad bonorum conſolationem & errantium rectionem, remanere permiſſa eſt. Erat enim Magiſtræ oſtolorum, confortatrix Martyrum, Doctrix Conſeſſo-*

*rum, clariſſimum ſpeculum Virginum, conſolatrix Viduarum, in coniugio viventium ſaluberrima monitrix, atque omnium in fide Catholica perfectiſſima roboratrix. Apoſtolis namque ad ſe venientibus, omnia, quæ de ſuo Filio perfectè non noverant, revelabat, & rationabiliter declarabat.* Et longè antè Euſeb. Emiſſenus, vel alius ſub hoc nomine, ſerm. 2. *Omnia verba hæc in corde ſuo ideo conferebat, nobiſq; conſervabat, & memoriæ mandabat, ut poſtea ipsâ docente, ipsâ narrante, & nuntiante ſcriberentur, & in univerſo mundo prædicarentur, cunctiſq; nationibus nuntiarentur. Ab ipſa hæc Apoſtoli audierunt, & ipsâ dictante ſcripſerunt, nobiſque legenda mandaverunt.* Nam, uti S. Erneſtus primus Pragenſium Archiep. cap. 143. ſui Marialis ſcribit, *Mariæ omnium Sanctorum humillimæ, multò meliori modo quàm Paulo, data eſt gratia, evangelizare inveſtigabiles divitias gratiæ Chriſti; & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio ſacramenti abſconditi à ſæculis in* DEO*: ut innoteſcat Principibus & Poteſtatibus, in cæleſtibus, per Eccleſiam multiformis ſapientia* DEI. Denique non deſunt è ſectariis, qui eam Deiparæ laudem haud negent. In Chronico Carionis, per Melancthonem & Peucerum aucto, ad XLIII. Chriſti Annum, cùm de morte Deiparæ memorant: *Fuit ergo*, inquiunt, *ſuperſtes poſt Reſurrectionem Filii annos aliquot, & vidit initia Eccleſiæ eius temporis, multa ingentia miracula & ſupplicia Sanctorum: & conſiliis ſuis rexit Apoſtolos.* Sed & ipſi Apoſtoli cæteriique Diſcipuli omnes, eam Deiparæ, ex hujus vitæ ſtatione decedenti, unâ voce laudem tribuerunt, ſi quidem fides Eccleſiæ Græcæ tribuenda eſt; & quidni, niſi ab improbis & perfidis, tribuatur? Sic enim in Menæis

(a) ipſam

(a) ipſam Deiparam alloquuntur. *Aderant inter Diſcipulos, Dionyſius Areopagita, Hierotheus quoque ac Timotheus, uti Antiſtites intelligentiâ rerum divinarum illuſtres. Hi omnes Virginem ad hunc modum allocuti ſunt. Te, ó Domina, in hoc mundo degentem, non ſecus, atque ipſum Dominum & Magiſtrum noſtrum, intuentes, ſolatio & gaudio affluebamus.* Quod ſi patrocinium DEIPARÆ, tantopere fuit utile, ut neceſſarium videri poſſet univerſæ Chriſti Eccleſiæ, quid ni & recèns in Pruſſia fundatæ ? præſertim, cùm DEIPARÆ ope, per Marianos Theutonici Ordinis Milites potiſſimùm eſſet plantata ? Ergo, cum aliis pluribus in Pruſſia locis, tum verò apud Lindam Marianam, quaſi quoddam gratiarum Tribunal Deipara fixit; quò omnibus latè pateret aditus; & tantum inde quisque caperet beneficiorum, quantum ad ſua, vel potiùs DEI Deiparæque vota laxâſſet animorum ſinum. Si enim perinde prompti paratique ad capiendum eſſent animorum noſtrorum ſinus, atque effuſæ ſunt ad largiendum benigniſſimi in nos Numinis manus, nuſquam tot modis ac viis, quibus DEI in nos beneficia redundant, eſſet opus. Verùm enimverò, ut ii, quibus palatum, vitio aliquo obbrutuit, variis ad excitandam orexin condimentis cupediisque opus habent; a nobis ad accendenda rerum divinarum vota, laxandosque ad beneficia ſinus, opus eſt aliquo bonorum irritamento. S. Salvianus lib. 2. ad Eccleſ. Catol. *Extendit Deus ſuper ſpes noſtras, munera ſua; & quod eſt maximum ac rariſſimum, dona illius etiam tua vota vi-*



(a) σὲ, δέσποινα, μένουσαν ἐν τῷ κόσμῳ, ὡς αὐτὸν τὸν δεσπότην ἡμῶν καὶ διδάσκαλον βλέποντες προεμυθούμεθα.

*ta vicerunt*. Et Baſilius Seleuciæ orat. 2. *Parturiens beneficentia ſua munera & habere clauſum penes ſe theſaurum impotens, non eſt contentus prioribus, neque rebus antè dilargitis ſua dona circumſcribit.* Quod cùm per ſe facere poſſet, plerumque per Sanctos, ac potiſsimùm per B. V. facit, juxta illud Cant. 5. *Manus eius tornatiles*, ſive, ut alii legunt: *Manus eius ſphæra cæleſtes*: quia per cælites, non ſecus ac per ſphæras cæleſtes donorum ſuorum influxus effundit, maximè per B. V. quia, ut S. Anaſtaſius Synaita lib. 3 Hexam. ait, *verſatus eſt Chriſtus cum proprio orbe, nempe cum* MARIA. Placuit igitur ſupremo Numini ad orexin rerum divinarum in mortalibus identidem excitandam, loca certa beneficiis divinis illuſtria, eorundem oculis objicere; ut eorum locorum, beneficiorumque in iis divinitus conceſſorum, fulgor, primùm quidem oculorum, tum verò intimam animorum perſtringeret aciem: mortaleſque cognoſcerent, quò, & ad averruncandos corporis animique morbos, & ad poſtulanda cumulatiſsimeque haurienda, Divinæ liberalitatis beneficia ſeſe reciperent. Quo autem conſilio, vel potiùs, quâ causa, hoc aliové potiùs loco iſtos liberalitatis beneficentiæque ſuæ aperiat fontes, quis vel divinando ediſſerat? *Vbique quidem* DEUS *eſt*, inquit more ſuo graviſsimè ſapientiſsimeque D. Auguſtinus (a) *& nullo continetur, vel includitur loco; veruntamen ad iſta, quæ hominibus viſibiliter nota ſunt, quis poteſt conſilium eius perſcrutari, quare in aliis locis hæc miracula fiant, in aliis locis non fiant? Multis enim notiſsima eſt ſanctitas loci, ubi B. Felicis Nolenſis corpus conditum eſt; quò voluit,*

(a) *Epiſt.* 157.

*voluit, ut pergerent; quia inde vobis facilius fideliusq; ſcri-bi poteſt, quidquid in aliquo eorum fuerit divinitus propa-latum. Nam & nos novimus Mediolani, apud memoriam Sanctorum, ubi mirabiliter & terribiliter Dæmones con-fitentur, furem quendam, qui ad eum locum venerat, ut falſum iurando deciperet, compulſum fuiſſe confiteri fur-tum, & quod abstulerat, reddere. Nunquid non & Africa ſanctorum Martyrum corporibus plena eſt? Et tamen nuſ-quam hic ſcimus talia fieri. Sicut enim, quod Apoſtolus di-cit, non omnes Sancti habent dona curationum, nec o-mnes habent dijudicationem ſpirituum; ita nec in omnibus Memoriis Sanctorum iſta fieri voluit, qui dividit propria unicuiq; prout vult.* Sicut igitur in confeſſo eſt, nulli aut loco aut rei creatæ divinam obſtringi ſive po-tentiam, ſive beneficentiam (neque tamen prohibe-ri, quo minus certis ſive ſanctis cælitibusque ſuis, ſive etjam locis ab ſe delectis, certas quaſi addicat bene-faciendi opitulandique facultates) ita pariter, *hoc etiam* (uti Cottonus (a) inquit) *concedi oportet, ibi eſſe* DEI *beneficia & cæleſtia dona quærenda, ubi illa benignè oſtentat; & ubi magnificentiùs, ſua fontes humanitatis & liberalitatis aperit: idque ſine ullo metu erroris atque fraudis; cùm ea loca, aut cælites honorantur, quos ipſe* DEUS *ſuis muneribus & favore inſigniter cohone-rat.*



(a) *lib. I. inſtit. cap. 24.*

# CAPUT XI.

*Deipara Virgo, eodem fere tempore, Catholicam religionem, ex Oriente, tum in alias Occidentis Provincias, tum in Pruſſiam quoque translatam, per ſuam Lindam Marianam, aliaq; ſibi ſacra loca fovet, ac ſingulariter provehit.*

SOlenne omni ævo fuit, & eſt, ſupremo Numini illud Eccleſiaſtici (*a*) plus quàm politicum axioma: *Regnum à gente in gentem transfert, propter iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diverſos dolos.* Spectari hoc potuit, tum in tot, & tantis ſeculi hujus regnis; tum in ipſa quoque, quæ DEI regnum eſt, Eccleſia. Quoties hoc Regnum, vel intra novi fæderis ætates translatum? Quoties illud Matthæi (*b*) non tam verbo, quàm ipſâ re ingeminatum: *Auferetur à vobis Regnū* DEI, *& dabitur genti, facienti fructus ejus?* Quoties, ut diſertiſſimi, inter Judæos, Philonis utar verbis, *Verbum* DEI *choros duxit, & adhuc ducit? Ecce iſte venit* (decet enim translatos hosce, ab extremis Orientis finibus, in Pruſſiam uſq; choros, in divino Salomonis dramate (*c*) quaſi ob oculos nobis poſitos admirari) *Ecce*, inquā, *iſte venit, ſaliens in Montibus, tranſiliens colles!* venit profectò, *ſaliens in montibus*, quando per tot, ac tantas Orientis Eccleſias, Montium inſtar, ſupra fundamentum Apoſtolorum, Orientaliumque Doctorum ac Patrum, in ſublime erectas, per tot ſecula triumphabat: venit poſtmodum *tranſiliens Colles*, quando pleraſque earundem Eccleſiam (quæ per hæreſes & ſchiſmata, nuſquam uberius, quàm in Oriente ſemper provenientia, è Montibus in Colles detru-

(a) *cap.* 10. (b) *cap.* 21. 42. (c) *Cant.* 2. 6.

detumuêre) *tranſiliit*; & Regnum Dei, inde ablatum, *dedit genti facienti fructus ejus*. Factum id, tum anterioribus ex parte temporibus; tum verò maximè duodecimo Æræ Chriſtianæ ſeculo, quando ob pervicaciſſimum Photii, aliorumque Græcorum, jam quaterdecies ab initio cum Eccleſia Romana conſenſu concordiaque reſilientium, fœdiſſima ſchiſmata, ſive ob innexas incluſasque ſchiſmati *iniuſtitias, & iniurias, & contumelias, & diverſos dolos*, tum contra omnes Latinæ Eccleſiæ Ordines, tum, vel maximè, contra Pontificem Romanum, vaniſſimè conſutos, Orthodoxa in Oriente Eccleſia, per ſuccreſcens imperium Sarracenorum, aut penitus extincta eſt, aut extinctæ ſimilis videri potuit. Tametſi enim variis, cum cæterorum barbarorum, tum eorundem Sarracenorum cladibus, Eccleſia Imperiumque Orientis, fuit anterioribus temporibus attritum, utcunque tamen aliquandiu ſtetit; præſertim Regum ac Principum Occidentis ſuffultum armis, & Gothofredi Lotharingi aliorumque Jeroſolymæ Regum (qui ſub M.XX. Chriſti Annum, Jeroſolyma, Palæſtinamque recêpere, uti teſtis oculatus Gulielmus Tyri Archiepiſcopus (a) memorat) viribus ac virtute firmatum. At ubi etjam tum, *iniuſtitiæ, & iniuriæ, & contumeliæ, & diverſi doli*, exundârunt; & ſecundùm cæteras Chriſtianorum arces, ultima quoque Ptolemais, vulgo *Acon* (quæ poſtremum Chriſtianis receptum apud Phænicem dederat) per deditionem in manus barbarorum venit, translatum eſt de gente Orientis, ad extremam propè Occidentis in Pruſſia gentem, Dei

D 5 Re-

(a) *lib. 3.*

Regnum. Mariani enim Milites Ordinis Theutonici, qui & toto illo Belli ſacri tempore, maximum rei Chriſtianæ momentum attulerant, & poſtremi deinceps Ptolemaida fortiſſimè defenderant, occupatâ tandem à barbaris urbe, primùm Venetias, deinde in Germaniam, aliasque Europæ Provincias & Regna ac denique in Pruſſiam, uti memoravimus, transgreſſi, Religionem, & Eccleſiam Chriſtianam ſecum in Pruſſiam traduxerunt. Quoniam verò iisdem temporibus, præter inſtitutos, à S. Dominico, & S. Franciſco, aliisque quibusdam, Regularium Ordines (qui Eccleſiam occidentalem totumque adeò orbem, uti vel unicus S. Dominicus in catello facem præferente per viſionem divinam præfiguratus docuit, illuſtrârunt) ad fundandas vel ſtabiliendas in Occidente Eccleſias, pluribus locis ſacra Deiparæ loca atque Ædes, coruſcare miraculis ac beneficiis divinis cæperunt; ne quid ea ex parte, plantatæ apud Prutenos Eccleſiæ deeſſet, abunde ſuccurſum eſt per Lindam Marianam; è qua, cum Deiparæ Virginis cultu ac veneratione, Religio Chriſtiana, miraculis inclareſcere, proindeque & per univerſam Pruſſiam latiſſimè diffundi cæpit. *Miracula enim ſunt introitus ad fidem*, uti præclarè (*a*) aſſeruit D. Auguſtinus: qui etjam (*b*) contra Epiſt. Manich. non dubitavit ſcribere, *Catholicæ Eccleſiæ authoritatem Miraculis eſſe inchoatam, vetuſtate fundatam*: & alibi (*c*) palàm ait, *Culmen authoritatis obtinuiſſe Eccleſiam Catholicam; Hæreticis Miraculorum maieſtate damnatis.* Et ſanè, par omni-

(a) *lib. 9. Confeſſ.* (b) *cap. 4.* (c) *lib. de utilit. credendi cap. 17.*

omnino videbatur, ut novellæ apud Prutenos Eccleſiæ, vixdum fixæ radices; illo Miraculorum beneficiorumque divinorum imbre rigarentur; cùm is eo ipſo tempore, Eccleſiis per Italiam, Hiſpaniam, aliasque orbis Chriſtiani Provincias, uberrimè afflueret. Sub illud enim tempus, Anno circiter M.CCXCI. (ut ex Illyricis Annalibus Turſellinus (a) memorat, Domus Lauretana, haud dubio Angelorum miniſterio, inde uſque à Galilæa, mirum dictu audituque! per ingentes terrarum mariſque tractus (quippe id ſpacium patet amplius vicies centena paſſuum millia) in Dalmatiam primùm, paulò verò pòſt in Italia aliquot ſubinde locis conſedit, quoad demum Laureti apud Picenos, ſummo Eccleſiæ Occidentalis, totiusque Europæ bono, ſtabilem fixit ſedem. Sub idem quoque tempus (quo natalis B. Virginis domus Italiam) Belgium Ædes Divæ Hallenſi ſacra, Chriſtianam rem, miraculis juxta ac beneficiis ornare incepit. Nam cùm S. Eliſabeth Andreæ Regis Hungariæ (qui Anno M.CCII. Lipſio teſte (b) vixit) filia, filiæ itidem ſuæ Sophiæ è Ludouico Haſſiæ Landgravio ſuſceptæ, Henricoque Brabantiæ Duci deinceps nuptæ, inter alia maternæ pietatis munera, ſtatuas aliquot Virginis Deiparæ reliquiſſet; Sophiæ Machtildem mariti ſui ſororem, Machtildis verò, ſub Annum M.CCLXVII unâ earum ſtatuarum Hallenſe Templum apud Hannonios; ſtatuâ verò illâ, aut potiùs per ſtatuam, magna Dei parens, non modo Hannonios, Belgiumque univerſum, verùm & reliquas Europæ Provincias, plurimis maximiſque benefi-

nefi-

(a) *Hiſt. Laur. lib. 1. cap. 2.* (b) *cap. 2.*

neficiis donavit, & ad hanc uſque diem cumulatè ex eo tempore donat. Quanquam enim ante Annum Domini M.CCCC. pauca literis conſignata queratur, quin & indignetur Lipſius (a) *Multa tamen eveniſſe, vel è tam frequenti Divæ Hallenſis cultu, quem non niſi beneficiis & miraculis probabile eſt provocatum*, idem Lipſius opinatur. Adhæc, ſub eadem tempora, miraculis & divinis beneficiis (quæ Ottho Zilius libris quatuor eſt complexus) apud Silvaducenſes in Belgio, ſtatua B. Virginis rem Chriſtianam ſingulariter promovit. Licèt enim Zilius (b) ante M.CCCLXXX Annum, pauca Divæ Silvaducenſis, quæ memoret, invenerit miracula, *non tamen deſunt*, ut ipſe quoque aſſerit, *qui miraculorum Silvaducenſium primordia, Anno Chriſti 1380. vetuſtiora exiſtiment.* Sed & apud Francones in Germania, Weyerenſis Deiparæ Ædes, in Babebergenſi Diæceſi ſita, haud procul iisdem temporibus, Germaniam, vicinasque Provincias, quà miraculis, quà eximiis in genus humanum beneficiis, illuſtrare atque ornare eſt aggreſſa. Tametſi enim Eccleſia illa, jam ante ab Ottone I. Deiparæ extructa, & paulò pòſt ab ejusdem nepote Ottone II. Bambergenſi itidem Epiſcopo, ſecundùm D. Bernardi obitum, Anno Domini M.CLXXXVIII. Ordini Ciſtercienſi addicta fuerit, uti Fornerius (c) author eſt; nihilominus haud ſatis conſtat, utrum ipſis fundatæ Eccleſiæ primordiis, an ſuccedentibus temporibus (quando videlicet Ziſcano illo Taboritarum aliorumque Huſſitarum furore exciſa, poſtliminio fuit reſtituta) clareſcere miraculis occæperit. Deni-

que,

(a) *cap.6.* (b) *lib.1.cap.4.* (c) *lib.1. cap.5.*

que, ne plura ad idem inſtitutum neceſſe ſit aggerere (nam, ut Bohuslaus Balbinus (*a*) de B.V. Wartenſi ſcribit, *Anno* 1280. *Cellenſis Virgo ſuam ingreſſa eſt Cellam, & Vilvordiæ Diva Conſolatrix, aliæque in Batavia complures eâ tempeſtate ſe prodidêre miraculis*, ipſaque adeò Wartenſis, ut idem in fronte libri ait, miraculis ab Anno M. CC. illuſtrata eſt) circa eadem tempora, ſimul ac Religio Chriſtiana caput in Pruſſia extulit. At inter plurimas magnæ DEI Matri conſecratas ædes, duæ mihi videntur præ cæteris fuiſſe eximiæ; altera quidem Gedani, apud Lindam verò Marianam altera. Illa, ut fortè nullis olim claruerit miraculis (quis enim illa eruendi copiam habeat, quæ hæreticorum furor, ſupra unius jam ſeculi intervallum, aut penitus ſubruit, aut vecorde ſupprimit diligentiâ?) claruit tamen, tum eximia fabricæ operiſque amplitudine & majeſtate, de qua cum pleriſque Europæ baſilicis etjamnum queat contendere; tum minimè vulgari tantæ urbis erga Deiparam ſtudio atque pietate; ob quam, ſicut ipſa à Deipara nomen fuit ſortita, ita propinquo urbis vico, qui vulgo *Dominæ noſtræ platea* dicitur, appellationem dedit. Jam verò altera hæc noſtra apud Lindam, licèt magnitudine ac mole cæteris facilè cedat, miraculis tamen, ac ſingularibus DEI Deiparæque beneficiis, quibus & olim Catholica religio fundata firmataque eſt, & nunc firmatur, pleraſque, ne dicam omnes alias in Pruſſia ſitas, longè antevertit. De quibus cùm uberius deinceps ſit agendum, ſatis nunc erit de Diva Lindenſi, quod Eccleſia Græca univerſim de Deipara ca-

ra ca-

(a) *lib. 1. cap. 6. §. 2.*

ra canit (*a*) converſâ ad illam oratione, uſurpare. *Miraculorum tuorum fulgore, quo eximiè tuis præluces, dolorum & tribulationum fuliginem diſſipas, internamque hilaritatis lucem illis expandis, qui magnis omnino laudibus Te, velut* DEI *Matrem, colunt.*

## CAPUT XII.

*Deipara Virgo, pro ea, quâ apud* DEUM *& poteſtate & dignitate excellit, Lindam in Pruſſia, gratiis ac beneficiis ab ſe diſtribuendis, opportunam delegit ſedem.*

Plè omnino, nec minùs verè, Pius II. Summus Pont. in aureo calice, quem B. V. Lauretanæ dicârat; hoc epigrammate calici eidem inſcripto (ſicuti author eſt Turſellinus (*b*) Deiparam ita alloquitur: *Pia* DEI *Genitrix. Quamvis tua poteſtas, nullis coarctetur finibus, ac totum impleat orbem miraculis; tamen, pro voluntate, ſæpius uno loco magis, quàm alio delectaris; & Laureti Tibi placitam ſedem, per ſingulos dies, innumeris ſignis & miraculis exornas,* &c. Poſſemus & nos propè paria, apud Lindenſem Deiparæ ſedem, vota appendere. Quod enim poteſtatem & beneficentiam, quam eo loco ſpectamus, attinet; nullis prorſus arctatur finibus; ut non in curia, cum digniſſimo Lipſii diſcipulo Erycio Puteano (*c*) de Diva V. Bellifontana, dicere nobis liceat; *Virgo* DEI *Mater, aliquid habere* DEI *capit, poſtquam ad cælum & Filium evecta eſt; divinæ clementiæ & bonitatis radios, in cultores ſuos, liberali*

(a) ὑπεραστράπτουσα πᾶσι, τῶν θαυμάτων τῇ αἴγλῃ των σῶν, τὴν των παθῶν καὶ θλίψεων ἀπελαύνεις ὀμίχλην, καὶ φῶς τῆς εὐφροσύνης νοητὸν ἐφαπλοῖς, τοῖς μητέρα θεοῦ σε μεγαλύνουσιν. (b) *lib. I, cap. 26.* (c) *cap. I.*

*rali quodam lucis fonte derivans. Quæ ubique beneficia, dona, thaumata? Aut fallor, aut hæc omnia pietatis poſſis præmia appellare:* vel cum Friderico Fornerio de B. V. Weyerenſi (a) *Quis vel peſſimus, & corruptiſſimus, è ſerpentis ſemine oriundus hæreſiarcha, calcaneo honoris benedictæ* DEIPARÆ, *tam venenato morſu inſidietur, ut auſit inficias ire, præpotentem* DEUM, *Matrem ſuam, Divinæ majeſtatis poteſtatisque ſociam, quatenus & licebat, & humana capacitas naturæ admittebat, in imperſcrutabili conſilio ſuo, iam à primordio conditorum ſeculorum, adſciviſſe?* Quæ, ſicut & plura in eundem ſenſum à digniſſimo Antiſtite Fornerio dicta, ſimulque illas aquarum, fontiumque ſcaturigines, quæ tum apud Weyerenſem, tum apud Lindenſem Deiparæ Ædem perenni ſeſe curſu evolvunt, dum contemplatur; ſubit pariter in mentem id, quod S. Bernardus *e Vena illa cæleſti per Aquæductum deſcendente* nobis ſcriptum reliquit. *Advertiſtis iam, ni fallor,* inquit ille (b) *quem velim dicere Aquæductum; qui plenitudinem fontis ipſius de corde Patris excipiens, nobis edidit illum; ſi non prout eſt, prout capere poteramus.* Unde poſtmodum mero melle Bernardi ſtylus, pro more, fluens, ita cauſam abſolvit: *Altiùs ergo intueamini, quanto devotionis affectu, à nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem poſuit in* MARIA: *ut proinde, ſi quid ſpei in nobis eſt, ſi quid gratiæ, ſi quid ſalutis, ab ea noverimus redundare, quæ aſcendit deliciis affluens. Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus,* MARIAM *hanc veneremur; quia ſic eſt voluntas eius qui totum nos habere voluit per* MARIAM. Totum omni-

(a) *lib. 1. cap. 1.* (b) *ſerm. de Nativit. Mariæ.*

omnino voluit nos habere per MARIAM, ſummus ille bonorum omnium largitor DEUS; quia (ut Petrus quoque Damiani (*a*) veriſſimè pronuntiavit) *Per ipſam, cum ipſa, & in ipſa, totum hoc faciendum decernitur; ut ſicut ſine ipſa nihil factum eſt, ita ſine illa nihil refectum ſit.* Quod, quo pacto veriſſimè, ut diximus, à tanto viro dictum ſcriptumque ſit, idem ipſe alibi (*b*) Deiparam alloquens ita explicuit. *Amas nos, amore invincibili, quos in Te, & per Te, Filius Tuus, &* DEUS *Tuus, ſummâ dilectione dilexit. Quis ſcit, quoties refrigeras Iram iudicis, cùm iuſtitiæ virtus à præſentia Deitatis egreditur! in manibus Tuis ſunt Theſauri miſerationum* DEI; *& ſola & electa, cui tanta gratia conceditur.* Unde non majore audaciâ, quàm pietate & fiduciâ paulò antè præmiſerat. *Quomodo illa poteſtas*, ſcil. divina, *Tuæ potentiæ poterit obviare, quæ de carne Tua, carnis ſuſcepit originem? Accedis enim, non ſolùm rogans, ſed imperans; Domina, non ancilla.* Et Bernardus iterum (*c*) *Data*, inquit, *eſt ei poteſtas in cælo & in terra; & in manibus eius vita.* Quam Deiparæ poteſtatem, Græca Eccleſia univerſa, appellat *maternam libertatem*, & quaſi licentiam, quæ in filium Matri, jure ſuo, competit. Sic enim in Menæis 18 Januar. ad Dei parentem, interprete VVagnereckio, precari ſolita. *O, quæ Matre dignam, quidlibet à Filio poſtulandi, auctoritatem habes; rogamus Te, ut generis noſtri, quod Tibi cognatum eſt, curam ne deſeras. Nam Te ſolam, nos Chriſtiani apud Dominum,*

(a) *ſermone de Annuntiatione.* (b) *ſermone* I. *de Nativit. Virg.* (c) *ſermone* I. *ſupra Salve Regina.*

*mum, pro ſingulari, ad clementiam nobis exhibendam, illecebrâ uſurpare ſolemus.* (a)

Cæterùm, præter novellæ apud Prutenos Eccleſiæ, ſummas, uti conſtat, neceſſitates, quæ alia DEIPARAM cauſa permoverit; ut ſuum illud tantæ poteſtatis juxta ac gratiæ pietatisque Tribunal, apud ſuam in Pruſſia Lindam collocaret, quis vel divinando ediſſerat? ſi qua tamen via, DEI, Deiparæque conſilium, vel obiter rimandi, patere cuiquam poteſt, ortaſſe nonnemo apud ſe ſtatuet, Deiparam ſuæ in Pruſſia Tiliæ, de qua paulò pòſt erit diſſerendum, um ſpecie quodammodo eò invitatam, tum indole. *xaltatur* alicubi DEIPARA (ſimul atque in populo onorificato, uti ipſa (b) gloriatur, radicavit) *qu. ſi edrus in Libano:* alibi fortaſſe, *quaſi Cypreſſus in monte on:* alibi, *quaſi Palma exaltata in Cades & quaſi plantio Roſæ in Iericho:* alibi verò. *Quaſi Oliva ſpecioſa in mpis, & quaſi Platanus exaltata juxta aquam in pla-* :. Pruſſia neque Cedrorum, neque Palmarum, nee aliarum id genus ferax eſt arborum, quæ DEIRÆ virtutes, patrocinium, ac potentiam divinæ )ximam, ipsâ ſuâ facie ac formâ, quaſi ob oculos )is ſtatuant, aut non leviter adumbrent. Par igividebatur, ut Deipara apud ſuam in Pruſſia Lin- n exaltaretur *quaſi Tilia*; cujus quidem Tiliæ feramaa eſt Pruſſia. Et ſanè videtur, inter jam memos, aliasque ferè omnes arbores Tilia, vel ipſa ex-

E teriore

1) μητρικὴν παῤῥησίαν, τὴν πρὸς τὸν υἱόν σου κεκτη- συγγενοῦς προνοίας τῆς ἡμῶν, μὴ παρίδῃς, δεόμεθα. μόνην χριστιανοὶ, πρὸς τὸν δεσπότην ἱλασμὸν εὐμενῆ ἀλλόμεθα. (b) *Eccli.* 24.16.

teriore formâ ac specie suâ, non postremum Deiparæ symbolum atque effigies esse. Si enim magnitudinem spectes, facilè Tilia cæteris cum arboribus, de sublimitate, proceritate, & vastitate contendet; atque ita eminentem, inter omnes omnino cælites, Deiparæ excellentiam adumbrabit; & quasi tacitâ voce, cum Ecclesia Græca, Angelum, in S. Damasceni cum Deipara dialogismo, imitando exclamabit (a) *Salve ô Altitudo, ad cuius fastigium supremum, cogitationes hominum ascendere nequeunt. Salve profunditas, cuius subtilem recessum, nec quidem acies Angelica penetrat.* Si verò spectes aut foliorum, in orbem latè crispantium atque serratorum; aut frondium, in gyrum densè juxta ac prolixè sese sinuantium virorem, vigorem, atque elegantiam; si gratissimæ desideratissimæque æstivos inter ardores umbræ amplitudinem & gratiam; vix ulli arborum Tilia cedet; ut mortalium ad Deiparæ tutelam sese recipientium exprimat, fiduciam, & ad carmen, quo Balduinus Cabillavus Indiam alloquitur, ingeminandum excitet.

*Parce queri; tibi Palma Ceres, tibi palmes Iacchus*
*Mundus opum est Arbos unica, & omne penu.*

Neq; enim minus subsidii Tilia Mariana, humano præbet generi, quàm Palma Indica; quæ, cùm unica sit Arbor plurima tamen omnibus Indiarum populis vitæ subsidia ministrat. Si insuper Ligni ipsius, ad quodvis opus facillimè adhibendi candorem, vel teneritudinem, omnis expertem teredinis, contempleris;

(a) Χαῖρε ὕψος δυσανάβατον ἀνθρωπίνοις λογισμοῖς, χαῖρε βάθος δυσθεώρητον καὶ ἀγγέλων ὀφθαλμοῖς. *In Menæis 25. Martii.*

ris; triumphabit planè inter arbores Tilia, ut incredibilem Deiparæ puritatem, ſanctimoniam, & ab omni, etjam originalis peccati teredine, eximiam immunitatem demonſtret. Quid, quod invictum Leonis robur, quod neque quercu, neque ullo alio ligno, quin nec ære, aut ferro frangi poteſt, Tiliæ ligno frangatur? Leonem enim frangere, ſi vis, caveæ è Tiliæ lignis paratæ include. Quod quo pacto ad Lindam Marianam referre queas, docuit de Reſſelienſibus Poëtis quidam, qui Anno M DCLI. ita Chriſtum de Tribu Juda Leonem deſcripſit:

*Vidi ego detentos Tiliæ ſub corte Leones;*
*Et vidi æratas comminuiſſe feras,*
*Quid cauſa eſt! ferri quos non tenuêre columnæ,*
*Hos fragilis Tiliæ ſtructa cataſta tenet!*
*Virgine nata Puer, puerili infirme ululatu*
*Attamen è Iuda diceris eſſe Leo,*
*Non potes è ferro firmato poſte teneri,*
*Apta Leoninos Linda tenere ſinus.*

Denique, ut mellei roris dulcedinem & copiam, ut ſingularem odoris fragrantiam, aliaque plurima, plurimarum Deiparæ excellentiarum ſigna atque ſymbola miſſa faciam, ſi oculos in ipſum Tiliæ extimum corticem velis conjicere, invenies tam in ſe uno varium ac multiplicem, tam copiosè fiſſilem ac flexilem, tam ſupra arborum morem, membranis, tunicis, phylirisque tenuiſſimis (*etiam coronarum*, ut Plinius (*a*) inquit, *lemniſcis, antiquorumque honore celebribus*) inter ſe, lignumque ipſum, coactis abundè divitem, ac locupletem; ut ſcilicet omnium, qui in Dei-

E 2 para

(a) *lib.16.cap.14.*

Digitized by Google

para fuit; complexum, catenamque virtutum, humili verecundiâ & verecundiſſimâ humilitate, decentiſſimè obtectam exhibeat. Unde in rem noſtram S. Erneſtus primus Archiep. Pragenſis nuperrimè primùm editus. Cap. 43. Marialis: *Non fuit, inquit, talis Arbor ſub cælo ſicut Maria; nec talis fructus ſuper cælos, ſicut fructus eius. De Arboribus bonis quædam ſunt, quarum gratia præcipuè eſt in Radice, aliarum in Ligno; aliarum in reſina; aliarum in medulla; aliarum in ramis; aliarum in floribus, aliarum in foliis, aliarum in fructibus, aliarum in ſemine. Iſta autem Arbor tota eſt plena gratiâ, & ex omni parte utilis, laudabilis & fructuoſa!* Neque enim Tilia Mariana illa, de qua Calcagninus fabulatur, Buxus eſt, quæ, à Natura ad Jovem oratrix miſſa, ut virorem perpetuum herbis arboribusque cæteris impetraret; non communem, ſed privatam, & ſuam unius cauſam egit; ac poſt longas preces, ut æternæ viriditatis munere ac prærogativâ gauderet, exoravit. Verùm reverſa domum, tum apud cæteras arbores maximam incurrit invidiam; tum ab ipſa quoque Natura, communi omnium parente, ſempiternâ ſterilitate eſt damnata: quin, multo æquius de Tilia noſtra canas, quàm de Magnevi arbore, in nova Hiſpania, cecinerit idem Balduinus.

*Arbor mel, pluit Arbor opes, pluit Arbor Iacchum;*
*Fila parit Arbor, & ſibi gignit acum.*
*Excute mordaces ſpinoſo pectore curas;*
*Pro Domino Oeconomum, quam colis, Arbor agit.*

CAPUT

# CAPUT XIII.

*Tiliæ apud Lindam Marianam perennis vigor, ac viriditas.*

C*Hriſtiani*, quemadmodum Græcam Eccleſiam paulò antè docentem audivimus, *ad clementiam ſibi exhibendam, pro ſingulari illecebra, Deiparam uſurpare apud Dominũ ſolent:* ſed & Dominus ipſe (qui, ut ſupra vidimus, pro divina & immenſa bonitate ac pietate ſua, non modò promptas paratasque, ad ſua in mortales effundenda beneficia habet manus; verùm & ipſa mortalium vota antevertit, quin & excitat & accendit) Deiparam, pro ſingulari, in pelliciendis ad ſe hominibus illecebrâ, uſurpat. Et verò, ut ad capienda per Deiparam ſua munera nos pelliciat, quid non ex omni rerum univerſo, ad demonſtrandam ejuſdem dignitatem atque excellentiam uſurpat? ſi ad cælum & ſidera oculos vertas, ibi illa, ut plurimùm, *Progreditur quaſi Aurora conſurgens*, ut diem ac ſolem venturum annuntiet, imò gignat. Ibi *Pulchra* ut *Luna* procedit; ut noctis caliginem, ſuâ à nobis luce amoliatur. Ibi *electa uti ſol* effulget, ut mero quoque meridie caligantes nos, illâ, quâ divinitus plena eſt, gratiæ Luce perfundat. Sin ad Oceanum, & maria, & flumina reſpicias, ibi illa non modò *Stella Maris*, verùm, & ipſo quoque nomine, magnum gratiarum MARIA Mare. *Origo fontium & fluminum* (inquit S. Bernardus (*a*) ſuper Salve Regina) *Mare*; *virtutum ſanctarum Auctrix* MARIA. Sin denique terram, & terræ opes atque opera; ibi illa & in hortis *ſicut lilium inter ſpinas* candicat; & in campis vernat *ſicut flo-*

E 3 *res*

(a) *ſerm.* I.

*res Rosarum*; & in silvis, *quasi cedrus*, aliæque, Arbores triumphat. Quid ni porrò etjam, sicut Tilia vernet, vigeat, floreat, extollatur? Nimirum hoc magnæ DEI Matri, usque ad repurgatam ab idolorum cultu Prussiâ servabatur elogium; ut, quæ tot modis per Tiliam adumbraretur, apud Lindam Marianam, præ cæteris arboribus, Imagini suæ, ac sibi sedem, vel potiùs Thronum deligeret: ex qua & miraculis gentem, ad Christum vixdum conversam, juvaret ac protegeret; & in omne hominum genus, suis certaret beneficiis. Memorat Petrus Damiani, doctrinâ & vitæ sanctimoniâ eminentissimus quondam in Ecclesia Cardinalis (a) *Esse in finibus Indiæ Arborem, quæ Græcè Pridexion vocatur; cujus utiq; fructus nimis est dulcis, & valde suavis. In hujus igitur Arboris gratia, columbæ non modicè delectantur, cuius nimirum eas & fructus reficit & umbra defendit. Teterrimus enim Draco, ferali eas immanitate persequitur, & cruenti gutturis barathro inhians absorbere molitur. Sed sicut columbæ Draconem, ita nihilo minus Draco formidat eam, quam prædiximus, arborem; sed præcipuè timet umbram: ita ut, si umbra fuerit à parte arboris dextra, ille, licèt procul, fugiat ad sinistram, quod si umbra cernitur in sinistra, ille vertitur ad dextram. Donec ergo columbæ sub arboris illius umbraculo fuerint commoratæ, nullus eas crudelis illa bestia valet insidiis lædere: alioquin, si procul eas invenerit, sine ullo contradictionis obstaculo repentinus invadit.* Quantum Tiliæ Marianæ umbra, præsertim columbis eò se recipientibus (corvi enim aliæque aut ab hæresi, aut ab incoctis contra Spiritum S. animo vitiis, ferales prorsum aves, Tiliam

(a) *Lib. 2. epist. 18.*

liam Marianam fugiunt) quovis tempore opituletur, tum ſequentium librorum exempla, tum hujus quoque (*a*) docebunt. Quantum verò dulciſſimi fructus ſuavitate, omnes reficiat ac recreet, vel illud poteſt eſſe argumento; quòd in eorum uſum atque oblectamentum, perpetuum ſervârit & frondium & foliorum vigorem, atque viriditatem. Ut enim præ cæteris ſui generis arboribus, Tilia illa, ſingulare nihil, aut magnopere habuiſſet æſtimandum; illud tamen eximium & prorſus in ea fuit admirandum; quòd (quemadmodum magna DEI Mater, intaminatam & illibatam, cùm ante partum, tum in partu, & poſt partum conſervavit integritatem) ita illius Tilia incorruptam ſemper foliorum ac frondium totiusque ligni ac ſucci ſui retinuit gloriam. Fertur enim conſtantiſſimâ etjamnum famâ, cùm cæteræ, ſtirpis atque generis ejusdem arbores, æſtate duntaxat florerent (hieme enim, ut fere reliquæ omnes, defluentibus foliis, ſuccoque emarceſcente ac propè emortuo exanimes quodammodo videntur) illa, quæ apud locum Marianum ſteterat Tilia, non modò æſtate ac vere, verùm & ipsâ, quà longè ſævit hiems, perſtitiſſe incolumis; ut nullis unquam viduaretur frondibus, aut foliis; aut perenni foliorum vigore; atque ita de dictis veterum Prutenorum quercubus, etjam hieme virentibus, triumpharet victrix. Et ſanè (ut interim amæniſſimè, de Origine arboris Tiliæ, ante ſacellum B. V. Oeringanæ ſtantis ludentem Poëtam Jacobum Balde (*b*) miſſum faciamus) ſi vel aliquo naturæ beneficio, vel maleficorum induſtria,

 in

(a) *cap.25.& 26.* (b) *lib. Epod. ode 7.*

Digitized by Google

(a) in Insula Thera, quæ per annos septem non erat pluviam experta, cæteris plantis crescentibus omnibus, una incolumis remansit; quæ virides ramos explicans, inter cæterarum incendia, gratissimâ juventute visa est pubescere: quidni potuit Deipara, quæ inter illud mortalium omnium, à stygii Draconis faucibus ortum incendium tanquam *Rubus incombustus*, salva & ab originalis quoque luis flamma, ne dicam fomite, incolumis permansit, Tiliæ suæ similem impartiri vigorem? si, Theophrasto lib. 1. de Plantis authore, in agro Elephantino, vites ac ficus, aut in Creta Insula, apud fontem quendam Cortynensis agri Platanus, aut in agro Thurino, Quercus folia nunquam amittunt; quid ni potuit Tilia Mariana, singulari DEI ac Deiparæ beneficio folia, & vigorem, viriditatemq; retinere perpetuam? si (quemadmodum Petrus de Natalibus (*b*) refert) Arbor illa, sub qua Joannes Abbas, inclytæ sanctimoniæ vir, de Syria in Italiam proficiscens, Angeli monitu sese receperat, tantam ab ejus hospitis præsentiâ gratiam potuit accipere, ut quanquam alienissimo tempore, mense videlicet Decembri, flores, ingenti miraculo, protulerit: si etiam, quod Delrio Disqq. lib. 5. (c) ex Miquellio scribit: *Pirus Arbor, sub qua Ioanna Lotharingia*, Christiana illa per Galliam Amazon, *sederat dum gregem patris pascebat, neq; cariem, neq; vetustatem sentire ferebatur, neq; fulmine tangi, neq; pluviâ, grandineve, aut nive intingi*: Si etiam, quod de B. Theresia, tertiâ secundi nocturni lectione Ecclesia memorat: *Arbor arida*

(a) *Vide Herodotum lib. 4.* (b) *lib. 3. cap. 207.* (c) *Append. pag. 816.*

*arida cellæ illius proxima, ſtatim ab eius morte effloruit*: ſi in Aulæ Regiæ Monaſterio, duobus milliaribus Praga diſſito Arbores Tiliæ, in quibus Monachi Ciſtercienſes ab hoſtibus fidei Chriſtianæ fuerunt ſuſpenſi, folia inſtar caputiorum, in perpetuā rei memoriā (uti Chryſoſtomus Henriquez in Menologio Ciſtercienſi Prid. Id. Maji ſcribit) ferebant, & adhuc ferunt, nam & ego unum, ab ipſomet Monaſterii illius Prælato, cuidam è Societate noſtra ſacerdoti donatum, coram in Cremblenſi Collegio ſpectavi. Non potuit ad ſanctiſſimæ Chriſti genitricis ſingularem in ſua Icone præſentiam, Tilia ab ipſa delecta ac dilecta, florum foliorumque gratiam, hieme quoque retinere? ſi (quod apud Olaum Magnum legi poteſt) juxta Baſilicam Vpſalienſem, ignoti generis Arbor ingens, æſtate juxta ac hieme, quanquam in frigidiſſimo illo Sueciæ climate, virebat ac florebat: quidni perinde florere potuit, intra ipſam Lindæ Marianæ ædem ſita & Deiparæ gratiſſima Tilia? ſi, ut ad noſtra propiùs veniamus, natali DEI Matris domui, cùm è Palæſtina in Italiam commigraret, obviæ arbores ſeſe venerabundæ (DEI utique, Matrem ſuam honorantis, imperio atque vi) inclinârunt; quid mirum videri alicui debeat; ſi ad adventum, non quidem Domus natalis, ſed Imaginis Deiparæ, futura ejusdem ſedes Tilia, in tantæ cultum & gratiam hoſpitæ, aut ſe feſto frondium florumque amictu induit; aut jam ante indutum, nunquam deinceps depoſuit? *Tenet fama* (inquit Turſellinus lib. 1. cap. 6.) *nec vana eſt fides, venienti Deiparæ Domicilio, Arbores obvias, velut venerabundas inclinâſſe ſe, ac deinde pronas perſtitiſſe,*

*stitisse; quoad ævo ventis, ferro procumberent. Proinde, dum staret nemus, quod hodie excisum est, inclinatas ad Ædis adventum, longo ordine arbores monstrari, solitas peregrinis, tanti miraculi testes.* Si (quemadmodum idem capite 9. ejusdem libri tradit) *Area, quam sacra Domus* Lauretana, in Italia apud Picentes, *occupaverat, nitebat semper vernantibus herbis floribusq́;, cùm omnia circa densis obsita virgultis ac sentibus horrerent. Nec dubia res; author est Hieronymus Angelita, in Virginis Lauretanæ historia, quam Clementi VII. Pont. Max. dicavit eo ipso tempore, cùm hoc visentibus miraculo erat*: Par equidem videbatur, ut in ea Area, quam sibi apud Lindam Deipara, pro futura Æde ac perpetua sede, delegerat, si non omnes omnino flores, herbæ, atque arbores, saltem ipsa Tilia, quæ Deiparæ Iconis sedes erat perpetuum vigeret ac vernaret: & inter alia Prussiæ commoda, illo vigore ac viriditate venturam, venientemque jam cum religione Christiana felicitatem, portenderet; non secus ac postmodum Maximilianus I. Imperator oblata Divæ Virgini Hallensi super alia magni precii dona, Arbore aureâ, Belgio suo, quod possedit, futuram ominabatur ac vovebat pacem ac prosperitatem. *Est*, ut Lipsius ait (*a*) *Arbor, sive Rosa frutex, è puro auro, cum plusculis ramis floribusq́; bipedalis: quam sacratam ab se Pontifex Maximiliano donum, ipse verò Divæ Hallensi misit. An non velut omen, aut votum? ut suâ ope, vellet Belgicam attonsam tot & attritam bellis, sub novo imperio iterum revirescere, & pace suaviter florere. Et verò sæpe auxiliarem illam sensit.* Adhæc, si Anno

Domi-

(a) *cap. 35.*

Domini M.CDXVIII. quemadmodum Niderus in Formica (*a*) prodidit, *prope Noribergam, in Nocte Dominici Natalis, crevit pomus, in loco campeſtri & communi; quæ verè floruit & fronduit, & autumno, more aliarum fructificavit; annuatimq́; in aſperrima hieme, cùm omnia gelu nivibusqúe rigeſcunt, ſemper ipſo Natali Domini, quando Virgo virginum, ſalvo integritatis flore*, DEI *genuit Filium, Pomella virentia produxit*. Denique ſi Arbor, quæ Deiparam adhuc in vita hac mortali peregrinam hoſpitio accepit, ad hæc uſque tempora viguit; quid mirum videri debet, ſi Tilia quoque Mariana (quoad per furorem hæreticorum licuit) aliquot ſeculis viguerit ac floruerit? Quo major atque immanior iſtorum videri debet, quàm barbariſſimorum Turcarum & Sarracenorum impietas; cùm ſub his Arbor illa, denûm circiter intervallo ſeculorum, illæſa perſtiterit. Accipe rem ab illuſtriſſimo ſacri Rom. Imp. Principis, Nicolai Radivili Ducis in Olyka, *&c.* oculati & non incurioſi teſtis calamo. *Non procul à domo* (inquit ille pag. 177. ſuæ peregrinationis) *in qua ſacratiſſima Virgo, cum Filio, Salvatore noſtro, per annos ſeptem, cùm in Ægypto eſſet, habitavit, quæ eſt in Villa Natarca, extat adhuc Ficus agreſtis, craſſa & procera; quam Ficum Pharaonis appellant. Hæc Arbor, divino quodam miraculo, ab ipſis radicibus, uſq; ad ſummitatem, fiſſuram habet tam notabilem, ut, ſi conſtringi poſſet, aptiſſimè in unum coiret, & conjungeretur. Nam ubi in una parte eminent extremitates, in alia concavitatem proportionatam retinet. Ad radices in ipſo arboris trunco, eſt quaſi con-*

(a) *lib. 4. apud Laur. Chryſog. in Mundo Mariano Diſcur. 13. n. 79.*

Digitized by Google

*conclave quoddam parvum, quod nullâ arte humanâ, in tam vesta arbore præsertim, fabricari potuit. Ad eam cùm beatissima Virgo pervenisset, repente Arbor miraculosè dissiliens, novæ hospitæ stupendam mansiunculam præbuit; in qua cum cælesti puerulo, tam diu lateret, & quiesceret, dum pius & solicitus Ioseph, habitationem aliquam in dicto pago Natarea inveniret. Intuentibus certè magnam hæc Arbor præbet admirationem: intra cuius concavitatem, Turcæ lampadem habent appensam. Locum enim in magna habent veneratione: & fatentur, id, quod cuivis intuenti liquet; miraculosè fissuram eam fuisse apertam; in quam* DEI *Spiritus (sic enim Christum appellant) unà cum Matre diverteret. Arbor hæc sita est in horto, in quo olim Balsamum proveniebat.* Potuit hæc Arbor de Antiquitate certare cum Ilice, quæ, ut ex Plin. lib. 16. cap. 43. in Roma subterranea Paulus Aringhus Cong. Oratorii lib. 2. cap 3. memorat: *Vetustior Vrbe in Vaticano Ilex: in qua, titulus æreis literis Hetruscis, religione Arborem iam tunc dignam fuisse significat.* Atque ob hanc Tiliæ Marianæ perennem viriditatem, Linda Mariana appellari potest verè *Florida*: quemadmodum Pius V. Domum Lauretanam appellavit. *Nam*, ut scribit lib. 4. cap. 14. Turlellinus, *cæreos Agnos de more consecraturus, effigiem Domus Lauretanæ Angelorum humeris vectæ imprimendam curavit, cum hoc titulo:* VERE DOMUS FLORIDA, QUÆ FUIT NAZARETH.

## CAPUT XIV.

*Prima Tiliæ, & loci Lindensis, ipsiusq; DEIPARÆ apud Lindam Marianam Religio, cultus, & veneratio singularis, ab ejusdem Deiparæ super Tiliam inventa Imagine.*

QUo omine atque eventu, Maximilianus Imperator

tor Auream Divæ Hallenſi Arborem donârit, jam ex Lipſio didicimus; eodemque prorſus nos, apud Lindam Marianam, non jam ab homine, quantumvis excellenti, ſed ab ipſo, bonorum omnium fonte, Deo poſitam arbitramur arborem; adeoque prætetitorum tot uſu atque experientiâ ſeculorum edocti, nos majoresque noſtros votorum reos ita agnoſcimus ac profitemur, ut ſimul maximâ nitamur ſpe atque fiducia, nullis unquam futuris temporibus, magnæ Dei Matris opem & ſubſidium Lindenſi loco, locumque illum frequentantibus, defuturum. Si enim non tantùm, quando & Tilia, & Deiparæ effigies, & ſacellum eo loci viguerunt, verùm etjam poſteaquam illa omnia ſublata fuerunt atque exciſa, perenne ibidem omnibus patebat aſylum; ita ut nullo unquam tempore *abbreviari* (ut S. Scripturæ phraſi utamur) potuerit *manus* Dei (*a*) quidni idipſum, ne dicam, paulò amplius ſperandum eſt; poſtquam reſtaurato iterum ſacello, accedente præſertim navorum operariorum curâ atque induſtriâ, magis indies omnium firmatur in Deum ac Deiparam fides atque religio, erigitur ſpes, charitas inflammatur? Interim nobis prima Religionis & divini apud Lindam Marianam cultus origo paucis aperienda eſt. Pleræque aliæ, ſive religione, ſive miraculis inclytæ Baſilicæ, à ſacris Divorum Lipſanis (qualis inter plurimas, jam olim fuit illa S. Felicis Nolæ, de qua præter alios veterum Patrum, hîc S. Auguſtinum teſtem jam audivimus, & adhuc S. Paulinum audiemus) aut ab Imaginibus, prima quaſi religionis & reverentiæ ſemi-

(a) *Iſaia* 50. 4.

Digitized by Google

ſemina habent. Inter ipſas verò Deiparæ ſacras Ædes, Lauretana, quemadmodum principem facilè obtinet locum, ita ab ipſius tum Deiparæ ortu, tum etjam à Chriſti Domini conceptu, & transactâ utriusque magnâ vitæ parte, plurima atque evidentiſſima habet impreſſa ſanctitatis, quin & divinitatis, veſtigia. Reliquæ ejusdem Deiparæ ſive Ædiculæ, ſive Templa, quæ Virginem, dum in terris ageret, præſentem habere non potuerunt; ipſius loco ſtatuas vel Imagines, vel aliquid de ſacra Virginis ſuppellectile, utenſilibusvé habent; à quibus, vel, ut à ſemente, illa miraculorum ſeges atque uberrima meſſis, exſurgit; vel, ut à vivis aquarum ſcatebris, illi gratiarum & divinorum beneficiorum fontes atque flumina exundant. Ita apud Divam Hallenſem, cultus & miraculorum primordia, fuiſſe à ſtatua, quæ à S. Eliſabetha, quaſi hereditate deſcendit, jam antè didicimus. Ita apud Aſpricollenſem, ita & apud Silvaducenſem, in Belgio itidem Deiparæ Ædem, etjam à Deiparæ ſtatua: ibi quidem à paſtore in Quercu reperta, & ab hero ejusdem paſtoris (qui ablatâ è loco ſtatuâ, loco eodem movere ſe ampliùs non potuit) in Quercum repoſitâ, omniumque deinceps cultu ac pietate, uti Lipſius (a) author eſt, celebratâ; hîc verò ex officina lapidaria, vel potiùs è lamiarum lapidariarum ſcrutis, ne dicam ſordibus, erutâ; deinde è manibus lapicidæ, ſecuri in eam, jam jamque imminentis ereptâ; & in Templo S. Joannis (in quo per Valerium Ordinis Religioſi virum collocata fuerat) à neglectu & ſitu vindicatâ; denique quaſi

(a) *cap. 3.*

quasi è caligine & tenebris tandem emersâ, supra plurimas alias, quà miraculis ingentibus, quà eximiis in omnes beneficiis, plurimùm emicuit Ita Bellifontana (quæ cùm initio, quemadmodum & Weyerensis solâ quasi indole soli ac loci emicaret) statuâ ex Aspricollensi Quercu confectâ, & ab Erycio Puteano donatâ, auctior, fortasse & ad cumulāda mortalibus beneficia instructior evasit. Ita apud Polonos Claromontana ac Zyrowicensis; illa quidem Imagine à D. Luca pictâ; hæc verò, uti coràm ipsi spectavimus venerabundi, statuâ vix palmari; utraque innumeris ac propè quotidianis clarissimâ miraculis; quæ illic Andreas Gotdanowski, hîc verò alius Ordinis D. Basilii M. Religiosus, singularibus evulgarunt libris. Ita denique, ut alias mittamus, sacra Lindensis Deiparæ Ædes, primam ac primigeniam, venerationis, & miraculorum quasi radicem, habuit Deiparæ Imaginem; à quâ & Tiliæ arbori, & Lindensi loco religio; & innumeris mortalibus immortalium beneficiorum prodiit, à tot seculis, & adhuc indies uberrimus prodit fructus. Posteaquam enim (uti memoravimus, & sæpius memorare grati animi conscientia imperat) Deiparæ per Marianos milites ope, Idola apud Prussiam subversa, & ipsi illi Idolorum cultores tandem ad Christum reducti sunt; continuò illa Deiparæ Imago spectari in Tilia, & tum Tilia, tum locus ipse ab eadem Imagine, præter admirationem, etjam cultum venerationemque populorum mereri; denique magna Dei Mater tum in loco illo, tum in ipsa Tilia, tum denique in Icone sua coli; in magna verò Dei Matre, ipse Deus ter Opt. Max.

Max. tanquam omnis boni ſanctitatisque fons, & primum rerum principium ſingulariter adorari, populorumque, etjam turmatim confluentium, piiſſimis votis cæpit invocari. Neque deerant plurimæ, quæ in populis & admirationem excitarent & religionem, cauſæ. Principio enim inſolens ac miraculo proximum videbatur, Iconem Deiparæ, loco præſertim deſerto, præter morem ſpectari; neque tamen unde, aut quo pacto icon illa eſſet collocata, ab ullo ſpectantium ſciri; neq; fere, niſi è pecoris, eo loci in paſcuis verſantis, adoratione ipſam potuiſſe Iconem cognoſci. Deinde & illud, quod jam recenſuimus, mirum ſpectantibus fuit, quòd illa ipſa Arbor Tilia perpetuum Ver induiſſet, ut neque hiemis gelu, neque Sirii ullo ardore, amæniſſimi coloris odorisvé gratia unquam temeraretur. Denique & illud nonniſi miraculo affinè fuit, quòd ſimul atque illa Deiparentis Imago in Arbore conſpecta cognitaque fuit, tum illa, tum Arbor, tum locus ad extremum ipſe, ſacrum quendam horrorem ſpectantium oculis afflare continuò cæperit; ita ut non homines duntaxat, verùm & belluæ quoque id perſentiſcerent, adeoque prono poplitum flexu, uti ſuo referemus loco, quod perſentiſcebant, teſtarentur. Nunc, ne fortè Imagines Deiparæ, ſuper arboribus collocari aut reperiri ſolitas eſſe, cuiquam mirum videatur, ad illa quæ jam produximus exempla, etjam id, quod Nicephorus (a) refert, tanquam huic noſtro admodum affine, ne dicam Germanum, adjicere placuit. *Conſtantinopoli fuit Cupreſſus ingens & procera; in qua ſuperioribus*

(a) *lib. 14. cap. 46.*

Digitized by Google

*bus temporibus, neſcio quomodo, Imaginem* DEI *genitricis quidam occultavit. Cùm autem multum temporis præteriiſſet, & Imago lateret, ipſa ſeipſam indicavit. Cupreſſus enim immenſo coruſcans lumine, perinde atque fax ardere viſa eſt; & ingens etiam miraculorum vis, ab obſcura & latente efficacia, manavit. Vbi autem quidam, laudatâ curioſitate, Arborem conſcendit, Imago, unde miraculorum vis profluxit, apparuit. Quapropter Cyrus Patriarcha, loco ei honorem habens, pulcherrimum & maximum* DEI *genitrici conſtruxit Templum.* Nimirum, ut cum Guilielmo Gumpenberg in Idea Atlantis Mariani (a) loquamur, *ex quo Filius ab Arbore pependit, odiſſe Mater Arbores non poteſt, à quibus tot titulos habet. In Caſtanea, ut B. V. Goritienſis in Germania: in Rubo, ut B. V. Turcan. in Boëmia: in Sambuco, ut B. V. Chervi, in Germania: in Larice, ut B. V VValcaſt. in Germ. in Vite, ut B. V. Viterb. in Italia; in Quercu, ut B. V. Foyenſis in Germ. in Cupreſſu, ut B. V. Conſtantinopolitana in Oriente: in Piro, ut B. V. Zyrovicienſis in Lituania: in Spinis, ut B. V. de pario.no. in Italia: in Nuce, ut B. V. Caſtilion. in Italia: in Ceraſo, ut B. V. Elarenſis in Germania: in Nemore, ut B. V. Aricina in Italia.*

## CAPUT XV.

*Quæ, qualis, & unde illa DEIPARÆ Imago Lindam delata credatur.*

RErum, quæ à ſenſibus temporibusque noſtris longè poſitæ ſunt, notitiam, vix aliis quàm vel famæ, vel conjecturæ adminiculis, & quaſi impreſſis lentè veſtigiis aſſequi poſſumus. Nobis verò, niſi hæreſeon furor, interceſſiſſet, neutro hoc ſubſidio ad præſens inſtitutum opus eſſe oportebat. Poſtquam enim, quem-



(a) *pag.* 16.

quemadmodum libro proximo referemus, eruncatæ in Pruſſia Idolomaniæ, haud paulò minùs infelix præteritarum hæreſeon lolium ſucceſſit; illam quoque Deiparæ Lindenſis effigiem, illam, inquam, primam præcipuamq́ue Chriſtianæ religionis ac pietatis ſementem, unà cum Tilia & Sacello, peſſimum illud, &, ſupra quodvis aliud lolium, exitiale germen, ſuffocare & obterere parabat. Enimverò tantum profecit, ut cùm Imago illa, ab oculis ſenſibusq́ue noſtris longè abſit, minimè tamen ab hujus quoque ætatis memoria abeat. *In hac Tilia, gloria frondium nobili* ( inquit Michaël Ciaritius, is, qui Lindenſem hiſtoriam circiter triginta ante annos, primus adumbravit) *à primo fermè ſtatu Chriſtianæ fidei in Pruſſia, videndam ſe præbuit admiranda Effigies Beatæ Virginis* MARIÆ, *divinâ arte & manu facta; quæ Puellum* JESUM, DEUM *noſtrum, maternis ulnis geſtaret.* Et quis hæc inficias eat? Nunquid enim ſatis jam conſtat, & Lindam Marianam, cum primo Chriſtianæ religionis ortu in Pruſſia ſimul effloruiſſe? & in primo illo religionis ortu, Deiparæ Iconem ſpectandam ſe in Tilia mortalium obtutibus exhibuiſſe? An verò quis *Puerulum* JESUM, in illa effigie, *maternis ulnis fuiſſe geſtatum* neget? Is verò perinde Deiparam, cum impiiſſimo Neſtorio *Theotocon* negârit. Alioqui veriſſimum ſemper fuit, & erit illud, quod Deiparæ verbis, Poëta Chriſtianus cecinit (a)

*Abſque meo, quicunque vales, me pingere Nato,*
*Me, ſine me, potius pinge, dolebo minus.*

Nec minus verum eſt, quod in Atlantis Mariani Idea

(a) *Bern. Bauhuſius.*

Idea (a) memoratur. *S. Maria Roſarum Tarenti, in Regno Neapolitano, fragmentum picturæ antiquæ, reperta eſt à pia muliere, & domi, loco decenti repoſita. Titulum, quo appellari vellet, ipſa B. Virgo revelàvit, & puerum* JESUM *ſibi appingi ipſa imperavit. Nempe meliùs pinxeris Mariam ſine Maria, quàm ſine* JESU. Et alibi (b) *B. Virgo Viterbienſis, licèt in Quercu eſſet, tamen à Vite mirabilibus gyris ambiebatur, nemine obſervante; dum de tanto Theſauro Eremita vicinus moneretur à Lupis. Is, ut ſibi atque Imagini meliùs eſſet, eam ad Tugurium ſuum defert; ſed Imago poſtridie rediit, unde venerat, & in Vite reperta eſt. Nempe nec Palmes ſine Vite; nec Vitis ſine palmite; nec Maria ſine* JESU *reperitur.* Quid enim B. Virgo ſine Filio? aut quid B. Virginis Filius ſine unito ſibi verbo divino? aut quid *Chriſtotoces* Neſtorii, ſine univerſalis & Catholicæ Eccleſiæ *Theotoco?* unde & ipſa Deipara, in ſuo illo, planè divino carmine: *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum; & exaltavit ſpiritus meus in Deo ſalutari ſuo.* Amæbæum prorſus mihi videtur hoc carmen: nam & *Anima ſpiritui*, & *Magnificat*, ſuo reſponſat *Exultavit.* Sicut igitur *magnificavit Dominum*, qui quidem alius non fuit, quàm DEUS, ita *exultavit in ſalutari ſuo*, non ſanè alio, quàm DEO itidem, ac Domino ſuo. Quis autem DEUS alius Salvator aut *ſalutaris* ipſius, quàm ille, de quo Gabriel Archangelus (c) *Vocabis*, inquit ad Joſephum, *nomen eius* JESUM; *ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum à peccatis eorum.* Non igitur abſque *Puerulo* JESU, illa Deiparæ Icon fuit. Sed qualis tandem illa Icon? *Videbis* (ut hoc loco cum P. Guilielmo Gumpenberg in Idea Mariani At-



(a) *pag.* 107. (b) *pag.* 114. (c) *Matth.* 1. 21.

lantis (*a*) loquar) *ex tot centuriis, quas afferam, vix paucas eſſe, quibus artem aliquam à ſculptura aut pictura ineſſe dicas. Plerumque Symmetria, proportioq́ue membrorum vel nulla, vel imperita. Materia fere ſemper vilis; aurea, quod ſciam, nulla. Hæc ſtulta mundi elegit, hic portenta patrat* Deus. *Miraberis, & velatis Seraphinorum ritu oculis, indagare deſines Altiſsimi conſilium.* Sculpta deinde, an picta? & unde fuit? Anaglypham ſive ſculptam fuiſſe, & à divina potiùs, quàm humana veniſſe manu, quæ jam referemus, evincunt. Non deſunt etjamnum, qui ex ipſorum quoque, in vicino Ducatu ſectariorum famâ acceperint (quemadmodum P. Petri Althoff commentariolus refert) fuiſſe ſcilicet Raſtemburgi hominem, ob facinora, quæ patrârat, ergaſtulo incluſum, adeoq́ue de Prætoris ſententia morti jam addictum. Is ubi de ferali Theta, & lato in ſe nigro calculo factus eſt certior, pro illius ævi, imò pro Catholicorum (qui tum Raſtemburgi, & in reliqua Pruſſia omnes erant) recepto ubique more, ſecundùm Deum, ad Deiparæ patrocinium, & apertum ſemper miſeris aſylum, ſeſe recepit; & (quemadmodum proclive eſt arbitrari) ut vel vitam prorogare, vel felicem de vitæ ſtatione diſceſſum impetrare dignaretur, ſupplex oravit. Neque afflicto Deipara Virgo defuit, quæ, non ſine ſuo Filiiq́ue ſui gaudio, in ſolenni Eccleſiæ carmine *Conſolatrix afflictorum* audit. Pridie ejus diei, qui homini ſupremus erat futurus, vitæ ſuæ exitum, ignominiæ juxta ac cruciatus plenum, non ſine dolore ac metu, ut in eo temporum articulo fieri conſuevit, altiùs apud ſe reputanti, ſpectan-

(a) *pag.* 10.

ctandam ſe nocte intempeſtâ, exhibet illuſtri cum ſplendore Matrona, vultu & benignitate, quàm in humanis ſpectari poſſint, auguſtior. Nemo dubitârit, benigniſſimam Dei Matrem fuiſſe; quæ ſicut in memorato Eccleſiæ carmine, *Refugium peccatorum* appellatur, ita miſeris, ſi præſertim in vota vocetur, vix unquam deeſſe conſuevit. Ergo, ad hominem, ob præſentis jam mortis imaginem ante oculos planè obverſantem, vehementer conſternatum ac propè ſemianimem. Ecquid, inquit, angeris, ac mærore apud te contabeſcis? Quid ni angar, reponit ille? Moriendum! & quidem, craſtinâ mihi luce omnino moriendum eſt! Tum Deipara, pone metum, & hoc lignum, atque unà ſcalpellum hoc (utrumque enim homini ſimul oblatum fuerat) in manus ſume; &, quidquid libuerit, ligno inſculpe. Fecit homo imperata, & ſcalpro, quantum per ſtudium parendi potiùs, quam per fingendi artem potuit, notas quasdam eidem ligno inſcripſit. Quod ſimul factum eſt, jubet inſuper Deipara, ut & lignum & ſcalpellum, ubi craſtinâ luce prætori ſiſtendus eſſet, unà ſecum deferret; & rei, quemadmodum geſta eſſet, ſeriem, pro Tribunali, omnibus coràm exponeret; atque ubi per Prætorem abſolutus, ac liber dimiſſus eſſet, iter non aliò, quàm Reſſelium versùs ingrederetur, Imaginemque ligno illi jam impreſſam, ſuper Arborem Tiliæ, quæ juxta viam deſerto illo in loco prima occurriſſet, collocaret. Poſterâ igitur die, cùm ad Judicem & Tribunal productus, ſecundùm enarratam rei geſtæ ſeriem, lignum cum ſcalpello, pro Tribunali exhibuiſſet; apparuit mira Deiparæ effigies, non

tam facinoroſi illius, quàm alicujus è cæleſtibus geniis vel ipſius DEIPARÆ DEIvé manu, elegantiſſimè elaborata. Non potuit Prætor, cæterique Iudices, niſi admirabundi, & attonitis ſimiles, tum rei ſeriem audire, tum admirandam Deiparæ Iconem coram intueri. Ergo hominem, quantumvis noxium, quem tam illuſtri miraculo viderunt divinitus abſolutũ, ipſi quoque abſolvunt, ac liberum abire, resque ſuas habere ſinunt. Ille verò magis fortaſſe ex ipſius aſpectu Imaginis, quàm ex recepta præter omnem ſpem, vita, gaudii plenus, in viam ſe dat, ut Tiliam, cui Deiparæ Imaginem ſuperimponeret, perquirat. Quatriduo integro vagabundus oberrâſſe fertur, quoad tandem ad eum ipſum locum, in quo nunc viſitur Lindenſis Ædes, delatus Tiliam invenit; & Deiparæ Icone ſuper eam collocatâ, non ſine gratiis ſupremo Numini, magnæque Numinis Matri, ſuæ ſecundùm DEUM ſoſpitatrici, enixè actis, ad ſuos ſe recepit. At Imago Deiparæ, ſuum quaſi campum Martium apud Lindam nacta, nunquam mira in hominum ſalutem operari, & maximis deinceps coruſcare miraculis deſtitit. Quanquam & ille quatriduanus, ante collocatam ſuper Tilia Imaginem, hominis error, ſine aliqua miraculi ſpecie videtur non accidiſſe; fortaſſe ut quandam religionis, & divini apud Lindam Marianam cultus ſoliditatem æternitatemque portenderet. Quemadmodum enim in *continua*, ut Philoſophorum in morem loquamur, ita in *diſcreta* quoque quantitate, quæ potiſſimùm tempore conſtat, ſoliditas à quaternario numero pendet. *Quaternarius enim numerus* (ut Philo, libro de Mundi opificio, ait) *primus*

*ſolidi*

*ſolidi naturam oſtendit; nam in unitate cenſetur punctum; in binario linea; ubi acceſſit latitudo, fit ſuperficies ad ternarium pertinens : hac, quò minus ſit corpus naturâ ſolidum, unâ deſtituitur altitudine; quâ junctâ ad ternarium, fit quaternarius.* Eundem in modum S. Auguſtinus libro 83. quæſtionum (*a*) diſſerens *Progreſſio*, inquit, *à Puncto ad longitudinem, à longitudine ad latitudinem, à latitudine ad altitudinem, ſoliditatem corporis facit, quæ rurſus quaternario numero continetur.* Sicut ergo corporum, ita & Temporum ſoliditas, à quaternario numero pendeat; ut & hic, ex unitate primæ diei ad binarium ſecundæ, & ab hoc ad ternarium tertiæ, denique à Ternario ad ſoliditatem quartæ diei, hoc eſt, ad duraturæ, apud Lindam Marianam, religionis perennitatem (quod & capite 14. jam fecimus) non omnino vani conjectores, progreſſionem faciamus. Interim, quæ hîc retulimus, ab iis, quæ in Atlantis Mariani Idea (*b*) memorantur, haud multum abludunt. *Mira,* DEI *Mater non facit modò, ſed & imperat; quia admirabilis eſt. Militi in mente Ortone prope Paduam apparet; & ab eo Templum petit, pro Imagine monſtrata & reperta ſub aquis. Ne fides militi non haberetur, iubet eum patrare miracula coram Magiſtratu. Ille, ut iuſſus eſt à Virgine, caput coronat ramo querno viridi, & ramus repente areſcit: eodem lumbos cingit & revireſcit. Iterum ramo Olivæ viridi cinxit lumbos, & mox aruit ramus; revixit iterum, quàm primum caput ſibi eo coronavit. Hæc tot miraculorum, quæ hodie fiunt, origo.* Sed & illud, quod alibi (*c*) recenſetur, quàm his, gemina quoque de cauſa geminum! *Imago B. Virginis miraculoſa, quæ in*



(a) *queſt.* 57. (b) *pag* 99. (c) *pag.* 100.

*Romaniolâ, etiam mutatione loci, clara, tanta patrat miracula, Scrofæ indicio reperta eſt. Hæc enim deſerto grege, quotidie circa meridiem, collem aſcendit, & nemus, quod ibi erat ingreſſa, non ita multò pòſt rediit. Sequitur curioſus opilio, puer ob manus unius malum ad cætera inhabilis: reperit ſcropham orantis ſitu fixam, coram Imagine, Arbori vetuſtiſsimæ inſiſtente. Alloquitur Imago puerum; imperat & Proceſsionem, & Templi fabricam. Et, ut fides haberetur, opilioni ſpondet ſanitatem manus, quando eam coram Magiſtratu immiſiſſet in ſinum, retraxiſſetq; manutenus Moyſes.* Et illud alterius loci (a) *Forolivienſium Tutela, in ſocietatis* Jesu *Templo eſt, ſtatua Mariana, olim à nobili Germano in Arbore reperta: terquè domum portata eſt; ſed fruſtra; ter namquè ad locum rediit: culta dein Templo & Monaſterio. Hanc Ducifſa Brunſvvicenſis, ne hæreticorum in manus veniret, Collegio donavit, unà cum Manica B.V. quæ in ipſa Imagine latebat.* Et pag 106. *B. Virginis ſtatuam in monte Bruno, paſtor reperit, tulitquè domum. Fuêre, qui intempeſtivâ pietate eam paſtori eriperent, collocaturi in Vrbe, loco decentiore; ſed pretium operæ fuit cæcitas, dum ſtatuam reponerent in domo coloni.* Et pag. 107. *Boccaholerii in Calabria Templum hodie vides grande. Hic olim ſpelunca fuit, in qua ſtatua miraculoſa reperta, coli voluit. Quæ à populo, ſemel iterumquè cum pietate, ad ampliorem cultum, aliò aſportata, è marmore licèt ſit, rediit tamen.* Neque eſt quod mireris, facinoroſorum operas hominum ad propagandum ſui cultum, Deiparam adhibere: nam ut in eadem Idea (*b*) legimus, *nec piratas odit Maria, modò velint ipſi odio digni non eſſe. Petrus Bianchus, ex pirata factus eſt Eremita Novofori;* *viſam*

(a) pag. 103. (b) pag. 111.

*viſam Virginis Imaginem in quercu reperit; cujus favores & gratiæ hodieqúe durant.* Quæ tot ac tanta, in una B. V. Lindenſis Effigie, quo pacto ſint reperta, ex iis, quæ ſequuntur, patebit.

## CAPUT XVI.

*Cæcus, recepto viſu, primum Imaginis Deiparæ Lindenſis beneficium expertus.*

POſteaquam homo, qui Iconem Deiparæ ſuper Tiliam defixerat, gradum inde movit, cæcus quidam illac, ſive curru ſive carpento, fortè prætervehendo ſeſe admovit. Nobili genere & opibus florentem fuiſſe, eorundem hominum teſtimonio & famâ accepimus; qui cùm cætera nihil videret, ne Imaginem quidem illam cernere potuit. At verò auriga, qui hominem vectabat, ſimul ac Tiliam versùs oculos flexit lucem quandam, & eximium promicare inde ſplendorem advertit. Subſiſtit igitur tantisper, & herum de viſu, reique novitate admonet. Herus, ut gradum propius admoveat, & omnia coram exploret, ſibiqué ex fide renuntiet, imperat. Accedit ille, & jam Arbori proximus, Effigiem Deiparæ, mirâ undique cinctam luce, attonitus juxta, ac venerabundus aliquandiu intuitus; tandem hero, quod vidiſſet, renuntiat. Herus quantò oculorum caſſus lumine, tantò magis aciem mentis intendere; & inter fluctuantis obſtupeſcentisque animi æſtus, forſitan hæc apud ſe agitare. Siccine Arbor, vicino nobis loco ſata, novo quaſi fructu onuſta, Effigiem nobis magnæ DEI Matris profert? Siccine, & effigie, & luce pariter, quæ ab effigie promicat, illuſtris Tilia, & locum & Pruſſiam uni-

univerſam illuſtrabit? Quid ni & me, & oculos meos, pulsâ caligine, illuſtrare queat? Potuit illa in Paradiſo Arbor, fructu infelici protoplaſtos ad ſe pellicere, ut, etjam DEO vetante, guſtarent, & apertis, inter guſtandum, eorum oculis, clarum cernerent, *aperti enim ſunt oculi amborum* (*a*) nunquid & hæc novo, præter ſpem, fructum quaſi fæta Arbor, novum mihi patriæque paradiſum reddit, & cùm mihi, tum aliis plurimis viſum, atque integram animi corporisque lucem reſtituet? Potuit Jonathæ, regio quondam juveni, *pauxillum mellis*, ſimul ac ori & linguæ, extimo duntaxat virgæ apice fuit admotum, tantum prodeſſe, ut gloriabundus confeſtim exclamaret; *Videtis ipſi, quia illuminati ſunt mihi oculi, eò quòd guſtaverim paululum de melle iſto* (*b*) nunquid poterit ros & ſuccus, qui de Tilia iſta, non jam dædalæâ apum induſtriâ in favos mellis, ſed in divinarum fluenta gratiarum, operâ & arte prorſum divinâ, uti ſpes eſt, redundabit, ad meorum lucem oculorum aliquid conferre? Tum ad aurigam versùs, Age, inquit; fac me ad Tiliam iſtam, &, quam ipſe vidiſti, Deiparæ Imaginem, ſine mora ducas. Ductus eſt, & ſimul atque manus, primùm Tiliæ, tum deinde ipſi ſuper Tiliam poſitæ Imagini, eodem ſervo ductore, admovit; ſubitò easdem manus ad oculos convertit; converſisque ita manibus, iterum atque iterum viſum quaſi perungit. Crederes non vacuas, ſed illius ipſius, quâ Imago radiabat, lucis plenas ita fuiſſe redditas manus, ut etjam intra oculos eadem lux redundaret. E veſtigio enim, homo, lucis uſuram recepit; & gaudio exultans, gratiis DEO, Deipa-

(a) *Gen.* 3.7. (b) 1.*Reg.* 14.29.

Deiparæque actis, nullâ ampliùs ductoris ope, ad currum, inde verò domum, incolumis se recepit.

## CAPUT XVII.

*Etjam brutæ animantes Imaginem Deiparæ Lindensis venerantur.*

SI fortè aperti, ut vidimus, nobilis viri oculi, ad aperiendos aliorum, præsertim in vicino positorum oculos, & cognoscendam colendamque DEI, per Matrem suam mira operantis, potentiam atque majestatem, non satis attulerunt, momenti; attulerunt profectò sub illud ipsum tempus, tum oculi belluarum magis quàm hominum, aperti; tum cernui coram Effigie Deiparæ, earundem belluarum poplites. Quemadmodum enim nobilis ille vir, ita brevissimo, ut ego quidem conjicio, intervallo temporis interjecto, pastores quidam suo cum grege, ad eundem locum fortuitò delati, ab ipso grege suo, quem Deiparæ ejusque Imagini præstare cultum & venerationem tenerentur, abundè didicerunt. Pastoribus enim gregem hinc inde ponè sequentibus, posteaquam pecora, carpendis intenta pascuis, ad Tiliam propius accessêre, sive aliquâ radiantis adhuc Imaginis luce perstricti fuerint oculi; sive præcordia, superiore aliquâ vi atque instinctu permota, subitò in genua provolvuntur; &, quâ possunt, pollentque voce, DEI, DEIPARÆ, locique ipsius religiosam procumbendo majestatem profitentur. Nimirum suo quodam modo impleri hîc oportuit illud Isaiæ (a) *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui*: nisi fortè quis, aut JESUM neget Dominum; aut Virgi-

(a) *cap.1.3.*

Virginis Deiparæ uterum poſthabeat præſepi. Neque verò inſolens eſt, etjam brutas animantes Dei majeſtatem, flexis quoque poplitibus venerari, cum & hominibus, nullo fortaſſe alio, niſi ſolius naturæ, genio ductæ, debitam ſæpe conteſtentur gratitudinem. Leo, ut refert in Prato ſpiritali Sophronius, ob exemptam ſibi à S. Geraſimo ſpinam, ſedulò per totam vitam eidem ſancto viro ſervivit; & morienti morte ſuâ, præ mœroris acerbitate, parentavit. Simile, & aliquanto etjam notius eſt, quod de Androdi Leone refert ex Appione Gellius (a) Neque minus admirandum eſt, quod, aut de educato & in ſolitudinem delato, à Thoante Arcade, Diacono memorat ex Democrito Lilius Giraldus libro de Ingrat. aut ex Demetrio Phyſico de Panthera; aut de Aſpide, ex Philarcho. Quæ, ſi lubet, apud Cornelium, ad citatum Iſaiæ locum, pluribus expoſita ſpectari poſſunt. Nobis, ad rem præſentem quiddam affine, tum ex Lipſio de Diva Aſpricollenſi, tum ex Atlantis Mariani Idea præter jam adducta, afferre lubet. *Statua B. Virginis in Brugeriis*, inquit in Atlante Petrus Poſſinus, *prope Toloſam in agro jacuit. Hanc boves in terra proni adorârunt; quaſi ejus ectypon eſſe intelligerent, quam olim boves venerati ſunt in ſtabulo.* At verò Lipſius (b) *Aiunt*, inquit, *ante centum annos (& conſtans ita fama habet) fuiſſe paſtorem, qui oves in eo tractu paſceret: atque is repertam, neſcio quo caſu, humi Imaginem ſuſtulit, in ſinu condidit, certus eam domum ſecum auferre. Parva enim erat, & privato cultui videbatur opportuna. Sed dum agitat, ecce membra eius omnia ſtupere; pedes utique non movere,*

(a) *lib. 5. cap. 14.* (b) *cap. 3.*

*vere, & quaſi frutex aut ſtipes ibi ſtare. Ipſe mirari & animo quoque ſtupere, nec ad cauſam aſſurgere: herus autem villicus abſens, requirere paſtorem ſuum, & gregem; nam horâ iam reditui lapsâ, & ſole remoto nox propinquabat. Itaque infortunii anxius eò accurrit: & reperit defixum ſtantem, & quæ geſta, ſimpliciter narrantem. At ille mentis melior, Imaginem ſtatim recipit, & timidâ religione, in veteri ſua ſede & Quercu reponit. Eoque facto, paſtor velut vinculis liberatur: & venerati uterq; Numen, domum abeunt, rem denarrant, & viciniam totam religionis implent.* Melior aliquanto conditio excepit noſtros Paſtores, ſtupore quidem animi, non tamen corporis defixos: non ſecus atque illos qui B. V. in monte Serrato Imaginem conſpexerunt ac venerati ſunt primi. De quibus in Mariani Atlantis Idea (*a*) huncin modum ſcribitur. *Quæ in Monte Serrato, toto celebris orbe eſt Imago B. V. fulgore inſolito & cantu Angelico ſeptem paſtoribus, & quidem pueris indicata eſt. Vnde ex ore infantium perfici ſibi hanc laudem voluit, ſtabuli memor, Mater* DEI. Non ergo poterant illi noſtri, qui pecora ſua illis in paſcuis, ad ſingularem Numinis utique venerationem ita procubuiſſe humi cernebant, ad tantam rei novitatem non commoveri vehementer, atque obſtupeſcere. Mox tamen, ubi ad ſeſe aliquantum ſunt reverſi, Tiliam verſus, quam pecus venerabundum undique cinxerat, progrediuntur; & *viſâ* Deiparæ, ſuper Tiliam mirum in modum coruſcante, Imagine, ipſi quoque tum gaudii tum venerationis pleni, quæ in ſe, quæque in grege ſuo, oculis animiſque uſurpârant, cùm cæteris mortalibus, tum civita-

(a) *pag.* 92.

vitati potiſſimùm Raſtemburgenſi, cujus intra fines Tilia Arbor & fundus Lindenſis jam tum quoque erat, non ſine magna Numinis & Deiparæ laude, evulgant.

## CAPUT XVIII.

*Imago DEIPARÆ iterum atque iterum deportata Raſtemburgum, ſemper ad fundum Lindenſem, & ſuam in Tilia ſedem remigrat.*

QUod poſteriore ævo apud Sichemium, in Aſpricollenſi Diva eveniſſe retulit citatus proximè Lipſius; multò ante apud Lindam Marianam conſtat eveniſſe. Neſcio enim, quomodo pleraque, quæ apud alia D. Virgini ſacra loca, Deus mira operari dignatus eſt, quaſi aggeſta & liberaliter accumulata (uti antea quoque (*a*) intelligi facilè potuit) Lindæ Marianæ eſſe voluit. Igitur ſicut Aſpricollenſis Divæ Imago, quamvis loco mota, locum deſerere noluit, quod & alibi quoque non raro eveniſſe, proximè audivimus (*b*) ita apud Lindam, loco quoque mota, majore miraculo, locum ſemper repetiit. Paſtorum enim nuntio, & fortaſſe plurimorum aliorum famâ, commotis in Pruſſia mortalibus, univerſos quidem Imaginem Deiparæ, ad Lindam repertæ, coram videndi, Reſſelienſes verò atque Raſtemburgenſes etjam habendi cupido inceſſit. Utrique ejusdem Diœceſeos (ſicut & nunc quoque ſunt) jam tum erant; illi tamen jure viciniratis, quemadmodum hi jure municipii, pro obtinenda cauſa decertabant. Nam uti Reſſelienſes, aliquot fere paſſuum millibus Lindæ ſunt viciniores, ita Raſtenburgenſes propinquitatem loci,

(a) *cap. 5. & 16.* (b) *cap. 16.*

loci, unius ejusdemque municipii jure compenſant; ideoque jam tum causâ ſuperiores erant. Statâ quocirca die, ad quam plurima, *vicini* præſertim populi, multitudo confluxerat, Raſtemburgenſes (qui id ævi, pietate cum quavis in Pruſſia civitate facilè contendebant) totis effuſi mænibus, compoſito ſupplicantum in morem agmine, Clero & Cleri Ductore Parocho, pro recepto ubique more, præeuntibus, ipſis quoque, ut credi par eſt, Ordinis Theutonici militibus ſuo cum *Commendatore*, ut vocabant, ponè ſequentibus, Lindam versùs, magno ſilentio, majore verò pietate, & geſtientium animorum ſenſu progrediuntur. Ubi ad locum Lindæ ventum eſt, & jam, tum mirabilis Tilia, tum in ipſa quoque Tilia multò admirabilior magnæ DEI Genitricis Icon, ſpectari coram potuit; omnes in genua provoluti, & quà tacitis animi votis, quà publicis inſuper vocibus in DEI, DEIPARÆQUE laudes certatim effuſi, ſuam, patriæque de tam præſente propitii Numinis beneficio fauſtitatem, jam tum augurabantur pariter, ac prædicabant. Atque (ut ex illa tunc Chriſtiana Catholicaque Raſtenburgenſium religione divinare licet) alii ſibi laribusque ſigillatim ſuis, alii toti civitati ac municipio; alii toti Pruſſiæ, omnes verò Eccleſiæ Chriſtianæ univerſæ, ex illo divinitus apud ſe recens aperto aſylo, fauſtiſſima quæque animis præconcepta, ſingultibus præ gaudio exundantibus, lacrymisque ubertim fuſis, quaſi in perpetuum conſignabant. At verò Curio, cæterique, qui de Clero aderant, ubi ſatis populo jam per ſe currenti, pro concione habita admoverunt inſuper calcaria, Ferculum, quod geſtan-

Digitized by Google

ſtandæ deportandæque Imaginis causâ magnificè apparatum ſecum adduxerant, expediunt, & magnæ Dei parentis Imaginem, thure aliiſque, pro more, odoramentis ante honoratam, de Tilia, magna cum pietate, & gaudio reverentiæ mixto levãt, & Thenſæ quàm decentiſſimo ritu imponunt. Tum verò Cantorum, qui aderant, chorus, cæteriqué omnes choro præeunte, in ſupremi Numinis & Deiparæ laudes vocem attollunt; ac majore etjam, quàm venerant, tum pietate tum exultatione, iter Raſtenburgum celerrimè relegunt. Quò poſtquam reditum eſt, omnes, quâ venerant pompâ, & gaudio, ad Ædem ſacram pergunt; Imaginem ſumma in Ara conſtituunt, & gratiis, de Theſauro tanto non tantùm invento, verùm & domi jam in tuto collocato, Numini actis, domos quisque ſuas, magno cum animi ſenſu, nec minore in Deum atque Deiparam conceptâ fiduciâ, ſe referunt. Verum enimverò, ut non ingrata fuit illa Raſtemburgenſium, in Deum & Dei Matrem pietas atque religio, locus tamen ille, in quo Deiparæ Icon Lindâ aſportata fuit repoſita, non uſquequaque gratus eſt viſus; quippe eadem illa die à Deiparæ Icone deſertus. Nam ubi poſtridie ad Templum, vel ſolius illius Iconis ſpectandæ causâ, ſolito eſt celerius concurſum, nulla in Ara majore, ubi repoſita erat, nulla toto in Templo apparuit Imago. Omnibus vehementer ea ſuper re attonitis, nuntium affertur Lindâ, Imaginem Deiparæ, ſuam ſuper Tilia ſedem iteratò repetiiſſe: ac fortaſſe ejus præſentiam, ex pecoris iteratò circum Tiliam in genua prolapſi veneratione, à paſtoribus, aliiſque, qui ade-

aderant, iterum cognitam eſſe. Raſtemburgenſes ad eum nuntium obſtupeſcere, neque tamen animos adhuc deſpondere: Tanta enim pietas, tantus in Dei parentem cultus illo vigebat ævo Raſtemburgi, cujus nunc vix ulla reperias veſtigia! Majore igitur, quàm pridie fecerant, & animi & corporis pietate, ſupplicantium agmen iterum Lindam cogunt, Imaginemque Deiparæ ibidem repertam, ad illud idem Templum reducunt; atque in eadem majore Arâ, ſed & eodem prorſus eventu, collocant. Poſtridie enim Imago, non jam Raſtemburgi, ſed Lindæ iterum reperta conſpectaque fuit: proinde tum Raſtemburgenſibus, cum Reſſelienſibus aliiſque in vicino poſitis, alia promovendi divini cultus conſilia animo oborta; de quibus jam agemus, ubi affine quiddam de Chriſti Crucifixi Effigie, è ſacra Domo Lauretanâ necquidquam aſportata, Turſellinum, & de Turcanenſi Boleslavienſi ac Tungrenſi B.V. Imagine Gumppenbergium, in Atlantis Mariani Idea, deque Brunſvicenſi Orlandinum audierimus narrantes: *Fama etiam tenet*, inquit Turſellinus, *antiquiſſimam Chriſti crucifixi Imaginem, ſimul cum Domo advectam, multiplici eodem tempore miraculo extitiſſe inſignem. Nam cùm eam efferri, & in ſacello, ad id exornato, ut majore honore coleretur, reponi Recinetenſibus, & Epiſcopo placuiſſet; translatam ſubinde in ſacram remigrâſſe Domum, & in ſuam ſedem recepiſſe ſe. Itaque illos, re nequidquam ſæpe tentatâ, irrito demum incepto deſtitiſſe.* At verò Gumppenbergius pag. 78. *Statua*, inquit, *B. Virginis Turcanenſis in Moravia prope Brunam, à pio Ruſtico in Ruba reperta eſt, circa annum* 1050. *Portata domum bis,*

*bus rediit ad Rubum: tertiâ vice in domum coloni reportata, mutavit ſtatua ſententiam, & ſtetit; ſtabuli, ut puto, memor & paſtorum. Accolæ Kyrlicenſes non procul inde Aream Templo deſignant, & fabricæ neceſſaria; fide bonâ, id eſt ruſticâ, comportant, convehuntque. Sed his omnibus, divinâ virtute ad ruſtici domum deportatis, perſuaſum colonis cælitus poſt non longas ratiocinationes eſt, ibi virginem coli velle, ubi ſtatua (iure domicilii tertio reditu potita) ſedem fixiſſet, quod & factum.* Neque minùs affine eſt prioribus, quod eodem ſubjungit loco. Quòd ego quidem, vel eo quoque nomine, quod à B. V. Lindenſis alumno & cliente (quippe Meelſaco, Varmienſi civitate oriundo) P. Andrea Schambogen Provinciæ Societatis Jesu Boëmiæ Provinciali, primùm literis fuit proditum, ad Lindenſem hiſtoriam referendum puto. *Boleslavia Boëmiæ*, inquit ille, *theſaurum habet, agro emptum. Statua eſt Deiparæ, quam ruſticus, cùm terram aratro proſcinderet, eruit, domumq́ tulit, & arcâ clauſit. Poſtridie iterum reperta in agro eſt, & à ruſtico, duplicatâ lætitiâ, domum portata. Crediderat bonus, habere ſe nunc duas ad amuſſim ſibi ſimiles; dum, & vacuam reperiret arcam, & hanc, eam ipſam eſſe, quam pridie reperiſſet, palparet. Hoc argumentationis genere, convictus utcunque colonus, tertiâ tamen vice reportavit; & verò tertiùm etiam reſpondit* Deus, *cui ſermocinatio cum ſimplicibus eſt, tam piè interroganti. Deprehenſum deinde à ſagacioribus eſt, illam eſſe, quam S. Venceslaus Rex olim è collo pendulam geſtare conſueſſet. Metalli ſpeciem nemo agnoſcit. Creditum eſt, ſtatuam hanc, quia Reginæ cæli ectypon eſt, olim regiis manibus tractatā, nunc bobus, venerationis causâ, in terram procumbentibus, adoratam. Ei-*

dem

*dem poſtulare opulentiorem. Itaque divites plebis, ædibus coloni dirutis, Ædem Virgini ſtruxêre in agro, quam ſibi hodieque gratam eſſe, portentis probat.* Quid quod Tungrenſis in Hannonia ſtatua ter ad eundem itidem locum divinitus reportata, Templum eodem loco, B. Virgini ſtruendum perſuaſerit? Audi rem ex eadem Atlantis Mariani Idea. *S. Maternus, à Chriſto ad portas urbis Naim à morte ſuſcitatus, & matri reſtitutus, ideoque Maternus dictus; à S. Petro creditur miſſus in partes ſeptentrionales, & apud Tungros, primam poſuiſſe ſtatuam B. Virgini, & primum Templum. Statua, quæ hodie à Tungris colitur, ſive illa, ſive alia ſit, mediâ poſt mediam noctem horâ, inter ſplendores & concentus cæleſtes, ab Angelis in hortum cuiusdam nobilis ter deportata, denique perſuaſit, ut crederetur, ibi ſe velle ſedem figere, & coli.* Pluribus de eadem Valrandus Caoult apud Fridericũ Fornerũ in Palma triumphali lib. 5. c. 25. Affine eſt, quod eadem Atlantis Idea ex Octav. Pancirollo pag. 37. refert: *Imago B. Virginis ab Illuſtriſſimo Frangipane, olim ex Oriente allata, hodie S. Maria Nova dicitur. Fabrica causâ, aliò portata, ſuâ ſponte rediit. Credo, in S. Petri honorem, qui eo loco preces in cælum miſit, ut è cælo in terram affligeretur Simon Magus.* Denique Orlandinus ad Anni M. D L X X X I V. Annales: *Hanc,* inquit, *Imaginem, annis antè ſexcentis Eques nobilis, dum ſilveſtres agitat feras, invenit. Ea impoſita erat trunco arboris pervetuſto. Non tulit pius eques in occultis eam ſilvis, ſine honore latere. Ablatam ex ignobili legimus, deportari iuſſit in ædes: ſed non diu illa, à ſuis ſedibus abeſſe voluit. Poſtridie ad eundem Truncum arboris reperitur. Cumq; ſemel atq; iterum, unde ablata fuerat, revertiſſet, rei miraculo vir nobilis excitatus, Virginum cœnobium ibi in locis inſtruxit.*

# CAPUT XIX.

*Imagini DEIPARÆ Lindam ſapius repetenti, ſacellum, de piorum munificentia ſtructum, & Tilia, tum ramis & frondibus, tum umbrâ etjam myſticâ admirabilis, ſacelli muris incluſa.*

TOt, & tantis providentiæ voluntatiſque divinæ indiciis, cùm planè cognitum perſpectumque omnibus eſſet, dignum DEO ac Deiparâ, in oblata divinitus Imagine, cultum non alio, quàm Lindenſi in loco eſſe promovendum; nemo jam de transportanda aliò Imagine, omnes verò de rationibus ſtabiliendi eo loco divini cultus, cogitationem ſuſcepêre. Atque aliis alia apud ſe verſantibus, illud denique omnium ſuffragiorum calculis ſtetit; ut, quemadmodum Imaginem ſegregari à loco nefas jam eſſet, ita & Imago ſimul & Tilia, ſacello quàm primum ſtructo, undique cingeretur. Ita tum decretum, ita citra moram opere ipſo, quod conſtitutum fuerat, eſt perfectum. Crediderim piorum ſubſidio ac munificentiâ opus ſteriſſe; qui enim aliunde cenſus obveniſſe cenſendi? præſertim, cùm illo ævo, aut omnes, aut plurimas in Pruſſia Eccleſias, nonniſi de piorum liberalitate ſtructas eſſe, argumento ſit illa ipſa, Deiparæ Gedani, uti diximus, ſacra, omniumque aliarum facilè princeps, ideoque verè appellanda *Baſilica*. Præterquam enim, quod Eberhardus Böticher in manuſcripto Baſilicæ illius commentario, quem ille appellavit Rerũ indicem, ex variis Indulgentiarum, ad promovendam fabricam datarum, conceſſis diplomatis, id palàm adſtruat, tempus inſuper ſeculi integri, quod ob eleemoſynarum ſenſim corrogatarum moram, fabricæ impendi oportuit, idipſum ſuadet.

det. Quemadmodum enim ſupra Adytum ſive *ſacriſtiam* Eccleſiæ, aureis ſcriptum cernimus literis, *Anno Domini* M CCCXLIII. *feriâ quartâ poſt Lætare, poſitus eſt primus lapis muri civitatis Dantzk; & poſtea, proximâ feria, poſitus eſt primus Lapis muri B. V. Mariæ; cuius dedicatio celebrabitur Dominica proxima poſt feſtum Mariæ Nativitatis.* Sive autem primus ille Lapis Turri duntaxat Templi, ſive priori Deiparæ Templo (cujus poſtmodum loco major Baſilica nonniſi circiter Annum M. CCCC. cæpta, & M. DIII. perfecta, quo ad V. Cal. Sextiles quartâ à meridie horâ, ultimo fornici ſuprema impoſita eſt manus) ſubjectus fuerit, conſtat opus illud magnificum, à magnifica pietatis Catholicæ, quæ tum Gedani eximiè regnabat, liberalitate partim inchoatum, partim abſolutum eſſe; ut vix aliud de cenſibus atque impendiis, ſub idem fere tempus, in ſacellum Deiparæ Lindenſis collatis ſtatui poſſe videatur. Et, ut fortaſſe Raſtemburgenſium, tum jura, tum pietas atque munificentia, in fundamentis totoque ſacelli opere ſtruendo, primas tenuerit; minimè tamen inficias iverim Reſſelienſium quoque, uti & aliorum juxta poſitorum, haud contemnendas acceſſiſſe ſymbolas: Fratribus Theutonicis, uti illo ævo iis mos fuit, tum Ideam operi ſuggerentibus, tum operas ad maturandam fabricam dirigentibus. Quadrata operi figura, alterâ parte longior delecta ac data eſt, ita ut longitudo quidem cubitos vicenos, latitudo verò terdenos circiter obtineret: ſicuti è vetuſtis, quæ etjamnum ſuperſunt, & ſacellum poſtliminio ſuperſtructum commodè ſuſtentant, fundamentis cuivis intueri licet. Illud eo in opere

prorſum ſingulare, ac miraculo proximum ſemper fuit viſum, quod ductis in ſublime, ut par erat, muris, tectum aut non potuerit, aut non fuerit neceſſe ſuperne claudi. Ipſa enim Tilia, quæ medio fere ſacelli loco (ubi nunc quoque pavimentum, ad rei memoriam, quaſi in collem exurgit) relicta, & muris undique fuit cincta; ramis ac frondibus in altum latè fuſis, mutuumque denſiſſimè ita implexis, ut nuſquam pervadere imbrium guttæ, aut perpluere poſſent, totius aut magnæ partis tecti vicem ſubiit. Et erat amænum ſanè, nec minùs rarum ſpectaculum, non modò Tiliam, hibernâ juxta ac æſtivâ tempeſtate perenniter vigentem ac virentem, verùm & totam ramorum, frondium, ac foliorum quaſi majeſtatem, ſupra Ædem ſemper diffuſam intueri, ut jam non multum videatur habere, unde Majolus Tom. 1. Colloq. 11. ſcribendo glorietur. *Vidimus apud Ravennam in litore Adriatici maris Templum, cui D. Mariæ Rotundæ, ob circularem formam, nomen eſt, cùm antea fuiſſet Theodorici Gothorum Regis ſepulchrum latiſſimè patens. Mirandum, omne illud Templum, unico ſaxo tegitur, cuius ambitus eſt ſupra pedes centum, craſſities ſupra decem, ut latius ſaxum nemo in Europa vidiſſe putetur.* Siquidem verò fides Herodoto lib. 2. habenda, In Ægypto unicum ſaxum, per ſingula quatuor latera, cubitis 40. latum, intus exciſum, per ſe unum efficit Templum, manente parietum ac tecti, in excavato illo ſaxo craſſitie cubitorum quatuor: uti inter mira mirorum num. 22. Pontanus refert. Neque minùs grata erat ipſa Tiliæ umbra, quæ, quò major ac denſior ab opaco frondium implexu deſcendebat, eò

pere-

peregrinis, & ad refrigerium quietemque aptior, & ad excitandam in præſidio patrociniοque Mariano ſpem acfiduciam erat utilior. Quotus enim quisque, Tiliæ Marianæ umbrâ beneficioque dum frueretur, non ſimul erigebat animum, ad illius, quod à Deo per Deiparam jam acceperat, vel accepturũ ſe certò ſperabat præſidii, protectionisque umbram? Quis non in ea umbra, vel tacitus apud animum ſuum illud (a) ſibi occinebat, *ſub umbra illius, quem deſideraveram, ſed; & fructus eius dulcis gutturi meo?* Quæ enim hæc alia umbra, quàm illa, de qua divinus ad Deiparam nuntius (b) *Spiritus Sanctus*, inquit, *ſuperveniet in Te, & virtus Altiſsimi obumbrabit Tibi? Quia enim illa*, ut S. Ildefonſus ſerm. 4. de Annunt. ait, *meruit virtute Altiſsimi obumbrari, nos meremur eius precibus adiuvari.* Nimirum, uti ſponſæ aliæ, ſub ipſum deſponſationis tempus, conopæo ſive pallio, aut id genus Sponſi ſui umbraculo ſolebant tegi (uti id Cornelius loc. cit. non tantum è Ruth 3. 9. Ezech. 16. 8. verùm & ex Euripide demonſtrat) ita magnæ Dei Matri, *virtus Altiſsimi obumbravit.* Præclarè S. Gregorius apud eundem Cornelium, *Vmbra*, inquit, *Christi, protectio eſt Spiritus Sancti: Spiritus quippe Sanctus mentem, quam replet, obumbrat; quia omnem tentationum fervorem temperat: &, dum aurâ ſuæ inſpirationis mentem ſuaviter tangit, quidquid noxii caloris ſuſtinebat, expellit: & quam iam forſitan nimius vitiorum æſtus marcidam fecerat, umbra Sancti Spiritus protegens recreat: ut dum in eius inſpiratione ſedens pauſat, vires colligat, quibus ad æternam vitam robuſtius currat.* Si igitur Socrati, quemadmodum à Platone



(a) *Cant. 2. 3.* (b) *Luc. 1.*

tone in Phædro inducitur, ſub Platano diſputanti, licuit gloriari. *Hac Platanus, eſt admodum patulis diffuſa ramis & procera; & altitudo opacitaſque perpulchra nimium & amœna*: quidni licuerit, & adhuc cuivis ſub Tiliæ Marianæ umbra ſedenti, liceat & altitudinem, & opacitatem, & pulchritudinem, & amænitatem, & iſtiusmodi ſexcenta, in ejusdem Tiliæ prædicare umbra? Si licuit, quemadmodum libuit, Xerxi Regi, ad proceram in Lydiæ ſolitudine Platanum, teſte Æliano (a) caſtra tanto referta exercitu, nullâ poſtulante neceſſitate, ponere, & ſolido ibidem die exacto, multiplicem juxta ac precioſum ex ea ſuſpendere ornatum; torquibus & armillis ramos frondeſque onerare; denique & curatorem ei, cuſtodemque ac propugnatorem, tanquam amaſiæ, relinquere: quid ni liceat, Tiliæ Marianæ aliquid ſive ornamenti, ſive venerationis adjicere? niſi fortè aliqui exſpectent, ut Themiſtocles iis pro merito occinat, quòd ingruente pluviâ ad platanos recurrant, quas tamen, redditâ ſerenitate, inſectentur ac vellicent. Ego, ut Olao Magno (b) facilè annuerim, Templum Upſalienſe, ob aurum, quo erat magnificentiſſimè inductum, Lindenſi ſacello ditius, vel etjam auguſtius, potuiſſe videri; tamen ob ingentem ignoti generis arborem, Templi illius foribus adſtantem, & perinde hieme ac æſtate florentem, nihil omnino præ perpetua Tiliæ Marianæ viriditate, amplitudine, & quâdam, quaſi ſupra naturæ vim, eximiâ majeſtate, conceſſerim: tantum abeſt, ut *Arboribus*, uti Tertullian. c. 9. Apologetici loquitur, *Templorum obumbratricibus*, in comparatione Tiliæ

(a) *lib. 2. cap. 14.* (b) *lib. 3. hiſtor.*

Tiliæ Marianæ, aliquis eſſe poſſet locus. Quò enim magis profana erant Idolorum fana, eò quoque magis profanæ erant fanorum illorum obumbratrices arbores; quantumvis Lyſiæ Oratori, pro exciſo iſtiusmodi obumbratricis oleæ trunco, integrâ fuerit oratione dimicandum: quali tamen dimicatione, magno Chriſti militi S. Martino, cùm Pinum, quæ fano erat proxima, excidiſſet, minimè opus erat, uti Severus Sulpitius cap. 10. vitæ percenſet. Cæterùm Deipara cùm alibi ubique ſit *Arbor vitæ*, tum apud ſuam Lindam ſingulariter atque eximiè eſt Arbor obumbratrix. *Arbor eſt* MARIA (inquit Richardus à S. Laurentio lib. 12. de laudibus Virg.) *propter virorem virginitatis, humorem gratiæ, medullam pietatis, folia ſacrorum verborum, frondes bonorum operum flores ſanctorum deſideriorum, fructum unigeniti* DEI: *umbram protectionis, refrigerium illorum, qui malè exæſtuant; radicem humilitatis fidei, & charitatis, celſitudinem ſpei, & eminentiam contemplationis.* Unde, non longè ab eo loco, *In* MARIA, inquit, *veluti in horto condenſo, & umbroſo, invenitur umbra propitiationis.* Sed & olim jam, Eccleſiâ Græcâ in Menæis teſte (*a*) *Beatiſſimus prophetantium chorus Montem ac Portam appellavit Obumbratricem.* Quos inter Prophetas, meritò illud Iſaiæ de umbra in horologio Achaz Regi Ezechiæ datum (*b*) jure cenſuerimus; qui vel uni S. Joanni Baptiſtæ (ut Robertus à Crypta Minerva in Itinerario quoque obſervavit) adhuc in utero matris poſito, plus ab hac umbra virginea ſcimus obveniſſe beneficii, atque remedii,



(a) *apud VVagnereck num. 34.* πύλην τε ϗ ὄρος κατάσκιον. (b) 4. Reg. 20.

ſtandæ deportandæque Imaginis causâ magnificè apparatum ſecum adduxerant, expediunt, & magnæ Dei parentis Imaginem, thure aliisque, pro more, odoramentis ante honoratam, de Tilia, magna cum pietate, & gaudio reverentiæ mixto levãt, & Thenſæ quàm decentiſſimo ritu imponunt. Tum verò Cantorum, qui aderant, chorus, cæterique omnes choro præeunte, in ſupremi Numinis & Deiparæ laudes vocem attollunt; ac majore etjam, quàm venerant, tum pietate tum exultatione, iter Raſtenburgum celerrimè relegunt. Quò poſtquam reditum eſt, omnes, quâ venerant pompâ, & gaudio, ad Ædem ſacram pergunt; Imaginem ſumma in Ara conſtituunt, & gratiis, de Theſauro tanto non tantùm invento, verùm & domi jam in tuto collocato, Numini actis, domos quisque ſuas, magno cum animi ſenſu, nec minore in Deum atque Deiparam conceptâ fiduciâ, ſe referunt. Verum enimverò, ut non ingrata fuit illa Raſtemburgenſium, in Deum & Dei Matrem pietas atque religio, locus tamen ille, in quo Deiparæ Icon Lindâ aſportata fuit repoſita, non uſquequaque gratus eſt viſus; quippe eadem illa die à Deiparæ Icone deſertus. Nam ubi poſtridie ad Templum, vel ſolius illius Iconis ſpectandæ causâ, ſolito eſt celerius concurſum, nulla in Ara majore, ubi repoſita erat, nulla toto in Templo apparuit Imago. Omnibus vehementer ea ſuper re attonitis, nuntium affertur Lindâ, Imaginem Deiparæ, ſuam ſuper Tilia ſedem iteratò repetiiſſe: ac fortaſſe ejus præſentiam, ex pecoris iteratò circum Tiliam in genua prolapſi veneratione, à paſtoribus, aliisque, qui ade-

aderant, iterum cognitam eſſe. Raſtemburgenſes ad eum nuntium obſtupeſcere, neque tamen animos adhuc deſpondere: Tanta enim pietas, tantus in DEI parentem cultus illo vigebat ævo Raſtemburgi, cujus nunc vix ulla reperias veſtigia! Majore igitur, quàm pridie fecerant, & animi & corporis pietate, ſupplicantium agmen iterum Lindam cogunt, Imaginemque Deiparæ ibidem repertam, ad illud idem Templum reducunt; atque in eadem majore Arâ, ſed & eodem prorſus eventu, collocant. Poſtridie enim Imago, non jam Raſtemburgi, ſed Lindæ iterum reperta conſpectaque fuit: proinde tum Raſtemburgenſibus, tum Reſſelienſibus aliisque in vicino poſitis, alia promovendi divini cultus conſilia animo oborta; de quibus jam agemus, ubi affine quiddam de Chriſti Crucifixi Effigie, è ſacra Domo Lauretanâ necquidquam aſportata, Turſellinum, & de Turcanenſi Boleslavienſi ac Tungrenſi B.V. Imagine Gumppenbergium, in Atlantis Mariani Idea, deque Brunſvicenſi Orlandinum audierimus narrantes: *Fama etiam tenet*, inquit Turſellinus, *antiquiſſimam Chriſti crucifixi Imaginem, ſimul cum Domo advectam, multiplici eodem tempore miraculo extitiſſe inſignem. Nam cùm eam efferri, & in ſacello, ad id exornato, ut majore honore coleretur, reponi Recinetenſibus, & Epiſcopo placuiſſet; translatam ſubinde in ſacram remigrâſſe Domum, & in ſuam ſedem recepiſſe ſe. Itaque illos, re nequidquam ſæpe tentatâ, irrito demum incepto deſtitiſſe.* At verò Gumppenbergius pag 78. *Statua*, inquit, *B. Virginis Turcanenſis in Moravia prope Brunam, à pio Ruſtico in Rubo reperta eſt, circa annum* 1050. *Portata domum bis,*

*bis rediit ad Rubum: tertiâ vice in domum coloni reportata, mutavit ſtatua ſententiam, & ſtetit; ſtabuli, ut puto, memor & paſtorum. Accolæ Kyrlicenſes non procul inde Aream Templo deſignant, & fabricæ neceſſaria; fide bonâ, id eſt ruſticâ, comportant, convehuntque. Sed his omnibus, divinâ virtute ad ruſtici domum deportatis, perſuaſum colonis cælitus poſt non longas ratiocinationes eſt, ibi virginem coli velle, ubi ſtatua (iure domicilii tertio reditu potita) ſedem fixiſſet, quod & factum.* Neque minùs affine eſt prioribus, quod eodem ſubjungit loco. Quòd ego quidem, vel eo quoque nomine, quod à B. V. Lindenſis alumno & cliente (quippe Meelſaco, Varmienſi civitate oriundo) P. Andrea Schambogen Provinciæ Societatis Jesu Boëmiæ Provinciali, primùm literis fuit proditum, ad Lindenſem hiſtoriam referendum puto. *Boleslavia Boëmiæ,* inquit ille, *theſaurum habet, agro emptum. Statua eſt Deiparæ, quam ruſticus, cùm terram aratro proſcinderet, eruit, domumq; tulit, & arcâ clauſit. Poſtridie iterum reperta in agro eſt, & à ruſtico, duplicatâ lætitiâ, domum portata. Crediderat bonus, habere ſe nunc duas ad amuſſim ſibi ſimiles; dum, & vacuam reperiret arcam, & hanc, eam ipſam eſſe, quam pridie reperiſſet, palparet. Hoc argumentationis genere, convictus utcunque colonus, tertiâ tamen vice reportavit; & verò tertiùm etiam reſpondit* Deus, *cui ſermocinatio cum ſimplicibus eſt, tam piè interroganti. Deprehenſum deinde à ſagacioribus eſt, illam eſſe, quam S. Venceslaus Rex olim è collo pendulam geſtare conſuêſſet. Metalli ſpeciem nemo agnoſcit. Creditum eſt, ſtatuam hanc, quia Reginæ cæli ectypon eſt, olim regiis manibus tractatã, nunc bobus, venerationis causâ, in terram procumbentibus, adoratam.* Æ-

dem

*dem poſtulare opulentiorem. Itaque divites plebis, ædibus coloni dirutis, Ædem Virgini ſtruxêre in agro, quam ſibi hodieqúe gratam eſſe, portentis probat.* Quid quod Tungrenſis in Hannonia ſtatua ter ad eundem itidem locum divinitus reportata, Templum eodem loco, B. Virgini ſtruendum perſuaſerit? Audi rem ex eadem Atlantis Mariani Idea. *S. Maternus, à Chriſto ad portas urbis Naim à morte ſuſcitatus, & matri reſtitutus, ideoqúe Maternus dictus; à S. Petro creditur miſſus in partes ſeptentrionales, & apud Tungros, primam poſuiſſe ſtatuam B. Virgini, & primum Templum. Statua, quæ hodie à Tungris colitur, ſive illa, ſive alia ſit, mediâ poſt mediam noctem horâ, inter ſplendores & concentus cæleſtes, ab Angelis in hortum cuiusdam nobilis ter deportata, denique perſuaſit, ut crederetur, ibi ſe velle ſedem figere, & coli.* Pluribus de eadem Valrandus Caoult apud Fridericũ Fornerũ in Palma triumphali lib. 5. c. 25. Affine eſt, quod eadem Atlantis Idea ex Octav. Pancirollo pag. 37. refert: *Imago B. Virginis ab Illuſtriſſimo Frangipane, olim ex Oriente allata, hodie S. Maria Nova dicitur. Fabricæ cauſâ, aliò portata, ſuâ ſponte rediit. Credo, in S. Petri honorem, qui eo loco preces in cælum miſit, ut è cælo in terram affligeretur Simon Magus.* Denique Orlandinus ad Anni M. DLXXXIV. Annales: *Hanc,* inquit, *Imaginem, annis antè ſexcentis Eques nobilis, dum ſilveſtres agitat feras, invenit. Ea impoſita erat trunco arboris pervetuſto. Non tulit pius eques in occultis eam ſilvis, ſine honore latere. Ablatam ex ignobili legimus, deportari iuſſit in ædes: ſed non diu illa, à ſuis ſedibus abeſſe voluit. Poſtridie ad eundem Truncum arboris reperitur. Cumq; ſemel atq; iterum, unde ablata fuerat, revertiſſet, rei miraculo vir nobilis excitatus, Virginum cœnobium iis in locis inſtruxit.*

# CAPUT XIX.

*Imagini DEIPARÆ Lindam ſæpius repetenti, ſacellum, de piorum munificentia ſtructum, & Tilia, tum ramis & frondibus, tum umbrâ etjam myſticâ admirabilis, ſacelli muris incluſa.*

TOt, & tantis providentiæ voluntatiſque divinæ indiciis, cùm planè cognitum perſpectumque omnibus eſſet, dignum DEO ac Deiparâ, in oblata divinitus Imagine, cultum non alio, quàm Lindenſi in loco eſſe promovendum; nemo jam de transportanda aliò Imagine, omnes verò de rationibus ſtabiliendi eo loco divini cultus, cogitationem ſuſcepêre. Atque aliis alia apud ſe verſantibus, illud denique omnium ſuffragiorum calculis ſtetit; ut, quemadmodum Imaginem ſegregari à loco nefas jam eſſet, ita & Imago ſimul & Tilia, ſacello quàm primum ſtructo, undique cingeretur. Ita tum decretum, ita citra moram opere ipſo, quod conſtitutum fuerat, eſt perfectum. Crediderim piorum ſubſidio ac munificentiâ opus ſtetiſſe; qui enim aliunde cenſus obveniſſe cenſendi? præſertim, cùm illo ævo, aut omnes, aut plurimas in Pruſſia Eccleſias, nonniſi de piorum liberalitate ſtructas eſſe, argumento ſit illa ipſa, Deiparæ Gedani, uti diximus, ſacra, omniumque aliarum facilè princeps, ideoque verè appellanda *Baſilica*. Præterquam enim, quod Eberhardus Böticher in manuſcripto Baſilicæ illius commentario, quem ille appellavit Rerũ indicem, ex variis Indulgentiarum, ad promovendam fabricam datarum, conceſſis diplomatis, id palàm adſtruat, tempus inſuper ſeculi integri, quod ob eleëmoſynarum ſenſim corrogatarum moram, fabricæ impendi oportuit, idipſum ſuader-

det. Quemadmodum enim ſupra Adytum ſive *ſacriſtiam* Eccleſiæ, aureis ſcriptum cernimus literis, *Anno Domini* M CCCXLIII. *feriâ quartâ poſt Lætare, poſitus eſt primus lapis muri civitatis Damzk; & poſtea, proximâ feria, poſitus eſt primus Lapis muri B. V. Mariæ; cujus dedicatio celebrabitur Dominica proxima poſt feſtum Mariæ Nativitatis*. Sive autem primus ille Lapis Turri duntaxat Templi, ſive priori Deiparæ Templo (cujus poſtmodum loco major Baſilica nonniſi circiter Annum M. CCCC. cæpta, & M. DIII. perfecta, quo ad V. Cal. Sextiles quartâ à meridie horâ, ultimo fornici ſuprema impoſita eſt manus) ſubjectus fuerit, conſtat opus illud magnificum, à magnifica pietatis Catholicæ, quæ tum Gedani eximiè regnabat, liberalitate partim inchoatum, partim abſolutum eſſe; ut vix aliud de cenſibus atque impendiis, ſub idem fere tempus, in ſacellum Deiparæ Lindenſis collatis ſtatui poſſe videatur. Et, ut fortaſſe Raſtemburgenſium, tum jura, tum pietas atque munificentia, in fundamentis totoque ſacelli opere ſtruendo, primas tenuerit; minimè tamen inficias iverim Reſſelienſium quoque, uti & aliorum juxta poſitorum, haud contemnendas acceſſiſſe ſymbolas: Fratribus Theutonicis, uti illo ævo iis mos fuit, tum Ideam operi ſuggerentibus, tum operas ad maturandam fabricam dirigentibus. Quadrata operi figura, alterâ parte longior delecta ac data eſt, ita ut longitudo quidem cubitos vicenos, latitudo verò terdenos circiter obtineret: ſicuti è vetuſtis, quæ etjamnum ſuperſunt, & ſacellum poſtliminio ſuperſtructum commodè ſuſtentant, fundamentis cuivis intueri licet. Illud eo in opere

prorſum ſingulare, ac miraculo proximum ſemper fuit viſum, quod ductis in ſublime, ut par erat, muris, tectum aut non potuerit, aut non fuerit neceſſe ſuperne claudi. Ipſa enim Tilia, quæ medio fere ſacelli loco (ubi nunc quoque pavimentum, ad rei memoriam, quaſi in collem exurgit) relicta, & muris undique fuit cincta; ramis ac frondibus in altum latè fuſis, mutuumque denſiſſimè ita implexis, ut nuſquam pervadere imbrium guttæ, aut perpluere poſſent, totius aut magnæ partis tecti vicem ſubiit. Et erat amænum ſanè, nec minùs rarum ſpectaculum, non modò Tiliam, hibernâ juxta ac æſtivâ tempeſtate perenniter vigentem ac virentem, verùm & totam ramorum, frondium, ac foliorum quaſi majeſtatem, ſupra Ædem ſemper diffuſam intueri, ut jam non multum videatur habere, unde Majolus Tom. 1. Colloq. 11. ſcribendo glorietur. *Vidimus apud Ravennam in litore Adriatici maris Templum, cui D. Mariæ Rotundæ, ob circularem formam, nomen eſt, cùm antea fuiſſet Theodorici Gothorum Regis ſepulchrum latiſſimè patens. Mirandum, omne illud Templum, unico ſaxo tegitur, cuius ambitus eſt ſupra pedes centum, craſſities ſupra decem, ut latius ſaxum nemo in Europa vidiſſe putetur.* Siquidem verò fides Herodoto lib. 2. habenda, In Ægypto unicum ſaxum, per ſingula quatuor latera, cubitis 40. latum, intus exciſum, per ſe unum efficit Templum, manente parietum ac tecti, in excavato illo ſaxo craſſitie cubitorum quatuor: uti inter mira mirorum num. 22. Pontanus refert. Neque minùs grata erat ipſa Tiliæ umbra, quæ, quò major ac denſior ab opaco frondium implexu deſcendebat, eò pere-

peregrinis, & ad refrigerium quietemque aptior, & ad excitandam in præsidio patrocinióque Mariano spem ac fiduciam erat utilior. Quotus enim quisque, Tiliæ Marianæ umbrâ beneficióque dum frueretur, non simul erigebat animum, ad illius, quod à Deo per Deiparam jam acceperat, vel accepturũ se certò sperabat præsidii, protectionisque umbram? Quis non in ea umbra, vel tacitus apud animum suum illud (a) sibi occinebat, *sub umbra illius, quem desideraveram, sed; & fructus eius dulcis gutturi meo?* Quæ enim hæc alia umbra, quàm illa, de qua divinus ad Deiparam nuntius (b) *Spiritus Sanctus*, inquit, *superveniet in Te, & virtus Altißimi obumbrabit Tibi? Quia enim illa*, ut S. Ildefonsus serm. 4. de Annunt. ait, *meruit virtute Altißimi obumbrari, nos mereamur eius precibus adiuvari.* Nimirum, uti sponsæ aliæ, sub ipsum desponsationis tempus, conopæo sive pallio, aut id genus Sponsi sui umbraculo solebant tegi (uti id Cornelius loc. cit. non tantum è Ruth 3. 9. Ezech. 16. 8. verùm & ex Euripide demonstrat) ita magnæ Dei Matri, *virtus Altißimi obumbravit.* Præclarè S. Gregorius apud eundem Cornelium, *Vmbra*, inquit, *Christi, protectio est Spiritus Sancti: Spiritus quippe Sanctus mentem, quam replet, obumbrat; quia omnem tentationum fervorem temperat: &, dum aurâ suæ inspirationis mentem suaviter tangit, quidquid noxii caloris sustinebat, expellit: & quam iam forsitan nimius vitiorum æstus marcidam fecerat, umbra Sancti Spiritus protegens recreat: ut dum in eius inspiratione sedens pausat, vires colligat, quibus ad æternam vitam robustiùs currat.* Si igitur Socrati, quemadmodum à Platone



(a) Cant. 2. 3. (b) Luc. 1.

Tiliæ Marianæ, aliquis eſſe poſſet locus. Quò enim magis profana erant Idolorum fana, eò quoque magis profanæ erant fanorum illorum obumbratrices arbores; quantumvis Lyſiæ Oratori, pro exciſo iſtiusmodi obumbratricis oleæ trunco, integrâ fuerit oratione dimicandum: quali tamen dimicatione, magno Chriſti militi S. Martino, cùm Pinum, quæ fano erat proxima, excidiſſet, minimè opus erat, uti Severus Sulpitius cap. 10. vitæ percenſet. Cæterùm Deipara cùm alibi ubique ſit *Arbor vitæ*, tum apud ſuam Lindam ſingulariter atque eximiè eſt Arbor obumbratrix. *Arbor eſt* MARIA (inquit Richardus à S. Laurentio lib. 12. de laudibus Virg.) *propter virorem virginitatis, humorem gratiæ, medullam pietatis, folia ſacrorum verborum, frondes bonorum operum flores ſanctorum deſideriorum, fructum unigeniti* DEI: *umbram protectionis, refrigerium illorum, qui malè exæſtuant; radicem humilitatis fidei, & charitatis, celſitudinem ſpei, & eminentiam contemplationis.* Unde, non longè ab eo loco, *In* MARIA, inquit, *veluti in horto condenſo, & umbroſo, invenitur umbra propitiationis.* Sed & olim jam, Eccleſiâ Græcâ in Menæis teſte (*a*) *Beatiſſimus prophetantium chorus Montem ac Portam appellavit Obumbratricem.* Quos inter Prophetas, meritò illud Iſaiæ de umbra in horologio Achaz Regi Ezechiæ datum (*b*) jure cenſuerimus; qui vel uni S. Joanni Baptiſtæ (ut Robertus à Crypta Minerva in Itinerario quoque obſervavit) adhuc in utero matris poſito, plus ab hac umbra virginea ſcimus obveniſſe beneficii, atque remedii,



(a) *apud VVagnereck. num. 34.* πύλην τε καὶ ὄρος κατάσκιον. (b) 4. Reg. 20.

medii, quàm vel ſperare unquam, etjam à Galbano ſuo veteres, Plinio lib. 24. cap. 50. teſte potuerint. Hoc nimirum verè erat, & nunc eſt, ad Græcorum ſenſum, *in umbra nutriri* (a) melius utique, quàm vel

*——— Parnaſſia Laurus*

*Parva ſub ingenti matris ſe ſubjicit umbra* (b)

vel ipſi Jovi Chaoniæ Silvæ Quercus, dum à Rhea editus eſſet, umbraculo fuerit, ideoque Jovi deinceps ſacrata ac dicata Callimacho authore fuerit. Hic denique multo æquius, quàm apud Platanum, Academicorum Mediolanenſium ſymbolum, lemma adjicias, *obumbrat, & recreat* (c)

## CAPUT XX.

*Variis piorum donis & Anathematis, Lindæ Mariana religio jam olim, & nunc illuſtrata.*

NOn deſunt plurimi, qui Tiliæ Marianæ (multò quàm fuerit, vel eſſe unquam potuerit Xerxis Platanus, auguſtiori ac diviniori) Torques, armillas, & id genus, ex argento, auro, gemmisque donaria, quæ coram ſpectari poſſunt, dent, dedicent, ac conſecrent. Neque dubium eſt quin anterioribus ſeculis, quibus Linda Mariana floruit, multò etjam plura ac locupletiora fuerint, quæ hæreticus furor, excisâ Lindâ, immani ſacrilegio abſtulit. Si qui tamen mortalium dicere ex animo cum Principe Apoſtolorum (d) poſſunt: *Argentum & aurum non eſt mihi*; poſſunt cum eodem adjicere: *Quod autem habeo, hoc tibi do.* Quod quidem, ſi non voce, certè opere ipſo pronun-

(a) *σκιατροφεῖαθος.* (b) *Georg. 2.* (c) *Athan. Kircherus Tomo 2. Oedipi claſſe 1. cap. 2.* (d) *Act. 3, 6.*

nuntiant, quotquot locum ſacrum indies frequentant: non ignari illius, quod Theodoretus lib. 8. de curand. Græc. affect. ſcriptum reliquit: *Gratiſſimè accipit eorum Dominus, qualiacunq; ſint dona; nec exigua aut vilia dedignatur; quippe, qui ea pro ferentiū facultate metitur.* Alii igitur pauperē illam (a) viduam, *æra minuta in gazophylacium mittentem* imitati, unum, aut plures terúncios offerunt; ditioribus interim non tam pro facultate, quàm pro voluntate, paulò liberaliùs agentibus. Alii plerumque cereos, candelatum, vel corollarum in morem effictos, offerunt; ut vel in candelis accenſis, inflammatum in Deum ac Deiparam ſtudium; vel in corollis, devota ſe Deo Deiparæque capita eſſe profiteantur. Alii grandiores cereos, totius alicujus familiæ, vel vici, vel oppidi nomine ſuccendunt; ut vel acceptorum à Deo per Deiparam beneficiorum memoriam & gratitudinem, vel minimè dubiam impetrandorum ſpem fiduciamque teſtentur. Alii fictas de cera artuum variorum, hominumque inſuper integrorum, vel etjam animantium ædiumvé effigies appendunt; ut, quæ jam accepiſſent, quævé etjamnum poſcerent ac ſperarent, à Deo Deiparaque beneficia, recognoſcant. Neque alius eorum ſenſus eſt, qui de argento varios humani corporis artus, vel votivas, & arte, ad elegantiam pietatemque exactas tabellas; vel de ebore, pariové lapide, Chriſti; vel Deiparæ Imagines faberrimè effictas, vel etjam fuſas ex auro, argento, atque ære ſtatuas effigiesvé dedicant. Quas quidem inter ſtatuas principem locum occupat, duos propè cubitos longa, & ex ar-

(a) *Marci* 12.

ex argento egregiè laborata Deiparæ ſtatua; quam M.DC.LIV. anno R.P Jacobus Marquard Societatis JESU) primùm Sigiſmundo III. Regi, deinde ipſius Tiliæ Sereniſſimæ Annæ Catharinæ Conſtantiæ, Philippo Wilhelmo Duci Neoburgico Rheniq; Palatino nuptæ, à ſacris Confeſſionibus) de piorum eleëmoſynis curatam, ipſe jam ætate gravior attulit. Deiparam, uti diximus, ſtatua refert, Puerum JESUM ſiniſtro brachio, dextrâ verò manu, ſceptrum geſtantem; & tanquam cæli terræque Reginam, caput diademate inaurato, quali & Filius coronatus eſt, præcinctam. Inſiſtit quadratæ ex ebeno ſedi, tanquam ſuppedaneo; quod argenteis ſuo loco floribus, ad artem elegantiamque factis, & inter atrum ebeni colorem nitidiſſimè gratiſſimeq; candicantibus, pulcherrimè ornatum eſt. Ne quid porrò, ad majeſtatem aut decorem operi deeſſet, quà curâ, quà precio ſuccurrit Patris Jacobi Germanus frater, Perilluſtris & Admodum Reverendus Dominus Georgius Marquard, Cuſtos & Canonicus Varmienſis; ut hoc ipſo anno, ſtatuæ argentei undique radii, quemadmodum & capiti jam aliàs diademate cincto, ſtellæ duodecim, diadematis inſtar, in orbem recurrentes, adderentur. Idem ipſe Cuſtos ac Canonicus Varmienſis, cùm eodem fere tempore, annuam, pro more, pietateque ſuâ ad locum ſacrum peregrinationem abiret, Chriſti de Cruce pendentis, & Deiparæ ac Joannis Apoſtoli juxta Crucem adſtantium ſigilla, ex ebore fabrerrimè ſculpta, nuper Sigiſmundo Regi in deliciis habita, Deiparæ Lindenſi dedicavit. Proximum locum ſtatua itidem Deiparæ ex ebore facta,

& ta-

& radiis argenteis auro illitis cincta, uti & alia ex pario lapide, pretio & magnitudine longè inferiores quippe, quæ pedem geometricum longitudine vix ſuperent; ſed ab arte & ſculptoris manu longè ſuperiores. Utraque à R. P. Andrea Klinger Societatis Jesu, cum Sereniſſimo Joanni Alberto, Poloniæ & Sueciæ Principi, ac S.R.E. Cardinali à ſacro eſſet Tribunali (uti nuper fuit Sereniſſimo Carolo Ferdinando, Poloniæ itidem ac Sueciæ Principi, Plocenſiq;ue ac Uratislavienſi Epiſcopo jam antè dedicata. Longum eſſet, ac perdifficile, ſingula aliorum donaria percenſere, nedum pro merito exornare; aliqua tamen, ſuis præſertim locis, præterire nefas fuerit. Si enim Fridericus Fornerus ea, quæ D. Virgini Weyyerenſi donata ſunt, paulò fuſiùs deducit; ſi Turſellinus quovis ſeorſim libro, quid de ſummorum Pontificum aliorumque tum Eccleſiaſtici tum civilis ordinis Principum liberalitate, Lauretanæ Domui acceſſerit, accuratè, ut ſanè par erat, percenſet: ne nobis quidem prætereunda erant quàm plurima, niſi vel operis brevitas aliud poſceret; vel quædam ſuis memoranda locis ſupereſſent; vel denique eorum, qui donantium nomina haud ſatis diligenter in album redegerunt, oſcitantia, nos etjam currentes retardaret. Quædam tamen præteriri minimè debēt. Quod à Joanne Lamsheſſt, Oeconomo primùm, deinde etjam Canonico Varmienſi curatum ac dicatum, in omnium verſatur oculis, ſacra videlicet, Divinæ Euchariſtiæ Theca, ac divinum veri *Salomonis ferculum*, Monſtrantiam vulgo appellant Ex argento, ſuis partibus inaurato opus eſt, artis juxta ac majeſtatis plenum,

num, & ad uſus Dei, nobiſcum in terra commorantis quoddam quaſi Tabernaculum, non incommodum Epigramma operi hujuſmodi additum:

*Vni, ter immenſo, Deſideriorum Pelago;*
*Ad oſtium Miſericordiarum Virginem*
*Euchariſticon depoſuit*
*Ioannes Lamsheſſt Can. Oecon. Varmien.*
1648.

Ab eodem quoque eſt tum ex ſolido argento Thuribulum præclari operis; tum Calix argenteus auro illitus, à pondere juxta & ab arte, paucis comparandus: cui infra pedem Inſcriptio addita:

Deo, *Trino & Vni, ſummo rerum Creatori,*
*Magnæ Matri, & Virgini, Dominæ Clementiſſimæ*
*Ac ſacello ſacra Tilia dicto, ejusdem nomini conſecrato*
*Calicem hunc, unà cum Patena,*
*Offert, dedicat, & conſecrat,*
*Ioannes Lamsheſſt, Can. & Oecon. Varmienſis.*
*Anno* M.DC.XLIV.

Cæterùm plurimi ſunt qui vel paria prioribus dona afferunt, vel, ſi id non poſſint, vario tamen religionis cultu, ac ſupplicantium ritu, interna perſolvunt animorum ſuorum vota; quæ quidem, uti prioribus illis ſunt, & eſſe debent, auguſtiora, ita & nunc, & ſuperioribus olim ſeculis (quid enim nunc rituum ac ceremoniarum, quod illis non viguerit temporibus, Catholica uſurpat religio?) nemo dubitat fuiſſe uſu frequentata. De quibus jam ſigillatim reſtat diſſerendum, ſumpto à peregrinationibus exordio.

CAPUT

# CAPUT XXI.

*Deipara Lindenſis, populorum etjam longiſſimè diſſitorum, Peregrinationibus, ſemper culta ac honorata.*

NUlla fuit unquam populi Chriſtiani natio, quæ, ſimul atque Chriſtum agnovit, non agnoverit ſingularia Dei beneficia, certis apud ſe, vel haud longè diſſitis ab ſe locis, abundè mortalibus conferri ſolita; atque idcirco eadem illa loca, ſingulari pietate, & inſtitutis ſæpe peregrinationibus non coluerit, ac frequentârit: præſertim cùm peregrinationum exempla tum in lege naturæ (*a*) Abraham & Iſaac (*b*) Jacob, aliique; tum in lege ſcripta Deut. 16. 16. uti & 1. Reg. 10. 3. Joan. 4. 21. Joan. 12. 12. Act. 8. 27. tum denique in lege gratiæ Chriſtus ejuſque parentes Luc. 2. 41. Paulus Apoſtolus Act. 20. 16. nobis ſuppeditent. *Neque hoc dicimus* (juvat enim D. Hieronymum (*c*) in præſente cauſa audire perorantem) *quòd renuamus Regnum* Dei *intra nos eſſe, & ſanctos viros etjam eſſe in aliis regionibus: ſed quòd hoc aſſeramus, vel maximè eos, qui in toto orbe ſunt primi huc* (videlicet in Palæſtinam, & ad ſacra in Palæſtina loca) *pariter congregari:* &c. *Quicunque in Gallia fuerit primus, huc properat: diviſus ab orbe noſtro Britannus, ſi in religione proceſſerit, occiduo ſole dimiſſo, quærit locum, famâ ſibi tantùm & ſcripturarum relatione notum. Quid referamus Armenos, quid Perſas, &c.* Pluribus de Hieroſolymitana, aliiſque peregrinationibus, idem Hieronymus epiſt 154. uti & in Epitaphio Paulæ; & præfatione in lib. 4. Comment. Jerem. Sicut & de antiquiſſima omniumque cele-

(a) *Gen. 22.* (b) *Gen. 28.* (c) *epiſt. 17.*

celeberrima, ad Limina Apoſtolorum, peregrinatione Chryſoſtomus hom. 66. ad populum; & hom. 12. in epiſt. ad Rom. & hom. 8. in epiſt. ad Epheſ. Auguſtinus item, ut alios mittamus, ſerm. 28. de Sanctis, & epiſt. 42. Poſteaquam igitur & Pruſſia Chriſtum agnovit, agnovit pariter intra ſuos quoq; fines, varia à Deo deſtinata loca, quibus ſingulares diſpenſarentur mortalibus gratiæ atque beneficia: quæ quidem loca, jam inde ab ipſo fidei Chriſtianæ ortu, magno hominum numero, nec minore pietate ac religione culta ſunt. Non eſt opus percenſere eas Ædes atque loca, quæ tum in Regia, tum in Epiſcopali, ut vocant, Pruſſiâ, ſingularibus Dei beneficiis aut miraculis redundant, vel olim, priusquam illos divinorum beneficiorum fontes ingratiſſima obſtruxiſſet hæreſis, affatim redundarunt; qualia potiſſimùm fuerunt. Gedani ad S. Eliſabethæ; Elbingæ ad S Georgii; Neoburgi & alibi ad alios, Glotaviæ ad venerabile ſacramentum, Travendorff ad S. Annam; quin, ne ea quoque, quæ intra eos fines, quibus Pruſſiæ Ducatus circumſcribitur, referri neceſſe eſt, ut in Quednau ad S. Jacobi; juxta Labiau ad S Jodoci: cum plurima ſint, quæ ad ipſa propè Regiomonti pomæria ſita ſunt; &, vel ab ipſo Prædicante Mislenta, non ſine adſperſis eloquentiæ prædicanticæ floſculis (a) in Manuali Prutenico referantur. Supputârat ille eo loco tempus, quo Romana in Pruſſia religio, ad ſummum vigorem & quaſi apicem, ſub Vinrico Kniprode, Generali Theutonicorum Magiſtro pertigerat, ideoque ad loca peregrinationibus illuſtria, &

Regio-

(a) *pag. c. 1.*

Regiomonto propinqua delatus, ita ſcribit. *In Arnau (villa eſt, leucâ unâ Orientem verſus Regiomonto diſſita) olim Templum erat, D. Catharinæ conſecraneum; quò etiam peregrinationes inſtitui ſolebant: ut & ad ſimulachrum B. Mariæ in Iergenau, & poſt ad idem, ex Iergenau translatum in Cænobium SS. Trinitati dicatum, & in loco Rikojoth extinctum: In vico Mulhuſen olim Templum, ob indulgentias & peregrinationes creberrimas, erat celebre; eum in ſinem impetrato diplomate Papali, operâ, ſtudio, & impendiis Danielis à Kunheim ſenioris Anno* 1492. Quemadmodum autem prædictum Diploma, quanquam ab undecim Cardinalibus manu & ſigillis munitum, alter Prædicans Hennebergerus, ſuggillat, &c, pro ſuo ſcilicet more, naſſam, qua Clerus Eccleſiæ Rom. pecuniam captarit, appellat; ita in deprædicando alia ex cauſa & celebrando Mulhuſino Templo, ſociennum Myslentam habet. Quæ verò illa tandem cauſa alia? Quia nimirum, filia ipſius Lutheri, cuidam nobili (cujus nomini parcendum eſt) olim nupta, unâ cum quinque liberis in eo ſepulta fuerit. Qua etjam de cauſa, beatum prædicant Regiomontum, quod in Palæopolitano illius Templo Joannes, major natu Lutheri filius, tumulatus ſit. Hæc ſcilicet Prædicantum eſt beatitudo, ſi exactis ejectisque ſanctorum Lipſanis aut imaginibus, ſpuria, eorundem loco, de inceſtu cadavera ſerventur & colantur; ne, ut eſt in proverbio, *non habeant ſimiles labra lactucas*. Cæterum Occidentem verſus, plus aliquantò duobus paſſuum millibus Regiomonto abeſt villa Judenburch nuncupata; in qua, iiſdem teſtibus, Templum Deiparæ Virgini ſacrum, peregrinationibus etjam exterorum

ita celebre fuit, ut vel ex ipſa Geldria Dux Carolus, quatuor millium exercitu ſtipatus, voti ſolvendi cauſâ, ad eam Deiparæ ædem, temporibus Conradi à Jungingen Magni Ordinis Magiſtri, advenerit. Inde quatuor circiter leucis diſtat celeberrima quondam, uti alias meminimus, S. Adalberti inclyti eo loco Martyrio Ædes, peregrinationum frequentia ſupra hactenus memoratas admodum celebris. *Huc enim*, ut ipſe quoque Myslenta ſcribit, *Generales Crucigerorum Magiſtri concedendo, unà cum ſpectatiſsimo comitatu, & Epiſcopo Fiſchhauſenſi, Indulgentias impetrare, ſingulis annis circa feſtum Michaëlis, in more poſitum habebant; uti hoc ipſum hiſtoria de Ludouico* von Erlingshauſen/ *Pruſsiæ Archimagiſtro, Anno* 1463. *comprobat: & alia ſub Henrico* von Richtenbergh *Pruſsiæ Magiſtro, de Erhardo* von Reichenſtein/ *Commendatore Regiomontano; qui quatuordecim integros annos, telum chalibeum ab hoſte in certamine capiti inflictum circumportavit; donec per palati partem putrefactam egreſſum reperiret. Quod commemoratus Commendator, honori S. Adalberti conſecraneum, catenula argentea Imagini S. Adalberti, unà cum inſignibus ſuis gentilitiis, in perpetuam rei memoriam appendit. Viſitur idipſum hodiernis temporibus dicto in loco.*

Sed inter omnia tum miraculis beneficiiſque divinis, tum peregrinationibus inclyta per Pruſſiam loca, nullus illo jam ævo, Lindâ Marianâ illuſtrior fuit. Nam & ille ipſe Albertus Brandeburgicus, Magiſtrorum univerſi Ordinis Theutonici in Pruſſia poſtremus, & primus deinceps in eadem Pruſſiæ parte Dux, prius quàm religioſâ cum veſte, ipſam quoque Religionem Catholicam exuit, ab ipſa uſque

que Regiomontana urbe, Lindam duodecim inde leucas minimùm diſſitam, pedes, quin & nudipes abſolviſſe fertur. De quo non modò Ciaritius (a) verùm & Sectarius Mislenta, Hennebergerum ſnum ſecutus, ita memorat. *Remiſſio omnis culpæ & pænæ ſpondebatur, peregrinationem ad Tiliam, in campo prope Beiſlak, ſuſcipientibus. Hinc Dux Pruſſiæ Albertus, adhuc in Papatus tenebris ceſpitans, pedeſter, & quod maius eſt, nudis pedibus, ad Tiliam illam, Regiomonto peregrinationem ſuſcepiſſe legitur.* Hujuscemodi peregrinationes multo fortaſſe plures & illuſtriores, etjam hoc tempore, ad Lindam Marianam fiunt. Vix aliquos in toto Varmienſi Epiſcopatu, paucos omnino in reliqua Pruſſia invenies, qui non aliquando locum ſacrum reteſerint; non paucos verò, qui non ſæpius intra annum quoque reviſant. Ita pietas in magnam Dei Matrem, altiſſimas hic radices agit! ita nemo non maternum à Deipara vel experitur, vel expectat ſubſidium! ſed & ad vicinos cis & trans Epiſcopatum populos, tum illius, de qua egimus pietatis populorum, tum etjam maximorum & mirorum Dei Matris beneficiorum exempla, longè lateque diffuſa, diſjunctiſſimis ſæpe ex oris peregrinos attrahit. Neque enim juxta poſitæ in Maſovia, Podlachia, Litvania, Poloniavé nationes duntaxat, verùm & è Germania, plurimisque illius provinciis, non pauci mortales, eodem receptum habent. Nos ipſi currente anno ſpectavimus, qui tum Vilnâ, tum ex ipſa quoque Ukraina, voto iis locis ad Deiparam Lindenſem facto, Lindæ adfuerunt. Singulare illud videri poteſt, quod

H 2 ſupe-

(a) *pag. A. 4.*

ſuperiore Anni M. DC. LIV. æſtate, ipſo Deiparæ Eliſabetham viſitantis feſto, plurimi oculis, pauci animis uſurpare potuerunt. Decem erant matronæ nobili & illuſtri loco, partim è Lublinenſi Palatinatu, partim è remotioribus trans Lublinum partibus, & habitu & victu, ne agnoſcerentur, mendicabulorum aſſumpto, nec non itinere per tanta gentium, terrarumque diſcrimina, pedibus confecto. Ita ſe facturas voverant, ſi incolumes è Tartarorum Coſacorumque manibus evaſiſſent. Barbaris enim illis, ſecundum fædus ad Zborowo cum Polonis ictum, quaquaverſum ſæviſſimè graſſantibus, & innumeros in ſervitutem mortales agentibus, iſtæ, quæ nuſquam habere receptum poterant, cùm de miris maximisque Deiparæ Lindenſis jam ante edoctæ fuiſſent beneficiis, eò ſibi factis votis receptum aperuerunt. Et patuit ſanè; omnes enim Deiparæ ope incolumes, omnes eidem ſe voti reas, apud Lindam non ſine actis enixiſſimè gratiis, uti diximus, ſtiterunt. Fuit ſub idem ferè tempus, qui non tam ſuâ ſponte quàm majore quadam vi, atque imperio adactus, ex ulteriore Poloniâ, Lindam uſque peregrinationem ſuſcepit. Immani ſe, & prorſum infando cum belluis ſcelere polluerat; quoad tandem juſſu Deiparæ non læviter flagellis cæſus, ubi ſpem frugis melioris addixit, Lindam uſque expiandi ſceleris causâ remiſſus eſt.

Neque illud poteſt non admodum videri mirum, quòd ii quoque, qui in vicino Pruſſiæ Ducatu ab Eccleſia Catholica, proinde & à communione cultuque ſanctorum, per Lutheri emiſſarios diſtracti avulſique ſunt, à Deipara tamen Lindenſi honoranda,

da,&,quando licet, etjam viſitandâ, avelli nunquam potuerint. Nam præter illa, quæ ab Excidio Lindæ ad uſque ſacelli reſtaurationem eveniſſe libro proximo dicemus, illud hîc univerſim dicendum; vix aliquod eſt tempus, quo non aliqui, ſimul ac tantillum à jugo Prædicantum reſpirare, & , quà licet, perrumpere Lindam uſque poſſunt, læti alacresque continuò advolent. Quod cùm non ignorent plerumque ipſi Prædicantes, quid non moliuntur, ut vel iter obſtruant? vel, cùm id non ſuccedit, in miſeram plebem, tam impotenti obnoxiam tyrannidi, conceptum animo evomant virus? Jam ipſi, quà privatim, quà pro publica concione, verbis, minus & omni caninâ eloquentiâ detonare; jam viros nobiles, quorum in ditione ovium Chriſti mandras lupi invaſerunt, jam præfectos arcium, oppidorum villarumque tentare, ſolicitare, & in vindictam, tanti ſcilicet facinoris, impellere. Et evenit nonnunquam, ut malitiâ ſuâ aliorum accendant ſive avaritiam ſive ſtultitiam; & per homines, quandoque minimè malos, malè tamen deceptos, ſubjectas iiſdem plebes, minis, vinculis, verberibus, aut etjam depenſo multæ nomine ære graviter depectant. Neque tamen vel ita peſſimè iniquiſſimeque multatis, eripi pietatis in DEI Matrem aut fiducia poteſt. De quibus ſuo loco: nunc illud vel innuiſſe juverit; inter eos, qui Catholicæ ſinu Eccleſiæ foventur, non vulgus duntaxat, aut minorum ſubſelliorum homines, verùm Principes quoque ipſos, Lindam, ad magnæ DEI Parentis maternum prorſus ſinum non rarò recurrere. De aliis, erit ſuus dicendi locus. Te verò, magnæ Polonorum Sue-

corumque Rex, JOANNO CASIMIRE, ſolum hic ſibi locus vendicat. Tu tantam belli, ſimul & in perduelles Coſaccos, & in perpetuos ad hanc diem Reip. hoſtes Tartaros, & in perfidos ac barbaros ſemper Moſchos molem, non ſine nuncupato ad DEIPARAM LINDENSEM voto auſpicatus es. Et quidem, ut eventus jam docet, non infeliciter. Nam & Tartaros, citra gladium & ſanguinem, maximo Tuo, Regni Tui, & univerſæ Chriſtianæ Reip. commodo, ad Tuas Reipub. partes jam adjunxiſti: & tum Coſaccos, tum Moſchos, Deiparæ, ut credi par eſt, ope, militumque Tuorum ſingulari virtute, ad eas redegiſti incitas, ut ſpes non minima omnibus affulgeat, brevi Te, & votorum tuorum compotem, futurum, & factorum ad Deiparam Lindenſem quemadmodum jam aliàs feciſti, compariturum reum. Hærent enim adhuc impreſſa apud Lindam pietatis veſtigiæ Tuæ, cùm Princeps, è peregrinatione apud exteros tandem peractâ, Peregrinationem, quam Deiparæ Lindenſi addixeras, me etjam ſpectante, feliciſſimè in patriam redux, abſolviſti. Superi Te, exercitusque Tuos fortunent, ut & promiſſam hanc alteram, quàm fortunatiſſimè celerrimeque abſolvas.

## CAPUT XXII.

*Deipara Lindenſis, publicis variarum in Pruſſia civitatum, vicinorumque Pruſſiæ populorum, ſupplicationibus ac proceſſionibus, ſemper culta.*

QUantum militi cohors, exercitusve cohorti addit, tantundem publica ſupplicantium agmina, *Proceßiones*, vulgò dicimus, addunt privatis hominum

num peregrinationibus. Et quid, quæſo, videri aliud poſſunt, conferta illa, ac pulcherrimo ordine procedentia ſupplicantium agmina, quàm vel Exercitus compoſito agmine progredientes; vel examina apum, ad legendum fingendumque mel effuſa? Nam & *Regnum cælorum vim pati*, tanquam ab exercitibus oppugnatum, ſcimus; & pios hominum cætus mellificio cæleſti addictos atque intentos, non ignoramus. Quæ autem, aut unde cælo vis inferri major poteſt, quàm, cum non jam unus aliquis ac ſolitarius, ſed integri quodammodo exercitus cælo manus admovēt, juxta Pauli (*a*) diſciplinam, *levantes puras in oratione manus*? vel ubi divinum illud mellificum provenire uberius poteſt, quàm ubi ipſum Tiliæ nomen, rore & ſucco abundantis melleo, divinæ rorem gratiæ, in mortales per Deiparam effundi ſolitæ, præ ſe ferre, aut potius exhibere ultro videtur? Atque hinc illa, à primo religionis Chriſtianæ in Pruſſia exortu, cùm ad alia nonnulla loca, tum ad Lindam Marianam frequentia: ut vel inde, Romanæ in Pruſſia religionis ſummum quaſi apicem, paulò antè citatus Prædicans Myslenta dimetiatur. Sic enim (*b*) ſcribit: *Proceſſiones inſuper pompâ Perſicâ ornatæ, nec non frequentiâ Magnatum, & cæterorum, tam ex primoribus, quàm ex vulgo concurrentium, crebriores in uſu fuiſſe deprehenduntur.* Ac ne fortè alicui ex vano, uti hominibus iſtiusmodi mos & natura eſt, hoc quoque hauſiſſe videatur, producit in medium ultimæ Proceſſionis pompam, quæ, paulò antè, quàm Quintum Lutheri Prædicantumque Evangelium, quaſi quoddam Alectus ſignum ex



(a) 1. *Timoth.* 2. 8. (b) *pag.* 6. 5.

urbe perſonuiſſet, Catholico ritu Regiomonti fuit inſtituta. Juvat eam hoc loco, quaſi coram intueri; & ex ea una de reliquis, proinde & de Catholicæ pietate ac magnificentia Eccleſiæ, ſumere argumenta. *Regiomonti quidem* (inquit ille citato loco) *Proceſsionis ritus hunc in modum inſtitui ſolebat, qualis ex Proceſsione Anni 1519. conſpicitur; inſtitutâ die Veneris ante medium Jejunii Quadrageſimæ. Intererant tunc pompæ illi duo Epiſcopi, Pomeſamenſis Iacobus* von Dobeneck / *& Georgius* von Polenz *Epiſcopus Sambienſis: Marchio Albertus Dux Pruſsiæ, tum temporis adhuc Magiſter Crucigerorum ſupremus; Marchio VVilhelmus, Alberti Ducis frater; Erneſtus vel Ericus Dux Brunſuicenſis. Initium Proceſsionis inſtitutum erat, in Templo Cathedrali Cneiphoviano: ex quo progreſſus factus eſt in Templum Palæopolitanum; inde in Templum Divo Nicolao ſacrum in Lithoſtrato ſeu præurbio Palæopolitano ſitum; porrò in Templum Divæ Magdalenæ, quod eſſe jam deſiit; ſitum fuerat propè arcem, ubi locorum Moneta nunc cuditur. Hinc in Templum Stns; ex eo verò in Templum S. Crucis, quod etiam profanatum ac conflandis tormentis aneis, machinisq́; bellicis deſtinatum, propè portam Crucis nuncupatam. Inde in Templum D. Barbaræ; poſtea in Templum Monialium, B. Mariæ ſacrum, quod hodieq́ue extat in Xenodochio; Ex hoc in Templum Spiritus Sancti; quod hodie in uſus fartorum & Lanionum ceſsiſſe in veteri oppido, prope portam Lobnicenſem, viſitur. Denique regreſſus inde inſtitutus erat in Templum ſummum ſeu Cathedrale Cneiphovianum; ubi etiam actui coronis erat impoſita.* Eadem memorat Hennebergerus (*a*) & Joannes Behm oratione 1. ſeculari, ſive Jubilæâ Academiæ

(a) *pag.* 212.

miæ Regiomontanæ.(a) Gratiæ debentur Prædicantibus, qui tam eximium Catholicæ in Pruſſia religionis, vel inviti nobis monumentum, ſartum tectum reliquerunt. Ex eo quippe, facile quivis colligat, quæ, & quales, tum Regiomonti, tum alibi, tum præcipuè ad Lindam Marianam olim ſemper viguerint Proceſſiones. Ego quidem, qui hoc tempore, propè quotidianas, ſæpè etiam plures intra unum diem concurrentes intueor; videor mihi illam, quæ primis Eccleſiæ ſeculis, per univerſum orbem Chriſtianum lucebat, pietatem, quin & magnificentiam intueri. S. Paulinus Antiſtes Nolanus, virtute juxta ac doctrinâ clariſſimus, & cum aliis ſanctis Eccleſiæ Patribus, tum Hieronymo potiſſimum atque Auguſtino, ſummè ſæpiſſimeque laudatus, eas, quæ quotannis ad S. Felicem Nolanum fiebant, ſupplicationes atque proceſſiones, tanquam oculatus teſtis, natalitiis aliquot Poëmatis ita depinxit, ut in illis hodiernarum quoque Lindenſium videatur relucere imago. Natali Tertio hunc in modum canit.

*Nec modus eſt populis coëuntibus agmine denſo,*
*Nec requies. Properant in lucem à nocte, diemque*
*Expectare piget; votis avidis mora noctis*
*Rumpitur, & noctem flammis funalia vincunt.*
*Stipatam multis unam iuvat urbibus urbem*
*Cernere; totque uno compulſa examina voto.*

Et quid horum, quæſo, in plerisque ad B. V. Lindenſem ſupplicationibus deſideres? Num *Agmina denſa*? Atqui ſæpe evenit, ut non ſacellum modò, ſed & areas ſacello vicinas, & lucos populi repleant.



(a) pag. B. 1.

Num *Populos ſine modo & requie coëuntes*? Atqui hebdomada nulla, quin & dies, toto anno, maximè verò æſtate, vix ulla intercurrit; quin Linda aliquos habeat viſitatores; ita, ut cùm fortaſſe ad S. Felicem Nolanum unâ duntaxat aliquâ, Natali videlicet ipſius die, per annum fieret; ad B. V. Lindenſem plurimis, ſed maximè feſtis ipſius B. V. diebus, toto anno fiat. Num *Moras noctis, quà votis avidis, quà flammis & funalibus vincentes mortales*? Atqui, ut majoribus minimum Deiparæ feſtis aut ſupplicationibus, non dies duntaxat Cereorum flammulis, verùm & noctes, accenſis per areas lucosque ignibus collucent. Num *urbem unam multis ſtipatam urbibus*? Atqui plures ſimul pagos, interdum & civitates, diverſiſſimis ex locis, intra eandem diem ſimul coëuntes, ac ſeſe mutuum ſtipantes, quin & è ſacello & vicinâ ſacello areâ, vi protrudentes, magna cum admiratione ſæpe licet intueri. Num denique *uno compulſa examina voto*? ſicubi ad ſanctorum aliorum Memorias, certè ad Tiliam Marianam convolantes populos, tanquam quædam Apum examina, æſtimare atque appellare fas eſt. Neque enim ſic ad ullam Tiliam, melle, aut rore ſuccoyé melleo turgentem, apes ut mel colligant, quàm ad Marianam Tiliam populi, ut cæleſtium mella gratiarum ſugant, atque intra ſuarum ædium oppidorumvé quaſi alveos recondant, uno planè voto, convolare ſolent. Nam, ut cum eodem S. Paulino, Natali octavo canamus:

*Omni namq; die, teſtes ſumus, undique crebris*
*Cætibus, aut ſanos gratanter reddere vota;*
*Aut ægros varias petere, ac ambire medelas.*

CAPUT

# CAPUT XXIII.

*Recensentur sigillatim villæ, civitates & populi, qui statas quotannis Processiones ad B.V.Lindensem obire solent.*

NOn satis erat Divo Paulino confertam populorum multitudinem ad S. Felicem Nolam confluentem, celebrasse, nisi & populos ipsos, ita confluentes sigillatim percensuisset. Sic enim Natali tertio accepimus canentem:

*Lucani coëunt populi; coit Appula pubes,*
*Et Calabri, & cuncti quos alluit æstus uterque;*
*Qui lævâ & dextra Latium circumsonat unda,*
*Ipsaque cælestum sacris Procerum, monumentis*
*Roma Petro Pauloque potens, rarescere gaudet*
*Huius honore* DEI; *portaq; ex ore Capenæ*
*Millia profundens ad amicæ mania Nol* :

Neque nobis quocirca satis fuerit, tot & tantarum fecisse Processionum memoriam, nisi quarundam (quis enim omnes ad amussim percenseat) aut censum, aut memoriam refricemus.

Primas sibi vere vendicat civitas Ressseliensis, quæ sicut Lindæ Marianæ, præ cæteris, vicinior est, ita Processionum annuarum frequentiâ nulli primas cedit. Quaternas minimum, Resselienses universi intra annum faciunt supplicationes, & quidem omnes ferè ex publico conceptas voto. *Prima* alteram, ut vocant, *Rogationum feriam* occupat; qua pro more, atque Catholicæ instituto Ecclesiæ, satis & sementi jam factæ ac futuræ, clementior aura, & divina de cælo benignitas, publicis ubique precibus imploratur non secus atque sub Annum Domini 452 à S. Mamer-

Mamerco Viennenſium in Gallia Epiſcopo, partim ad terræ motus, partim ad ferocium in urbe luporum incurſus, partim denique ad ſubterraneorum eruptiones ignium avertendas, triduanæ ante Domini Aſcenſionem ſupplicationes fuerunt inſtitutæ; quemadmodum S. Avitus illius ſucceſſor, & Sidonius Apollinaris (a) teſtantur. *Altera* Reſſelienſium ſupplicatio inſtituitur, Dominicâ Feſtum Viſitationis B.V. proximè conſequente. Cùm enim illo tempore, Deiparam ad *Montana cum feſtinatione abeuntem*, plerique alii, qui ſub id tempus Lindam publicas adornant Proceſſiones, imitari ſatagant, aut etiam quadantenus, comitari; ne Reſſelienſes quidem, in eo erga Deiparam ſive officio, ſive pietate, publico itidem omnium voto firmatâ, eripi ſibi palmam ſinunt. *Tertia* ad VIII. Cal. Aug, ipſo videlicet D. Jacobi Apoſtoli feſto, quo publicæ ſupremo Numini aguntur gratiæ, ob ſervatam à præſente incendio civitatem. Anno enim Domini M.DC.XLI. ſubitum juxta ac vehemens exortum incendium, inaudita propè celeritate ac vi depaſci civitatem cæpit; ut, vento flammas, carbones, quin & torres & grandia tigna quaquaverſum jactante, ratio ac modus ſiſtendi ignis nullus eſſet. Et jam platea arcem inter ac prætorium interjecta, quemadmodum & ſuburbium, *piſcaria platea*, dictum in cineres reſederat domicilio Societatis in medio ſito, atq; octies flammam concipiente, ſupellectili, quæ intra pomarium, domui ortum verſus ſubjectum, jactata erat, ignibus hauſtâ. Ratio denique ſiſtendi mali, omnibus unica apud Deiparam Lindenſem

(a) *lib. 5. epiſt.* 14.

ſem occurrit. Simul igitur ac votum annuæ in eum diem ſupplicationis nuncupatum eſt, omnis ſimul ignis extinctus: Reſſelienſium vero ad Deiparam Lindenſem pietas, tantò magis eſt accenſa. *Quarta* denique, inſtituitur poſtridie Aſſumptæ in cælum Virginis, quâ ob ſervatam à peſtilenti lue civitatem, gratiæ itidem referuntur Dæo. Duodenæ circiter familiæ intra civitatem erant, quæ id temporis votum annuæ peregrinationis Deiparæ Lindenſi nuncupārāt, & continuò, ab omni immunes periculo evasêre. Ergo primùm illi ipſi, qui voverant, eorumque poſteri, paulò verò poſt, universa civitas, commune DEI ac Deiparæ beneficium, communi ſupplicatione profiteri ac celebrare aggreſſa, etjamnum perſeverat. Neque his contenti Reſſelienſes, quandoque plures extra ordinem adjiciunt Proceſſiones, quemadmodum hoc, quo iſthæc ſcribimus, & ſuperiore anno fecêre. Nam ſuperiore quidem anno, cùm epidemica lues, in vicinis quoque Ducatus locis fædè graſſaretur, Reſſelienſes factâ citra moram ſupplicatione, quaſi meliorem de Tilia Mariana ſuccum, pro antidoto ſumpſiſſent, à præſentiſſimo jam periculo eximii fuerunt. Hoc verò quinquageſimo quinto ſeculi iſtius anno, quod & alias pari eventu factum, agris & ſatis nimio Syrii æſtu ac ſiccitate prope exareſcentibus, quaſi ſub Marianæ Umbram Tiliæ, pro more, ſe receperunt, breviquе intervallo, opportunos de cælo imbres nacti ſunt. Atque hæc Reſſelienſes universi: jam verò ii, qui ſuburbium, vulgo, *Piſcaria platea*, dictum, colunt, ſeorſim inſuper Tertia Pentecoſtes feriâ, publicam quotannis inſtituunt proceſſionem,

nem; qua ob depulſam ab ſe peſtilentis auræ luem, ſupremo Numini & Deiparæ gratias agunt. Triginta circiter inde abierunt anni, cùm Reſſelium totum, illa populata eſt lues, ut ad dictum quoque pervaſerit ſuburbium. Hic de præfecti vici illius conſilio omnes annuam Deiparæ vovent peregrinationem; &, ſimul ac voverant, voti compotes effecti, perpetuâ grati animi memoria atque proceſſione beneficium recolunt.

Reſſelienſibus proximi ſunt *Biſteinenſes*; oppidum quippe, vix tribus Linda, Reſſelio autem duabus abeſt leucis: illi proinde Reſſelienſium veſtigia ponè legunt. Quovis enim anno, proximâ à feſto Pentecoſtes Dominicâ, quæ ſanctiſſimæ Trinitati eſt dicata, ſub meridiem domo egreſſi, numeroſo juxta, & ad modeſtiam pietatemque compoſito rite agmine, ſub veſperam ingrediuntur Reſſelium; precibusque in Templo Societatis aliquamdiu fuſis, quieti ſe, in vicina plerumque villa *Rotaven* dicta, componunt; primaque poſtridie luce, iter Lindam pari modeſtiâ ac pietate proſequuntur. Tametſi verò aliorum quoque omnium, qui Lindam frequentant, pietas ipſo quaſi vultu facile ſe prodat, ſingulare tamen quiddam in Biſtenienſibus relucet, velut quidam earum ſupplicationum fructus. Palàm eſt, ejus oppidi cives, commeſſationibus antehac, ebrietatibus, &, quæ inde ſequuntur, rixis, pugnis, atque cædibus, ſupra cæteros, prope infames habitos; adeo ut Illuſtriſſimus Antiſtes Nicolaus Sayszkowski ante annos circiter undeviginti, neceſſe habuerit iis, qui cultrum in alium ſtrinxiſſet (cultris enim potiſſimùm inter pocula certaba-

tabatur) exilii ſubhaſtationisque pænam infligere. At illi ſimul ac ſupplicationes ejuſcemodi; annuas obire, Patrumque Collegii Reſſelienſis operâ ad frugem ſe recipere cæperunt, jam cum quavis vicinarum civitatum, de honeſtate, de modeſtia ac pietate facile videntur poſſe contendere.

*Bisburgenſes* quoque, qui quatuor, *Seeburgenſes*, qui quinque, & *Vartemburgenſes*, qui ſex itineris leucas Lindam, uſque habent, ferè circa Deiparæ Eliſabetham viſitantis feſtum, ſtatas quovis anno ſupplicationes obeunt. Quæ, quò ſunt longinquiores, & quà itinerum, qua tempeſtatum incommodis magis obnoxiæ, eò magis pietatem, civitatibus illis quaſi inſitam, conteſtantur. Quibus de cauſis etjam *Allenſteinenſium*, municipum meorum, religio & conſtantia magis videtur prædicanda; quòd, cùm octo minimum leucas itineris emetiri Lindam usque debeant, nullo tamen anno, ſemel cæptas, & ſemper magna cum pietate obitas Proceſſiones omittant. Quorum, ut eſt inſignis religio, ita, quæ religionem adjuvat & ornat, Muſices canendique peritia, tum domi, tum in hiſce ſupplicantium choris, facilè palmam cæteris præripit. Quod quidem ſuperiore anno etjam inde patuit, quando agmini Lindam proximè ſuccedenti, Deiparæ Virginis laudes, quæ Lauretanis continentur Litaniis, virgineâ voce nubilis jam virgo, toto agmine accinente, patriâ linguâ, nec minima arte juxta ac ſuavitate, præcinuit.

Civitatum exempla ſequuntur adjunctæ civitatibus villæ &, quæ Lindæ viciniores ſunt, etjam præeunt. Etſi verò necdum conſtet, quam ſibi ſinguli fi-

xerint

xerint ſtatam in anno diem, reperio tamen in commentariolis circa 1640. & proximè currentes annos, Aprili menſe ſuo defungi ſolitos itinere *VVorplacenſes, & Klausdorffenſes*: Majo verò *Glockſteinenſes, Santoppenſes & Plauſenſes*: Junio *VVuslacenſes, Sturmhublenſes, Heinersdorffenſes, Pleſenſes, Kivvittenſes, Schulenſes ac Lautrenſes*; Julio *Kellenſes & Crauſenſes*. Plures alii potuiſſent conſignari, ſi ii quibus conſignandi provincia fuerat commiſſa, paulò accuratius munere ſuo fuiſſent defuncti: quippe & cauſas tum ſupplicationum, tum votorum ſupplicationes antevertentium oportuiſſet perquiri ac ſignari. De ſolis interim *VVuslacenſibus* illud proditum eſt, Epidemica lue (quam majorem vocant peſtem) ubique graſſante, votum Deiparæ Lindenſi in Templo omnes nuncuparunt, & è Templo progreſſi, ſub dio ante Chriſti è Cruce pendentis effigiem id ipſum confirmarunt. Auditi ſunt de cælo, ideoque voti rei, & beneficii divini memores, quod voverant, quovis anno exequuntur. *Klausdorfenſes* quoque ac eorum vicini Worplacenſes, ultro fatentur, jam inde ab avorum abavorumque memoria, ſupplicationes ſuas voto firmatas, & ſupra centum jam annos, ipſa feria quinta Dominicam Paſchatis proximè conſequente, ab ſe frequentatas. Cauſam verò perpetuam iſtius voti fuiſſe, incendium ope Deiparæ Lindenſis, ad quam trepidi recurrerant, ſubito extinctum: unde & dictum diem, quam poſſunt, feſtiviſſimam, & ab omni opere ſervili eximiam, ducunt. Similis eſt Munchsdorfenſium pietas, qui ſexta, & Santoppenſium, eidemque Parœciæ adjunctorum, qui ſecundâ

Feſtum

Feſtum Corporis Domini conſequente feriâ, agmine è tota villa coacto, ſupplices præcedunt; & votum (quod ad avertendas aëris tempeſtates, quæ hoc tempore, maxima cum ſatorum noxa, graſſari ſolent, ipſorum majores dudum ante fecerant) quovis anno proſequuntur.

Sunt præterea aliæ civitates, quæ etſi non quovis anno, frequentius tamen intra annos non multos, paria prioribus ſupplicantium agmina Lindam mittunt: quas inter ſunt *Heilsberga*, *Gutſtadium*, *Meelſaccum*, *Vormditum & Brunsberga*; quæ quidem uti cæteris eſt remotior (ſedecim quippe milliaribus Prutenicis abeſt Linda) ita rarius coacto ſimul omniũ agmine accedit; accedit tamen quaſi per ſparſos, quos ſubinde quovis anno ſubmittit, ſuorum manipulos. Quod & *Traumburgum*, & *Iolkemitum*, aliquanto quàm Brunsberga remotiores, pari ſolent religione facere. Sed & *Regiomontum*, & *Elbinga*, & *Gedanum*, quanquam paucos, præ ſectariorum turbâ numerent Catholicos, tamen, pro eo numero, non paucos quotannis Lindam expediunt.

Neque verò ſolius Varmiæ aut Pruſſiæ finibus, Deiparæ Lindenſis, per publica ſupplicantium agmina, cultores continentur. Sunt & in ampliſſimis Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Litvaniæ provinciis, qui necdum quidem annuas, frequentes tamen, præſertim è Maſovia & Podlachia peregrinationes, quin & Proceſſiones inſtituunt. Et è Maſovia quidem *Chorzelenſes*, qui quindecim, & *Praſniſienſes*, qui quatuor inſuper leucas abſunt Lindâ, frequentiſſimè per manipulos, interdum verò etjam coacto omni-

um aut plurimorum agmine, ſupplices accedunt *Colnenſes* quoque, & alii, haud procul *Lamzâ*, Lindâ verò viginti circiter leucas diſſiti, frequentes adeſſe quotannis ſolent: inſuper hoc anno, pro ipſo Viſitationis B. V. die, *VVanſoſenſes*, & haud longè ab iis poſiti *Goncondzenſes* magno numero, & agmine in morem ſupplicantium compoſito, adfuerunt. Quorum omnium eò magis eſt & laudanda & admiranda pietas ac religio, quòd maximam itineris partem, per ipſa quaſi adverſariorum caſtra, per Prædicantum, inquam, & ſectariorum in Ducatu dominantium fines, conficere, & non raro eorundem ſannis atque opprobriis ſaturari neceſſe habeant. Verùm haud gravatè opprobria & ſannas impiorum ſupportant ac perferunt, qui ad cæleſtis gratiæ rorem & ambroſiam, quam Tilia Mariana affatim ſuppeditat, toto pectore animoque anhelant.

Verùm hoc loco, piaculi inſtar videri poſſit, ſi ſtudioſam *Collegii Reſſelienſis* juventutem taciti præterierimus, quippe cui non annua, ſed Menſtrua ad Lindam Marianam ſupplicatio eſt. Quovis enim menſe, die remiſſioni animorum datâ, & Vacunæ, quod ajunt, ſacra, ad ſignum primâ luce dari ſolitum, quaſi provolantes de ſuis alveolis apes è veſtigio adſunt; & in claſſium ſuarum ordines tributi, præcedente cum Deiparæ effigie Labaro, progreſſuri; à Lauretanarum carmine Litaniarum exorſi, quod animoſâ juxta ac dulci vocem modulatione pertexunt, alia inſuper atque alia, in Dei & Deiparæ laudes carmina, toto decurrunt itinere. Tum ſilvam Lindæ proximam lucumque ingreſſi, & ad voces canen-

nentium non tam reſponſantis quàm ludentis, & ludendo calidos juventæ ſpiritus irritantis Echo, ſibilis, ad novum modulandi æſtum ſuccenſi, quò fiunt ſacro loco propinquiores, eò lætioribus dulcioribusque perſonant modulis: quoad tandem ad ipſam Deiparæ Ædem delati, tanquam innoxia, mellis tamen avida, apum examina, Tiliam ſuam cæleſti rore ac melle gravidam nacti; inter ſacrum Miſſæ ſacrificium, & harmonicos Muſicorum concentus, rorem cæleſtem ac mella legunt; quibus deinceps intra animorum ſuorum quaſi cellas reconditis, ad DEI & Deiparæ amorem, cultum ac religionem, totâ nutriantur foveanturque vitâ.

## CAPUT XXIV.

*Varii ritus, & ſupplicandi rationes ac modi, quibus Deipara Lindenſis olim culta, & nunc, ad Eccleſiæ veteris exempla colitur.*

SI ritus, & ſolennes ad Deiparam Lindenſem ſupplicantium ceremoniæ, perinde poſſent calamo & oratione pingi, atque in ſe oculis ſpectantium ſunt gratæ; magnam ſanè huic narrationi, & pietate, quam ſpirant, & varietate ſua gratiam adferrent. Si enim, ipſo teſte Christo Domino (a) *Gaudium eſt Angelis, ſuper uno peccatore pœnitentiam agente*; quidni jucundum ſit, tum iiſdem Angelis, tum etiam hominibus ſpectaculum, non unum duntaxat, ſed tot pœnitentiam agentes, &, quod agunt, tot ac talibus modis profitentes, intueri? ſive igitur compoſito agmine procedentium, ſive peregrinorum, aliorumvé Lindam accedentium, ritus intuearis, videbis principiò



(a) *Luc*, 15.

pleroſque, accenſis præire cereis, & illa ceræ ardentis luce palàm conteſtari, duritiem cordis per peccata quondam prope ſaxeam, Dei Deiparæque ope non tantùm adinſtar ceræ emollitam, ac ad Dei nutum flexilem; verum & Spiritus ſancti igne accenſam, ita in ſe ardere, ut etiam bonæ converſationis luce, omnibus, qui ſpectant, occaſionem det *glorificandi Patrem qui in cœlis eſt* (b) Quod ſi fortaſſe necdum aliqui faciunt, facturos tamen confidunt; & accensâ face, quàm manu præferunt ſpondent, ac quodam quaſi modo in manum conveniunt. *Iam quid eſt* (ut cum S. Gregorio (c) loquamur) *quod opus noſtrum, & ita faciendum eſt, ne uideatur: & tamen ut debeat uideri, præcipitur? niſi quod ea, quæ agimus, & occultanda ſunt, ne ipſi laudemur; & tamen oſtendenda ſunt, ut laudem cœleſtis Patris augeamus? Nam cùm nos iuſtitiam noſtram, coram hominibus facere Dominus prohiberet, illicò adiunxit, ut uideamini ab eis; & cùm rurſus uidenda ab hominibus bona opera noſtra præciperet, protinus ſubdidit, ut glorificent Patrem ueſtrum, qui in cælis eſt. Qualiter igitur uidenda eſſent, uel qualiter non uidenda, ex ſententiarū fine monſtravit: quatenus operantis mens, opus ſuum, & propter ſe uideri non quæreret; & tamen hoc, propter cæleſtis Patris gloriam non cælaret.* Atque hinc, ſimplici rudioris plebeculæ deſideriis, anxiè enitentis, ut, quos geſtant cereos, omnium in ſacra comburantur Æde, conniveri debet. Tametſi enim Dominus non munerum, quæ offeruntur, molem, ſed mentis ſpectet & acceptet ſenſa, vulgi tamen ſimplicitas eo ſe

(b) *Matth. 5.* (c) *3. parte paſtoral. ad mon. c. 36.*

ſe plus exiſtimat placere Deo, quò plus, etjam de aſpectabili illo candelatum luce, ad Dei gloriam promit: niſi fortaſsè aliqui per illam cereorum ſuorum lucem, eo magis Catholicæ fidei, quam profitentur, ſplendorem, promicare apud Lindam Marianã uelint; quo denſiores Lindam, in uicino Ducatu, excipiunt hæreſeon ſectarumque tenebræ.

Iam uerò alios quoque uidetis, accenſos cereos, aliavè munuſcula, manibus præferentes, uel majorem ſacelli Arcam, uel ipſum Sacellum, ter ut minimum circuire; fortaſſe non immemores repetitarum per ſeptem dies, circa Urbem Iericho, (a) proceſſionum. Neque enim quibuſdam, aut pro aſperitate pravitateque morum, teneriorem, aut pro peccandi aſtuetudine uitiorumque uſu infirmiorem Ierichunta, nomine reque ipsâ quamvis Lunæ mutabilitatem referentem, hoſtis ille generis humani, in animo quaſi à fundamentis erexit; ut nonniſi frequente circuitu, & ui, quaſi per uarios aſtultus, admotâ, infelices illi Ierichuntis muri, ſubrui ac funditus everti queant. Neque illud minùs frequens, aut minùs jucundum ſpectaculum eſt, quando plerique non modò de geniculis nixi, circum Aram ſacelli, uel ipſum quoque ſacellum, iterum ac ſæpiùs reptant; uel aliquam itineris Lindenſis partem, præſertim cum uiciniores Lindæ fiunt, geniculis reptando abſolvunt, & quod primæ Chriſtianorum Eccleſiæ in more poſitum fuiſſe legimus, exemplo, & re ipsâ probent. Nam & *Geniculationes*, cum Tertulliano (b) ac Hieronymo; (c) *& populum ingeniculantem adorare,*



(a) *Ioſue 6.* (b) *Ad ſcapulã c. 4.* (c) *in c. 3. ad Eph.*

*adorare*, cum Proſpero (*a*) & cum citato jam Tertulliano adverſus Judæos, *genibus poſitis, & manibus cædentibus pectus, & facie humi volutatâ, orationem commendari*, quavis propè die, apud Lindam Marianam ſpectamus. Cæterùm uti *Geniculationes* uſitatæ, quæ affixis certo loco genibus fiunt, communes aliis locis ſunt; ita, quibus circa Aram uel ipſam Ædem reptatur, Lindæ Marianæ ſingulares ac propriæ, uel admodum paucis uidentur communes; perinde atque uita, quæ ſecundum Rupertum, geniculationibus figuratur, tum Chriſtianis tum gentilibus communis eſt: at uita, ad uirtutem & legem divinæ exacta, admodum eſt ſingularis, & in paucis ſe offert ſpectanda. Iuvat ea ſuper re, Ruperti ipſius ſapientiſſimam adducere contemplationem. *In utero*, inquit ille (*b*) *nos ita natura formavit, ut genua Genis oppoſita ſint; unde & à genis genua dicuntur. Ibi enim cohærent ſibi, & cognata ſunt oculis lacrimarum indicibus & miſericordiæ. Deniq; complicatũ aiunt gigni formariq; hominem, ita ut genua ſurſum ſint, quibus oculi formantur, ut cavi fiant ac reconditi. Inde eſt, quod homines, dum ſe ad genua proſternunt, ſtatim lacrimantur. Voluit enim natura, nos maternum memorare uterum ubi conſidebamus in tenebris, antequam ueniremus ad lucem. Profectò, qui cauſam iſtam diligenter attendit, ille ſcienter atq; rationabiliter laudat & approbat, ſanctum & eruditis cogitationibus familiare eſſe, genua frequentius excelſo* DEO *curvare, & genas lacrimoſas genibus curvis applicare; ut reſpiciat ac cogitet Creator habitans in excelſis, qualiter*

(a) *p. 1. cap. 14. de prædict. Dei* (b) *lib. 6. ad cap. 6. Cantic.*

*qualiter nos in utero formavit*. Quo loco, cùm multa Rupertus eruditè iuxta ac piè, tum illud ad cauſam noſtram accommodè dixit, uidelicet, *ſanctis & eruditis cogitationibus familiare eſſe, genua frequentius excelſo curvare* Deo: quia id nonmodò Stephanus (b) Petrus (c) Paulus (d) uerùm etiam & Chriſtus (e) & Salomon (f) & Daniel (g) fecerunt. Præ cæteris tamen Sanctis, maximè id familiare S. Iacobo Apoſtolo, qui *Frater Domini*, appellatus eſt, fuiſſe memorant; cui ex frequenti geniculatione, genua callum inſtar Cameli obduxerunt quemadmodum S. Hieronymus in Catalogo de ſcriptoribus Eccleſ. prodidit. Quin & Frontem, ſi S. Chryſoſtomo hom. 5. in Matth. credimus, habuit Calloſam, eò quod illam inter orandum proſtratus, aſſiduò terræ affigeret. Deniquè & S. Bartholomæus, teſte Ribadenerra in uitâ, & S. Martha, S. Antonino teſte, centies per diem, & centies per noctem flexis genibus invocabat & adorabat Devm. *Hic modus ac ritus* (videlicet de geniculis adorãdi) ait P. Georgius Schererus (h) ita quondam apud Catholicos fuit in uſu, ut frequentius geniculando magna in excavatis marmoribus foramina, quòd meis oculis ſæpè uidi reliquerint. Neque hoc mirum, cum & gutta cavet lapidem, & formicæ, in petris viæ veſtigia relinquant.

Quale uerò, & quàm uerè ad ueteris Eccleſiæ uſum affinè illud ſpectaculum, quando pleriquè non genibus duntaxat nixi, ſed toto corpore humi proſtrati,



(b) *Act*.7. (c) *Act*.9.4. (d) *Act*.20.*&* 21.5. (e) *Luc*.22.41. (f) 3.*Reg*.8. (g) *cap*.6. (h) *Concione* 7. *contra Alcoranum*.

ſtrati, cum Chriſto Domino, *in faciem ſuam procidendo*, (b) ipſi quoque, ut Tertullianum iam loquentem audivimus, *Facie humi uolutatâ* oravit; uerùm & cum eodem Domino Crucifixo, manibus ac toto corpore, in morem Crucis terræ quaſi affixi, adinſtar Apoſtoli Pauli (c) *Chriſto configuntur Cruci*: & non tantum ſpiritu, uerùm & corpore quadantenus Crucifixo conformantur. Quod dum faciunt, non iam uerbis, ſed, (quemadmodum Niſtenus (d) loquentem Apoſtolum inducit) opere ipſo, *Clamant nullam in ſe affectionem humanam uivere; non faſtum, non timiditatem, non uoluptatem, non dolorem, non iram, non metum, non audaciam, non iniuriarum memoriam; non invidiam, non uindicta, non avaritia, honoris aut gloria cupiditatem: ſed, his omnibus abraſis, ſolus ille ſupereſt, qui nihil eſt horum; qui eſt ipſa ſanctificatio, & puritas, & immortalitas, & lumen, & ueritas; qui paſcitur inter Lilia in ſplendoribus ſanctorum*. Manus enim in modum crucis expandendo repreſentant in ſe illam, uti Tertullianus lib. de Oratione (e) appellat, *Citharæ divinæ in Cruce Modulationem. Nos uerò*, inquit ille, *non attollimus tantùm manus, ſed etiam expandimus; & Dominicâ Paſſione modulantes, confitemur Chriſto*. Putat enim Cerda, doctiſſimus Tertulliani aliorumque interpres; illum, eâ in Modulatione alludere, & ad modum, quo extenti ſumus; & ad Muſicas chordas ex ſocietate adſonantes: quaſi extentus Chriſtus ſit Chorda una, & extentus Chriſtianus Chorda altera; atque ita gratiſſima utrinque fiat Modulatio. A quo

(b) *Matth.* 26. 39. (c) *Gal.* 2. 19. (d) *hom.* 15. *in Cant.* (e) *cap.* 11.

quo fortaſſe etjam orandi ritu, ut & à Crucis myſterio Chriſtique Paſſione Chriſtiani olim ( eodem Cerdâ, teſtem Alitelmom de laude Virginitatis, ad caput 16. Apologotici Tertulliani adducente) *Cruciolæ* dicti fuerunt. Nunquid & noſtros iſtos jure quis *Cruciolas* appellarit?

Ad extremum, ne illa quidem apud B. V. Lindenſem deſiderari poſſunt ſpectacula, quæ apud S. Felicem Nolanum ſpectari ſolita, S. Paulinus (*b*) hunc in modum memorat.

*Cernere ſæpè iuvat, uariis ſpectacula formis,*
*Mira ſalutantum, & ſibi quæque accommoda votis*
*Poſcentum. Videas etiam de rure colonos*
*Non ſolùm gremio ſua pignora ferre paterno,*
*Sed pecora ægra manu ſæpè introducere ſecum.*
*Et Sancto, quaſi conſpicuo, mandare licenter*
*Moxq; datam ſua confiſos ad vota medelam,*
*Experto gaudere* DEO, *& iam credere ſana,*
*Et uerè plerumq; brevi ſanata ſub ipſo*
*Limine, læta ſuis iumenta reducere tectis.*

Non, inquam, hæc apud Lindam omnia deſiderantur. Nam & uariis efficta formis anathemata ac donaria offerri, jam ante memoravimus, & non colonos modò, uerùm & alios majores meliorumque ſubſelliorum homines, ſua offerre pignora, aut, quos pignorum loco habent, amicos DEO ac Deiparæ commendare, quotidie propè ſpectamus. Inter alia uerò omnia frequentiſſimè licet intueri Pecora ægra adduci, & circum Ædiculæ parietes circumduci; magnâ etiam ſectariorum erga Deiparam Lindenſem



(a) *cap.* 11. (b) *Natali* 6.

ſem fiduciâ; nec minore commodo ſuo ut alias dicendum erit. Interim preteriri hoc loco non debet, quod hac ipsâ die, atque adeò eadem, qua hæc ſcribimus, horâ ſpectavimus. Hieronymus Mitzka, Schiſtenſis oppidi inquilinus, equum paullò ante habuit morbo ita afflictum, ut ne pabulum quidem carpere, tantum abeſt, ut operas hero præſtare aliquas poſſet. Concepit herus ad Deiparam Lindenſem uotum, & equum, ſi revaluiſſet, apud Lindam ſe ſtiturum promiſit: continuò equus revaluit, & herus, quanquam lutherana caſtra ſecutus non tantum equum hodie Deiparæ ſtitit, ac circa ipſius ædem, pro more, ter circumegit. Uerum & ex cera anathema, Reſſelii emptum, Deiparæ obtulit.

Ad extremum, quidquid in Atlantis Mariani Ideâ pag. 46. de B. Virginis cultu quo ad modum percenſetur, id apud Lindam Marianam non auribus modò, uerùm & oculis uſurpari poteſt. Quibus jure addideris, quæ pietate juxta atque gloria maximi duo Principes hiſce tamporibus ediderê, Maximilianus S. R. I. ſeptemvir, & Joannes Caſimirus Poloniæ Sueciæque Rex: ille paucis ante obitum annis ſyngrapham proprio ſanguine conſcriptam nemine mortalium conſcio, clam in Æde OEtinganâ ad Aram occuluit; quâ ſe Divæ Virgini Peccatorem, ut ipſe ſcripſit, devovit: iſte uerò Voto Calendis April. Anni M. D. LVI. Leopoli ad ſummam Aram, ſuo & omnium Regni ſui Ordinum nomine palàm nuncupato, feliciſſimo nomine, Deiparam Virginem POLONIÆ REGINAM dixit.

CAPUT

# CAPUT XXV.

*Gratiæ ſanitatum, aliaq; beneficia, quæ ſupplices apud B. V. Lindenſem, in corpore, rebusq; exteris, cumulatè ſolent auferre.*

TAlia ac tanta ſupplicantium officia, majoribus longè muneribus ac beneficiis divinitus compenſantur, ut uerè de B. V. Lindenſi cani illud poſſit, quod de Sichemienſi (a) cecinit juſtus Lipſius.

*Perge calame, perge laudes Virginis diffundere.*
*Illius quæ peperit Servatorem gentium;*
*Illius, quæ pergit Orbi dare, donare munera.*
*Sanat ægros animi, ſanat ægros etiam corporis*
*Quàm benigna in his uolensq; quàm potens & efficax,*
*Vis uidere? uidetis noſtra; ſed mentē affer & fidem:*
*Illam pronam, & iſtam promptam.*

Neque minus uerè uſurpari etiam poſſet, quod de B. V. Lauretanâ (b) Turſellinus aſſeruit: nam, *loci religio ſanis corporibus, mentis ferè ſanitatem; æque, etiam morborum curationem impertit.* Quocirca iam ea, quæ corporis ſunt, principiò attingamus. Vix eſt ulla corporis, aut rerum ad uſum corporis requiſitarū calamitas, quæ non ſuam apud Tiliam Marianam repererit Panaceam, & quaſi confectum de rore aut ſucco Tiliæ, alexipharmacum. Uerè enim de illa canit in Menæis 19. Martii Eccleſia Græca: *Tu Divinum protuliſti* VERBUM, *quod per Te, in omni neceſsitate cultores tuos ſervat.* (c) Ipſa, quæ toto Sacello uiſuntur, anathemata ac donaria, quid aliud ſunt, quàm ærumna-

(a) *cap.* 2. (b) *lib.* 1. *cap.* 2 (c) θεὸν γὰρ λόγον ἐκυοφόρησας, τὸν διά σου ῥυόμενον πάσης ἀνάγκης, τοὺς τιμῶντάς σε.

ærumnarum morborumque ope Virginis depulſorum monumenta? Ordiamur ab ipſo corporis humani uertice. Spectari adhuc poſſunt, uel in ſe jam evoluti, uel ſacculis induſi, capitis humani crines, ſeu potius contorta conglomerataque inexplicabiles in nodos capillitia. Ea uerò indicant non paucis ſanè mortalibus illius generis morbos; qui ſunt aliis populis ferè ignoti, ita in Poloniâ, hoc eſt in partibus Poloniæ, quæ ſibi Ruſſiæ appellationem jam olim uendicarunt, plerumque orti, ac fœdum in morem graſſantes, Medicis quidem *Plica Polonica*; uvlgò autem *Gozdziec* uocari ſolent. Inſolens, admodum grave, nec minùs uarium ac multiplex mali genus: cui necdum tantâ Medentium induſtriâ, quæ certò proſint reperta ſunt remedia: Principio artus omnes, ac potiſſimum nervos, uenas, muſculos, carnemque inſuper, ac ipſa pervadens oſſa, languorem & faſtidium, intimis graviſſimisque mixtum doloribus, toto fundit corpore, ut ad inſaniam plerumque, nec rarò ad ipſum mortales abducat exitium; niſi tandem ui mali foras erumpente, in ipſo capitis humani uertice, quaſi triumphans de humano genere morbus ſeſe oſtentet, & in intricatis, intortis, implicatisque capillis, uictoriæ ſuæ trophea explicet; ut qui eatenus *Gozdziec* uvlgò dicebatur, jam *Violtum* uocari mereatur. Et uerò Triumphare uideri poteſt in illo, etjam ad aſpectum fædo capillitio morbus, quia ſi capillitium radatur, aut etiam uellatur, plerumque mors aut nihilo infelicior morte, cæcitas comitari ſolent. Cùm igitur in tam acerbo, ac periculi pleniſſimo morbo, vix ullum ac humanâ

ope

ope remedium ſit; nonniſi ad DEVM, & Deiparam, etiam apud Lindam Marianam, tantopere ab iis locis, quibus uis mali regnat, diſiunctam, recurrere mortales, & ſanitati reſtitui, revulſumque ab radice capillamentum, grati animi ergo, ſuſpendere ſolent. Quid opus eſt Cephaleum, aliosque capitis humani cruciatus; quid oculorum, aurium, cæterorumque aruum uitia, aut æſtus penitus depulſos, aut quadam quaſi Tiliæ Marianæ umbrâ mitigatos, hîc memorare, cùm & ſuis locis quædam percenſa ſint, & tam multa oculorum, aurium, & id genus membrorum, & argento, vel ære vel cerâ efficta, & ante Effigiem Deiparæ pendentia ſimulacra, nihil aliud ſint, niſi manifeſta beneficiorum & ſanitatum per Deiparã obtentam monumenta? Certe præter alias & argento ſolido votivas tabellas (quæ ſupra ducentas ac uicenas hodie numerantur, quarumq; non paucæ pedis geometrici longitudinem aut ſuperant, aut proximè attingunt) pedes argentei, quorum aliqui longitudine ad cubitum prope accedunt, ſunt plus quam uiceni, oculorum paria circiter ſeptena: ut de manuum, cordium, aliorumque ſimulacris nihil memorem. Verùm neſcio, quo pacto ſpectantium oculos, præ aliis etiam ex argento figuris atque anathematis, ſubalaria claudorum fulcra, & quædam quaſi grallæ, ad utrumque ſacelli parietem, non exiguo pendentes numero, in ſui contemplationem admirationemque rapiunt: ſunt ea plus quàm manifeſta, divinæ in pedum uitia beneficentiæ ueſtigia; quia ab iis ipſis, qui ſuſcepto ad Lindam Marianam uoto claudi perreptarunt, & ſanitate, uti experierant,

tant, recepta, grallas & fulcra ad perpetuam rei memoriam, ſuæque in Deiparâ gratitudinis monumentum ibidem appenderunt. Quod ſi illorum quoque, qui facto ad Virginem Lindenſem uoto, domi ſuæ continuò perſanati ſunt, fulcra Lindam delata ſuſpenſaque fuiſſent, quis ea locus caperet? Quam enim multi ſunt, qui, ut in cæteris, ita & in hoc quoque malo, domi facto uoto, domi quoque perſanantur, ut neceſſe minimè habeant, fulcris Lindam uſque conniti? Qui ſi ſubinde è cera figuratos afferunt pedes, jam hi cum cæteris iſtiuſmodi ſimulacris, non quidem in ſpongiam cum Ajace cujuſdam, ſed in Vulcanum incumbunt.

Cæterum ut & plurima ſunt divinorum beneficiorum anathemata, & ipſa, quæ illis ſignificantur beneficia, ſanè quam maxima, quia tamen, quæ hactenus libata ſunt, ſingulis fere obveniunt mortalibus, præ iis minus uulgò æſtimantur, quæ in multos ſimul redundant; & jam, non inſtar ſtillæ, in ſingulos, ſed inſtar nimbi cujuſdam, ſi non in univerſos, certè in plurimos devolvuntur. Interea jure cenſeas præcluſos auræ peſtilenti: atque epidemicæ, tum apud ipſam Lindam, tum alibi terrarum aditus. Memorant enim plerique eam regionem, quæ Lindam Marianam proximè ambit, quoad memoriam hominum ſuperat, nunquam eiuſmodi contaminatam lue. Equidem ſuperiore tempeſtate, cùm Poloniam & omnes ferè Regni Provincias id malum pervagaretur, Linda ab eo ſemper immunis & eximia fuit: adeò ut Claricius Anno M. DC. XXXVI. hiſtoriæ Lindenſi ab ſe ſcriptæ colophonem imponens, adjecerit,

cerit; *Illud præterea miraculo non immeritò adſcribendum, quod his ſuperioribusq; temporibus, contagioſâ peſtilentiæ luè infectis, Marianæ Lindæ locus, etiamſi ad eundem innumera hominum multitudo conflueret, ab omni tamen infectionis periculo, manſerit liber & immunis.* Hoc ipſum nos quoque, de noſtris hiſce annis, tempeſtatibusque profiteri poſſumus. Nam proximo, qui præteriit, anno, cùm undique, potiſſimum uerò è vicino Ducatu, peſtilens aura Lindam afflaret, nonquam tamen, quæ Dei benignitas fuit, perflavit. Non deerant ex amicis, cùm Reſſelii tum alibi degentibus, qui & de periculo admodum uicino nos commone facerent; & inſuper nobis, adeoque civitati ipſi (ne quid è uicino detrimenti caperet) provideremus, obſecrarent. Verebantur quippe, ne inter confertam multitudinem, quæ inſtante jam urgenteque periculo, ad B.V. Lindenſem frequentiſſima recurrebat, aliqui de locis peſte jam afflatis accederent, & ſimul nos, ac civitatem ita propinquam involverent. Neque metus, etſi quibusdam iuſto altius inſederat, omninò hauſtus ex uano erat. Conſtitit enim poſtmodum, adrepſiſſe clam nonnullos, ex locis illâ lue perſtrictis; imò & ad Sacrum Tribunal, & ad Divinam Menſam cæteris ſe miſcuiſſe: neque tamen cuiquam, (quæ Dei clementia fuit) uel tantillum affricuêre noxæ. Neque uerò ipſe duntaxat Lindæ Marianæ locus, ab eo malo liber fuit, ſed & alii, qui malo tam ferali obnoxii fuerunt, ſimul ac uota ad Deiparam Lindenſem noncupArant, à malo ſervati, uel ſibi facilè reſtituti; plerique ſunt. Civitas Heilsbergenſis, ubi uis mali irrupit, &

plateas

plateas etiam Templo Parochiali domoſque uicinas populari cæpit, Admodum R. D. Joannes Slichtenbergk Archipresbyter & Curio, ſuo & omnium ſuorum nomine, facto ad Deiparam Lindenſem uoto, quaſi nervos graſſanti jam malo incidit: ut ex infimâ plebe admodum pauci, è civibus multò pauciores ſublati ſint: ipſe cum univerſa civitate uoti reus publicâ ſupplicationi inſtitutâ, paullo poſt uotum exſolvit. Qua de re ſuo bono uberius (a)

## CAPUT XXVI.

*Beneficia & gratiæ animum concernentes, quæ apud Lindam Marianam divinitus tribui ſolent.*

MAgna eſt, in rebus ad ſalutem commodaque corporis pertinentibus, Deiparæ Lindenſis erga mortales omnes beneficentia: ſed in iis, quæ animum concernunt, tantò etiam major, atque locupletior, quantò animus corpori anteſtat. Quid eſt autem beneficiorum ſalutem animi concernentium, quod non eo loco in genus humanum liberaliſſimè redundet? Cùm enim ſalus mortalium, in ſola DEI & Servatoris noſtri gratiâ conſiſtat; divina autem gratia, ſimul ac mortalium animis fuerit infuſa, omnibus uirtutum ornamentis (præſertim uerò earum quæ Theologicæ uocantur, & totius architecturæ ſpiritualis fundamentum ac baſis ſunt) animos eoſdem condecoret atque ſtabiliat; non aliundè ſanè, etjam ad præſentiſſimum Deiparæ Lindenſis Aſylum, quàm ab earundem virtutum prima quaſi ſemente

(a) *lib. 4. cap. 33.*

ſemente, hoc eſt, ab ipſa Fidei, Spei, & Charitatis ſtirpe, clementiſſimus Deus, hominum ſalutem auſpicatur. Jam ſuo loco vidimus, quo pacto Linda Mariana, ſimul ac fides Chriſtiana ſeri in Pruſſia cœpit, aſſurrexerit, ut æſtuantes etjamnum vitiorum ardoribus, novi illius populi Chriſto inſerti, animos, Virgineæ umbrâ Tiliæ refocillarentur ac reficerentur: neque profectò aliter, his etjam temporibus, Trophæum Fidei, & Aſylum ſpei pleriſque Mortalibus Linda Mariana eſt. Non enim illi duntaxat, qui in Epiſcopatu Varmienſi aliiſvè provinciis, materno Eccleſiæ Catholicæ ſinu foventur; ſed illi quoque, qui in vicino ampliſſimoque Pruſſiæ Ducatu, variarum hæreſeon undique implexi vepribus, ab Eccleſiæ Catholicæ ſinu avelli non poſſunt, ad Lindam Marianam identidem ſe recipiunt; cùm, ut eo in loco, tanquam ad Triumphatricis de hæreſibus omnibus Deiparæ Aram, victricia ſigna figant; tum etjam, ut, in illo quaſi Campo Martio, adverſus fidei hoſtes, eminus cominuſque depugnent. Quis enim è tanto indies confluentium numero, ubi in loco ſectarum Miniſtellis cincto, ſectariorumque molitionibus quondam vehementer obnoxio conſtitit, non ſe germanum Eccleſiæ Catholicæ germen, ipſo opere generosè profitetur, & de vicinis ſectis gloriosè triumphat! Quis non fidei causâ, velut in Amphitheatro quodam cum tot adverſariis depugnat, quotquot ſe fidei hoſtibus cinctum non ignorat? Quis inter ſectarios, longè ab eo loco poſitus, cùm eorum blanditiis, ſtrophis, verſutiis, fraudibus, minis, aliiſque molitionibus mille, à fide Catholica abſtrahitur, non

ſtrati, cum Chriſto Domino, *in faciem ſuam procidendo*, (*b*) ipſi quoque, ut Tertullianum iam loquentem audivimus, *Facie humi uolutatâ* oravit; uerùm & cum eodem Domino Crucifixo, manibus ac toto corpore, in morem Crucis terræ quaſi affixi, adinſtar Apoſtoli Pauli (*c*) *Chriſto configuntur Cruci*: & non tantum ſpiritu, uerùm & corpore quadantenus Crucifixo conformantur. Quod dum faciunt, non iam uerbis, ſed, (quemadmodum Niſtenus (*d*) loquentem Apoſtolum inducit) opere ipſo, *Clamant nullam in ſe affectionem humanam uivere; non faſtum, non timiditatem, non uoluptatem, non dolorem, non iram, non metum, non audaciam, non iniuriarum memoriam; non invidiam, non uindicta, non avaritiæ, honoris aut gloriæ cupiditatem: ſed, his omnibus abraſis, ſolus ille ſupereſt, qui nihil eſt horum; qui eſt ipſa ſanctificatio, & puritas, & immortalitas, & lumen, & ueritas; qui paſcitur inter Lilia in ſplendoribus ſanctorum*. Manus enim in modum crucis expandendo repreſentant in ſe illam, uti Tertullianus lib. de Oratione (*e*) appellat, *Citharæ divinæ in Cruce Modulationem. Nos uerò*, inquit ille, *non attollimus tantùm manus, ſed etiam expandimus; & Dominicâ Paſsione modulantes, confitemur Chriſto*. Putat enim Cerda, doctiſſimus Tertulliani aliorumque interpres; illum, eâ in Modulatione alludere, & ad modum, quo extenſi ſumus; & ad Muſicas chordas ex ſocietate adſonantes: quaſi extentus Chriſtus ſit Chorda una, & extentus Chriſtianus Chorda altera; atque ita gratiſſima utrinque fiat Modulatio. A quo

(b) *Matth*. 26. 39. (c) *Gal*. 2 19. (d) *hom*. 15. *in Cant*. (e) *cap*. 11.

quo fortaſſe etjam orandi ritu, ut & à Crucis myſte-rio Chriſtique Paſſione Chriſtiani olim ( eodem Cerdâ, teſtem Alitelmom de laude Virginitatis, ad caput 16. Apologotici Tertulliani adducente) *Cruciolæ* dicti fuerunt. Nunquid & noſtros iſtos jure quis *Cruciolas* appellarit?

Ad extremum, ne illa quidem apud B. V. Lindenſem deſiderari poſſunt ſpectacula, quæ apud S. Felicem Nolanum ſpectari ſolita, S. Paulinus (b) hunc in modum memorat.

*Cernere ſæpè iuvat, uarijs ſpectacula formis,*
*Mira ſalutantum, & ſibi quaque accommoda votis*
*Poſcentum. Videas etiam de rure colonos*
*Non ſolùm gremio ſua pignora ferre paterno,*
*Sed pecora ægra manu ſæpè introducere ſecum.*
*Et Sancto, quaſi conſpicuo, mandare licenter*
*Moxq; datam ſua confiſos ad vota medelam,*
*Experto gaudere* Deo, *& iam credere ſana,*
*Et uerè plerumq; brevi ſanata ſub ipſo*
*Limine, læta ſuis iumenta reducere tectis.*

Non, inquam, hæc apud Lindam omnia deſiderantur. Nam & uariis efficta formis anathemata ac donaria offerri, jam ante memoravimus, & non colonos modò, uerùm & alios majores meliorumque ſubſelliorum homines, ſua offerre pignora, aut, quos pignorum loco habent, amicos Deo ac Deiparæ commendare, quotidie propè ſpectamus. Inter alia uerò omnia frequentiſſimè licet intueri Pecora ægra adduci, & circum Ædiculæ parietes circumduci; magnâ etiam ſectariorum erga Deiparam Lindenſem



(a) *cap.* 11. (b) *Natali* 6.

ſem fiduciâ; nec minore commodo ſuo ut alias dicendum erit. Interim preteriri hoc loco non debet, quod hac ipsâ die, atque adeò eadem, qua hæc ſcribimus, horâ ſpectavimus. Hieronymus Mitzka, Schiſtenſis oppidi inquilinus, equum paullò ante habuit morbo ita afflictum, ut ne pabulum quidem carpere, tantum abeſt, ut operas hero præſtare aliquas poſſet. Concepit herus ad Deiparam Lindenſem uotum, & equum, ſi revaluiſſet, apud Lindam ſe ſtiturum promiſit: continuò equus revaluit, & herus, quanquam lutherana caſtra ſecutus non tantum equum hodie Deiparæ ſtitit, ac circa ipſius ædem, pro more, ter circumegit. Uerum & ex cera anathema, Reſſelii emptum, Deiparæ obtulit.

Ad extremum, quidquid in Atlantis Mariani Ideâ pag. 46. de B. Virginis cultu quo ad modum percenſetur, id apud Lindam Marianam non auribus modò, uerùm & oculis uſurpari poteſt. Quibus jure addideris, quæ pietate juxta atque gloria maximi duo Principes hiſce tamporibus edidere, Maximilianus S. R. I. ſeptemvir, & Joannes Caſimirus Poloniæ Sueciæque Rex: ille paucis ante obitum annis ſyngrapham proprio ſanguine conſcriptam nemine mortalium conſcio, clam in Æde OEtinganâ ad Aram occuluit; quâ ſe Divæ Virgini Peccatorem, ut ipſe ſcripſit, devovit: iſte uerò Voto Calendis April. Anni M.D.LVI. Leopoli ad ſummam Aram, ſuo & omnium Regni ſui Ordinum nomine palàm nuncupato, feliciſſimo nomine, Deiparam Virginem Poloniæ Reginam dixit.

CAPUT

## CAPUT XXV.

*Gratiæ ſanitatum, aliaq; beneficia, quæ ſupplices apud B. V. Lindenſem, in corpore, rebusq; exteris, cumulatè ſolent auferre.*

TAlia ac tanta ſupplicantium officia, majoribus longè muneribus ac beneficiis divinitus compenſantur, ut uerè de B. V. Lindenſi cani illud poſſit, quod de Sichemienſi (a) cecinit juſtus Lipſius.

*Perge calame, perge laudes Virginis diffundere.*
*Illius quæ peperit Servatorem gentium;*
*Illius, quæ pergit Orbi dare, donare munera.*
*Sanat ægros animi, ſanat ægros etiam corporis*
*Quàm benigna in his uolensq; quàm potens & efficax,*
*Vis uidere? uidetis noſtra; ſed mentē affer & fidem:*
*Illam pronam, & iſtam promptam.*

Neque minus uerè uſurpari etiam poſſet, quod de B.V. Lauretanâ (b) Turſellinus aſſeruit: nam, *loci religio ſanis corporibus, mentis ferè ſanitatem; ægue, etiam morborum curationem impertit.* Quocirca iam ea, quæ corporis ſunt, principiò attingamus. Vix eſt ulla corporis, aut rerum ad uſum corporis requiſitarū calamitas, quæ non ſuam apud Tiliam Marianam repererit Panaceam, & quaſi confectum de rore aut ſucco Tiliæ, alexipharmacum. Uerè enim de illa canit in Menæis 19. Martii Eccleſia Græca: *Tu Divinum protuliſti* VERBUM, *quod per Te, in omni neceſſitate cultores tuos ſervat.* (c) Ipſa, quæ toto Sacello uiſuntur, anathemata ac donaria, quid aliud ſunt, quàm ærumna-

(a) *cap. 2.* (b) *lib. 1. cap. 2* (c) *Θεὸν γὰρ λόγον ἐκυοφόρησας, τὸν διὰ σοῦ ῥυόμενον πάσης ἀνάγκης, τοὺς τιμῶντάς σε.*

ærumnarum morborumque ope Virginis depulſorum monumenta? Ordiamur ab ipſo corporis humani uertice. Spectari adhuc poſſunt, uel in ſe jam evoluti, uel ſacculis induſi, capitis humani crines, ſeu potius contorta conglomerataque inexplicabiles in nodos capillitia. Ea uerò indicant non paucis ſanè mortalibus illius generis morbos; qui ſunt aliis populis ferè ignoti, ita in Poloniâ, hoc eſt in partibus Poloniæ, quæ ſibi Ruſſiæ appellationem jam olim uendicarunt, plerumque orti, ac fœdum in morem graſſantes, Medicis quidem *Plica Polonica*; uvlgò autem *Gozdziec* uocari ſolent. Inſolens, admodum grave, nec minùs uarium ac multiplex mali genus: cui necdum tantâ Medentium induſtriâ, quæ certò proſint reperta ſunt remedia: Principio artus omnes, ac potiſſimum nervos, uenas, muſculos, carnemque inſuper, ac ipſa pervadens oſſa, languorem & faſtidium, intimis graviſſimisque mixtum doloribus, toto fundit corpore, ut ad inſaniam plerumque, nec raiò ad ipſum mortales abducat exitium; niſi tandem ui mali foras erumpente, in ipſo capitis humani uertice, quaſi triumphans de humano genere morbus ſeſe oſtentet, & in intricatis, intortis, implicatisque capillis, uictoriæ ſuæ trophea explicet; ut qui eatenus *Gozdziec* uvlgò dicebatur, jam *Violtum* uocari mereatur. Et uerò Triumphare uideri poteſt in illo, etjam ad aſpectum fædo capillitio morbus, quia ſi capillitium radatur, aut etiam uellatur, plerumque mors aut nihilo infelicior morte, cæcitas comitari ſolent. Cùm igitur in tam acerbo, ac periculi pleniſſimo morbo, vix ullum ac humanâ

ope

ope remedium ſit; nonniſi ad DEVM, & Deiparam, etiam apud Lindam Marianam, tantopere ab iis locis, quibus uis mali regnat, diſiunctam, recurrere mortales, & ſanitati reſtitui, revulſumque ab radice capillamentum, grati animi ergo, ſuſpendere ſolent. Quid opus eſt Cephaleum, alioſque capitis humani cruciatus; quid oculorum, aurium, cæterorumque artuum uitia, aut æſtus penitus depulſos, aut quadam quaſi Tiliæ Marianæ umbrâ mitigatos, hîc memorare, cùm & ſuis locis quædam percenſa ſint, & tam multa oculorum, aurium, & id genus membrorum, & argento, vel ære vel cerâ effícta, & ante Effigiem Deiparæ pendentia ſimulacra, nihil aliud ſint, niſi manifeſta beneficiorum & ſanitatum per Deiparā obtentam monumenta? Certe præter alias & argento ſolido votivas tabellas (quæ ſupra ducentas ac uicenas hodie numerantur, quarumq; non paucæ pedis geometrici longitudinem aut ſuperant, aut proximè attingunt) pedes argentei, quorum aliqui longitudine ad cubitum prope accedunt, ſunt plus quam uiceni, oculorum paria circiter ſeptena: ut de manuum, cordium, aliorumque ſimulacris nihil memorem. Verùm neſcio, quo pacto ſpectantium oculos, præ aliis etjam ex argento figuris atque anathematis, ſubalaria claudorum fulcra, & quædam quaſi grallæ, ad utrumque ſacelli parietem, non exiguo pendentes numero, in ſui contemplationem admirationemque rapiunt: ſunt ea plus quàm manifeſta, divinæ in pedum uitia beneficentiæ ueſtigia; quia ab iis ipſis, qui ſuſcepto ad Lindam Marianam uoto claudi perreptarunt, & ſanitate, uti experierant,

Digitized by Google

cerit; *Illud præterea miraculo non immeritò adſcribendum, quod his ſuperioribusq; temporibus, contagioſâ peſtilentia luè infectis, Marianæ Lindæ locus, etiamſi ad eundem innumera hominum multitudo conflueret, ab omni tamen infectionis periculo, manſerit liber & immunis.* Hoc ipſum nos quoque, de noſtris hiſce annis, tempeſtatibusque profiteri poſſumus. Nam proximo, qui præteriit, anno, cùm undique, potiſſimum uerò è vicino Ducatu, peſtilens aura Lindam afflaret, nonquam tamen, quæ DEI benignitas fuit, perflavit. Non deerant ex amicis, cùm Reſſelii tum alibi degentibus, qui & de periculo admodum uicino nos commone facerent; & inſuper nobis, adeoque civitati ipſi (ne quid è uicino detrimenti caperet) provideremus, obſecrarent. Verebantur quippe, ne inter confertam multitudinem, quæ inſtante jam urgenteque periculo, ad B.V. Lindenſem frequentiſſima recurrebat, aliqui de locis peſte jam afflatis accederent, & ſimul nos, ac civitatem ita propinquam involverent. Neque metus, etſi quibusdam iuſto altius inſederat, omninò hauſtus ex uano erat. Conſtitit enim poſtmodum, adrepſiſſe clam nonnullos, ex locis illâ lue perſtrictis; imò & ad Sacrum Tribunal, & ad Divinam Menſam cæteris ſe miſcuiſſe: neque tamen cuiquam, (quæ DEI clementia fuit) uel tantillum affricuêre noxæ. Neque uerò ipſe duntaxat Lindæ Marianæ locus, ab eo malo liber fuit, ſed & alii, qui malo tam ferali obnoxii fuerunt, ſimul ac uota ad Deiparam Lindenſem noncupabant, à malo ſervati, uel ſibi facilè reſtituti; plerique ſunt. Civitas Heilsbergenſis. ubi uis mali irrupit, &

plateas

plateas etiam Templo Parochiali domoſque uicinas populari cæpit, Admodum R. D. Joannes Slichtenbergk Archipresbyter & Curio, ſuo & omnium ſuorum nomine, facto ad Deiparam Lindenſem uoto, quaſi nervos graſſanti jam malo incidit: ut ex infimâ plebe admodum pauci, è civibus multò pauciores ſublati ſint: ipſe cum universa civitate uoti reus publicâ ſupplicationi inſtitutâ, paullo poſt uotum exſolvit. Qua de re ſuo bono uberius (a)

## CAPUT XXVI.

*Beneficia & gratia animum concernentes, quæ apud Lindam Marianam divinitus tribui ſolent.*

MAgna eſt, in rebus ad ſalutem commodaque corporis pertinentibus, Deiparæ Lindenſis erga mortales omnes beneficentia: ſed in iis, quæ animum concernunt, tantò etiam major, atque locupletior, quantò animus corpori anteſtat. Quid eſt autem beneficiorum ſalutem animi concernentium, quod non eo loco in genus humanum liberaliſſimè redundet? Cùm enim ſalus mortalium, in ſola DEI & Servatoris noſtri gratiâ conſiſtat; divina autem gratia, ſimul ac mortalium animis fuerit infuſa, omnibus uirtutum ornamentis (præſertim uerò earum quæ Theologicæ uocantur, & totius architecturæ ſpiritualis fundamentum ac baſis ſunt) animos eoſdem condecoret atque ſtabiliat; non aliundè ſanè, etjam ad præſentiſſimum Deiparæ Lindenſis Aſylum, quàm ab earundem virtutum prima quaſi ſemente

(a) lib. 4. cap. 32.

ſemente,hoc eſt,ab ipſa Fidei,Spei,& Charitatis ſtirpe,clementiſſimus Deus, hominum ſalutem auſpicatur. Jam ſuo loco vidimus,quo pacto Linda Mariana, ſimul ac fides Chriſtiana ſeri in Pruſſia cæpit, alſurrexerit, ut æſtuantes etjamnum vitiorum ardoribus,novi illius populi Chriſto inſerti,animos, Virgineæ umbrâ Tiliæ refocillarentur ac reficerentur: neque profectò aliter,his etjam temporibus, Trophæum Fidei, & Aſylum ſpei plerisque Mortalibus Linda Mariana eſt. Non enim illi duntaxat, qui in Epiſcopatu Varmienſi aliisvé provinciis, materno Eccleſiæ Catholicæ ſinu foventur; ſed illi quoque,qui in vicino ampliſſimoque Pruſſiæ Ducatu,variarum hæreſeon undique implexi vepribus, ab Eccleſiæ Catholicæ ſinu avelli non poſſunt, ad Lindam Marianam identidem ſe recipiunt;cùm, ut eo in loco, tanquam ad Triumphatricis de hæreſibus omnibus Deiparæ Aram,victricia ſigna figant;tum etjam, ut, in illo quaſi Campo Martio, adverſus fidei hoſtes, eminus cominusque depugnent. Quis enim è tanto indies confluentium numero, ubi in loco ſectarum Miniſtellis cincto, ſectariorumque molitionibus quondam vehementer obnoxio conſtitit,non ſe germanum Eccleſiæ Catholicæ germen, ipſo opere generosè profitetur,& de vicinis ſectis gloriosè triumphat! Quis non fidei causâ, velut in Amphitheatro quodam cum tot adverſariis depugnat, quotquot ſe fidei hoſtibus cinctum non ignorat? Quis inter ſectarios,longè ab eo loco poſitus,cùm eorum blanditiis,ſtrophis,verſutiis,fraudibus,minis, aliisque molitionibus mille, à fide Catholica abſtrahitur, non

perpetuò, etjam abſens, corporis animique oculos ad Deiparam Lindenſem vertit, & aliquando laqueis illis expeditus, ſi non corpore, ſaltem animo, ſuæ ſecundùm DEUM ſoſpitatrici, trophæa; vel, ſi id non poſſit, gratias ex intimis animi ſenſibus, quàm poſſit maximas, agit? Longum foret ex eorum numero vel paucos referre: unicum tamen par ancillarum, quod ipſi ſuperiore anno coràm ſpectavimus, præteriri ſilentio non debet. Utraque cis Grodnam oriunda, è Litvania cum iis, qui meſſis temporibus in Inſulam Marianam, totamque adeo Pruſſiam, plurimi quovis anno effundere ſe ſolent, Pruſſiam adierat; & cum apud Catholicos nulla ſe famulandi occaſio daret, apud ſectarios coactæ ſunt operam ſuam locare. Villa eſt, *Schvvartzenſtein nomine*, Raſtemburgo quidem bis mille, Linda verò ſexies mille paſſibus circiter abjuncta; in qua ut Hennebergerus (*a*) memorat, Cauponis uxor, ob graves, quas in hoſpites cæterosque advenas exercebat injurias, aliquot ſeculis abhinc, in equæ ſpeciem, Dæmonis ope, verſa, & ad fabri officinam ducta, immanibus ſoleis (quæ quidem etjamnum in Templo ſuſpenſæ viſuntur) fertur calceanda fuiſſe; niſi fabro interim ſive metu admodum conſternato, ſive ſupplicationibus illius miſeræ flexo, ideoque moras nectente, Dæmonium ad galli cantum diſparuiſſet, & ſolearum loco, gravi ac diuturno morbo, miſeram confixiſſet. In ea igitur villa, ancillæ illæ, altera quidem apud colonum quendam, altera verò apud ipſum ſectæ Lutheranæ præconem, Prædicantem vulgò appellant, cum ſervirent; illa quidem ſecta-

(a) *pag. 429.*

sectariorum technis ac strophis in Lutheri casses incauta inciderat, ut etjam Cænam, quam vocant, eorundem frequentarit; at verò altera, ne ipsius quidem Prædicantis, Prædicanticævé familiæ dolis, aut machinis, induci unquam potuit ut ab Ecclesia Catholica secederet; tantumque exemplo constantiaque suâ valuit, ut priorem illam ad eandem reduxerit Ecclesiam. Cùm ergo Dominicæ Resurrectionis, proinde & sacrosanctæ Eucharistiæ sumendæ instaret tempus, utraque ad Deiparam Lindensem oculos animosque vertit; & tantùm illo animi robore promovit, ut vel ab hoste virtus earum laudaretur, quin & coronaretur. Ipse enim ille Prædicans tantam admiratus fidem atque constantiam, suis utramque equis atque curru, adjunctâ etjam viæ comite ac ductrice uxore suâ, ut sacris rite fungerentur suis, ultro deduxit, atque iterum reduxit. Quo quidem uno exemplo satis patuit, quantum, vel inter hostes, Catholica fides possit, si vera ac firma sit; adeoque, quoties, tantundem non potest, aut nulla, aut parùm germana sit.

Neque minus Deipara, apud suam Lindam, spei Asylum erexit. Ad hoc respiciunt, quotquot se indies confertim eo recipiunt. Quî enim se reciperent, nisi, cùm aliàs semper, tum rebus domi forisque angustis, spe & fiduciâ ad Deiparam pleni? Videntur ii omnes tacite profari id, quod Simon Niderhoff Seeburgensis Archipresbyter, Imagini B. V. ab se Lindam missæ inscripsit carmen:

*Fluctuat hic mundus, Crux anchora, portus* JESUS.
*Mater, io, sancta sis cynosura spei.*

Et accidit non rarò, quemadmodum ſuo loco docebunt exempla, ut plerique ſaxum inter ſacrumque, quod dicitur, conſtituti, nuſquam aliò, quàm ſecundum DEUM ad Lindenſem Deiparam queant reſpicere: ita, ut quos proſtratæ, quà corporis, quà animi vires humi jam afflixerant, hoc unum Deiparæ aſylum, ad ſpem, fiduciam, ſalutemque deinceps erigat. Non ii duntaxat, qui pro ſacris Tribunalibus ſedent, verùm & alii plerique, ſolent perſæpe confitentes habere reos; illos, inquam, qui poſtquam ob immania flagitia ſua, etjam ſpe excidiſſent ſalutis, ſimul ac Deiparæ Lindenſis memoria ſubiit, ilico ſpem de ſupremi Numinis clementia animo ſubiiſſe, haud ingrati fateantur. Proditum memoriæ eſt, Ludouicum Secundum Ducem Borbonium, cùm ex Africa, in quam exercitum contra Barbaros duxerat, tandem redux, Ordinem Equitum B. Mariæ, *A Carduo*, dictum inſtituiſſet, Torquem aureum ex liliis contextum, & Cardui foliis, per intervalla interſtinctum, Cruce infra dependente, militibus ſuis inſigne dediſſe, adjecto lemmate, SPES. Quicunque Lindam Marianam adeunt, vel ab eadem ſalutis gaudiique pleni redeunt, meliorem, quàm vel ille de auro fuit, Torquem liliis, non jam Carduo, ſed Tiliæ frondibus, cum eodem lemmate, intertextis, præferre poſſunt.

Denique, ne quid de triplici illo divinarum charitum choro ad Lindam Marianam deſideretur, ipſa quoque divina charitas illic mortalibus, Deiparæ ope, affatim offertur & affertur. Pauci ſunt è tot millium eò concurrentium frequentiâ, qui non præcipites in vitia aliquando à ſupremo Numine prolapſi,

tum

tum illa, tum alia omnia crimina deteſtati, eidem ſe Numini Deiparæ auxilio precibusque reduniant; &, qui per fædas ſeculi hujus ſentinas volutabantur, ad cælos erecti, divino charitatis igne exæſtuent. Quoniam verò charitas DEI, quin ſe in hominum quoque aliorum commoda uſusque effundat, nulla eſt (*Hoc enim mandatum habemus à* DEO, *ut qui diligit* DEUM *diligat & fratrem ſuum*, (*a*) idcirco ii quoque, qui ſacrum illum charitatis ignem, ad Tiliam Marianam conceperunt, ad aliorum quoque ſalutem promovendam è veſtigio accenduntur. Hinc alii variis corporum morbis excruciatos, ad Lindam Marianam, tanquam ad omnis medicinæ officinam, invitare: alii gravioribus etjam animi vulneribus affectos, ad ejusdem Deiparæ alexipharmaca pellicere; alii eorum, qui vel morbis, vel aliis impediuntur cauſis, neque iter poſſunt ingredi, vices ſubire, anathemata deportare, & quidquid ad utramque proximi ſanitatem facit, ſtrenuè præſtare.

Jam verò aliarum virtutum, quæ ex dictis, vel tanquam radicibus in flores arboresvé pullulant; vel tanquam fundamentis in ſpiritualium ædium moles alſurgunt, quanta, quàm locuples, & quàm opulenta apud Lindam Marianam ſeges eſt! Illic, ut S. Ambroſium (*b*) ad cauſam noſtram philoſophantem audiamus, *Virgo Vitem redolet, fragrat Oleam, Roſam renidet: ut in Vite Religio, in Olea pax, in Roſa pudor ſacratæ Virginitatis inoleſcat*: Illic, inquam, ut ſuo loco exempla teſtabuntur, & humilitatis violas, & caſtitatis lilia, & Roſas eximiæ inter adverſa patientiæ atque fortitudinis,



(a) *1. Joan. 4. 21.* (b) *lib. 1. de Virgin.*

dinis, cæterarumque fructus virtutum, de benigna Numinis manu per Deiparam, largè in omnes mortalium uſus ſeſe extendente, carpere liceat: ut jam fabula de Horto Jovis, propè deſinat apud Lindam Marianam eſſe fabula. Plato enim Philoſophus, qui humanæ civilisque ſapientiæ effata, ad inſtar Poëtarum; fabellis involvere ſæpè ſolitus erat, ad ſacras literas, (a) pro more alludens, *Hortum* (ut S. Ambroſ. lib. de bono mortis (b) ſcribit) *ſibi compoſuit, quem Iovis Hortum alibi, alibi Hortum Mentis appellavit; Iovem enim & DEUM & Mentem toties dixit. In hunc introiſſe animam, quam Peniam nuncupat, ut ſe abundantiâ & divitiis Horti repleret; in quo repletus potu, jaceret Porus, qui nectar effunderet. Hæc igitur ex libro Canticorum compoſuit; eò quòd anima* DEO *adhærens, in Hortum Mentis ingreſſa ſit; in quo eſſet abundantia diverſarum virtutum, floresq; ſermonum. Quis autem ignorat, quod ex Paradiſo illo, quem legimus in Geneſi habentem lignum vitæ, & lignum ſcientiæ boni & mali, & ligna cætera, abundantiam Virtutum putaverit transferendam, & in Hortum Mentis eſſe plantandam? Quem, in Canticis Canticorum Salomon, Hortum Animæ ſignificavit; vel ipſam animam. Sic enim ſcriptum eſt; Hortus clauſus, ſoror mea ſponſa, hortus clauſus; Fons ſignatus: Transmiſſiones tuæ Paradiſus.* Tametſi verò in iſto Lindæ Marianæ Horto, omnium virtutum flores, fructusvè poſſint carpi, uberius tamen præ cæteris Myrrha & Aloë videntur provenire; quæ Pænitentiæ (tum quà virtus, tum quà ſacramentum eſt) ſymbola ſunt: ut hoc etjam loco adjici poſſit, quod Salomon citato Canticorum loco adjecit: *Emiſſio-*

(a) *Præſertim Gen. 2. 8. & Cant. 4. 12.* (b) *cap. 5.*

*miſſiones Tuæ paradiſus, malorum punicorum, cum pomorum fructibus; Cypri cum Nardo; Nardus & Crocus; Fiſtula & Cinnamomum; cum univerſis lignis Libani; Myrrha & Aloe, cum omnibus primis unguentis. Per Cyprum, Nardum, Crocum*, Philo Carpathius, apud Cornelium Theologicas virtutes, fidem, ſpem & charitatem; per *Fiſtulam & Cinnamomum cum univerſis lignis Libani*, reliquarum omnium virtutum acervum intelligit: ut jam, ad Deiparam Lindenſem, uti liceat illis tum Eccleſiæ Græcæ in Menæis 15. Martii precibus: *Tu ſacroſancto germine Tuo germina impietatis areſaciens, adverſarii quoque malitiam, in me quotidie germinantem, ad nihilum redige* (*a*) tum Ruperti, ad eundem Canticorum locum, verbis: *Quidquid gratiarum, quidquid virtutum, quidquid operationum cæleſtium Mundus accepit, Emiſſiones Tuæ ſunt: ut, ubi erant prius Spinæ, & Vepres, & Carduus, Lappa & Tribulus, Vrtica & Paliurus, univerſitas nequitiarum; ibi ſit Cyprus cum Nardo, Nardus & Crocus, Fiſtula & Cinnamomum, Myrrha & Aloe univerſitas gratiarum.* Veruntamen in iſta ſive lignorum Libani, ſive potius gratiarum univerſitate, ſingulariter pænitentiæ & mortificationis Myrrha atque Aloe memorantur; quia ſingulariter, ut jam diximus, apud B. V. Lindenſem proveniunt. *Myrrha*, ut ad citatum Cant. locum, inquit Cornelius, *eſt compunctio ſuaveolens* DEO, *& lacryma cordis compuncti. Vnde Myrrha hoc extat Ænigma & Hieroglyphicum:*

*De lacrymis, & pro lacrymis, mea capit origo:*



(a) μαράνασα τὰ φυλὰ τῆς ἀθείας, τῷ σῷ ἁγίῳ φυτῷ, τὴν ἀναβλαστάνουσαν ἐν ἐμοὶ ἑκάστοτε τοῦ ἐχθροῦ κακίαν ἀπομείωσον.

*Ex oculis fluxi, ſed nunc ex arbore naſcor,*
*Lætus honor frondis, triſtis ſed imago doloris.*

Et propius ad rem noſtram, Oliverius Bonartius (a) Dei *Mater*, inquit, *& ejus memoria peccatoribus amaritudinem & contritionis gratiam impetrat: &, ut Myrrha, à corruptione peccati, in poſterum ſervat; & ſuavi odore animos ſuorum reficit, devotione ipſos deliniens.*

Notum abunde eſt, quot, & quanti Lindam indies accedant. Et quis eorum, niſi compuncto & contrito, de peccatis ſuis corde accedit? ſolenne eſt plerisque generalem, ut vocant, Exomologeſin pertexere, & totius vitæ, ab ipſa usque pueritia, redordiri telam; ut, ſi quid fortè, vel per oblivionem excidit, vel per verecundiam pudoremvé, plus quàm ſub ruſticum, animis inolevit; vel denique non ſatis juſtis ex æquo caſtigatum abiit ſuppliciis, velut faſciculus myrrhæ colligatur & colligetur; atque ad magnæ Dei Matris Aram, Deo per ſacrum Tribunal præſentatum, non ſine compuncti animi lacrymis, & amariſſimo Myrrhæ vino, adoleatur ſimul & aboleatur. Quid, quod inveniantur, qui ſacrilegas alibi faciunt exomologeſes, rati (tanta eſt hominum in rebus tantis oſcitantia aut potius barbaries!) haud magnæ ſibi noxæ fore, ſi quæ alibi celaverint in ſacro Tubunali flagitia, Lindæ demum ex animo fateantur atque deteſtentur? Et fuit, qui hoc ipſo anno, de vita migrans, cum ipſe Lindam accedere ſuaque ibi flagitia à puero usque conſcientiæ inolita expiare non poſſet, uxori jam moriens flagitia illa retexuerit; atque

(a) *Eccli. 24. 20.*

atque ut ſuo nomine apud Lindam ſacerdoti ( quis eam in homine Catholico ruditatem expectaret, tametſi pietas & cordis lacrymæ inexpectatæ apud Deum non fuerint?)percenſeret,oravit:ut nemo miretur, quòd in Paraquatia è Neophytis inventus ſit, cui morienti cùm ſacerdos magis, quàm confitendi animus deeſſet, intortum funiculis nodum uxori tradiderit, venturo ſcilicet tradendum ſacerdoti, ut ille tot ſe noxis irretitum abſolveret quot funiculum modis intortum accepiſſet quemadmodum in Meſſe Paraquarienſi à P. Adamo Schirmberk traditum accepimus. Quid, quòd invenias nonnullos, qui pro conſuetudine & uſu perditiſſimè recepto, etjam Lindæ ſacrilegas facturi confeſſiones,ubi ſenſim loco ſacro appropinquare cæperint, ſenſim ad ſe reduci, ſeque ad ritè confitendum illuminari, pellicique ſentiunt? ut poſtmodum, cùm ad divinam purgandarum conſcientiarum adierint Cathedram, non poſſint, cùm alia omnia ſua facinora, tum hoc ipſum divinæ illuſtrationis beneficium, non planè fateri? Quid, ad extremum, quod non pauci, qui, quanquam non ſuâ ſponte, ſuâ tamen ſive ignaviâ, ſive errore, & denſis conſcientiæ tenebris acti, quæ nuſquam in ſe perſpexerunt peccata, dum Lindam verſus progrediuntur, novâ quadam luce animis objecta, & perſpicere eadem incipiunt; & ritè confiteri ac deteſtari amplius nō negligunt? Sunt in Arabia, quod in Bœoticis memorat Pauſanias, Arbuſculæ, ad quas cubilia figunt viperæ; quia & liquore, & umbrâ balſami mirificè capiuntur: nullam verò mortiferam inferunt plagam, quia præſtantiſſimi liquoris vi, & odore, acerbi-

tas veneni miteſcit. Quicunque peccatis, hoc eſt, Tartarei illius ſerpentis veneno ſaucii, ad Tiliam Marianam ſe recipiunt, viperis illis ſimiles ſunt, quia non minus, mali exempli atque converſationis afflatu, quàm viperæ dentibus & linguâ, peſtiferæ tabis imprimunt. Quoties tamen & umbrâ Tiliæ Marianæ ſe reficiunt, & divinæ, quæ per Deiparam diffunditur, gratiæ balſamo perunguntur, cùm ſibi tum aliis innoxii ſunt. Illuſtris illa Chriſti ſponſa Gertrudis, reſte Bloſio in Monili (a) vidit aliquando, DEO ita revelante, fœdas beſtiolas, ad Deiparæ pallium confugere; quas illa non modò libens admittebat, verùm & manu mulcebat, & ſuâ chlamyde protegebat. Lubet ipſum Bloſium audire narrantem *S. Gertrudi*, inquit ille, *cœleſtia contuenti*, DEI *Mater ac cœli Regina præſens affulſit, pallâ mirabili corpus omne contegente. Quo ipſo tempore diverſa animalia ſunt objecta Gertrudi, & beſtiæ diſsimiles ad Deiparam accurrentes, ac ſe pallæ illius oblongæ ſinibus occultantes. Quas univerſas* DEI *Mater humaniſsimè acceptas, laxitate veſtis obvelabat, ſingulas leniter manu tractabat, & blandè permulcebat, ut Heri catulos ſolent, qui domi naſcuntur. Gertrudi admiranti, & quid illud eſſet, neſcienti, declaratum eſt, mutas illas pecudes, variique generis animantes, perditorum hominum, & multipliciter in* DEI *legem peccantium, imaginem quandam exhibere: qui tamen Virginis amantes ad eam adverſis rebus confugiunt. Illam autem adverſus animalia rationis expertia caritatem, miſericordiæ ſymbolum eſſe, quâ clementiæ Mater libidinoſis, flagitioſis, facinoroſis ſe invocan-*

(a) *Cap. 1.*

*invocantibus opitulatur, & favet.* Sicubi id, certe apud Lindam Marianam, ſæpe cerneret, quisquis perfuſos divinâ luce illuc afferret oculos. Interim nos, ſolenne illud Eccleſiæ ad Deiparam uſurpare fas eſt. *Sub Tuum præſidium confugimus, ſancta* DEI *Genitrix, noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus; ſed à periculis cunctis libera nos ſemper Virgo glorioſa & benedicta*: neque enim quidquam eorum, quæ in Atlantis Mariani Idea (a) de *Miſericordia Imaginum Deiparæ* memorantur, deſiderari apud Lindam videtur. Redundat illa *in Epiſcopos & Pontifices; in Canonicos, Religioſos & Eremitas; in Imperatores, Principes & Nobiles; in Architectos, Ruſticos & Paſtores; in Ethnicos, Iudæos, & Hæreticos; in Fœminas Principes, Virgines, & Vxores afflictas; in Infantes, Tribulatos, Captivos, Energumenos, Deſperatos, Blaſphemos, Ignorantes peccata, Pœnitentes, Peccatores; in Eligentes ſtatum vitæ; in Milites fame afflictos, prælian-tes, obſeſſos in urbe, in mari, in ſpeluncis: in Podagricos, cæcos, claudos, mutos, ſurdos, Paralyticos; in animas purgatorii; in tempeſtate, ruinis montium, domorum; in incendio, naufragio eluvione; in aquæ penuria; pro veloci & felici reditu, rebus amiſſis, pluvia.*

LIBER

(a) pag. 55.

# LIBER II.

## *De Lindæ Marianæ Excidio, & rebus ad Annum Domini, circiter M.DC.XVII. geſtis.*

## CAPUT I.

*Sacellum & Linda Mariana, ante ſui Excidium mirâ Angelorum Proceſſione illuſtrata.*

QUo pacto Linda Mariana ſit nata, quo item adoleverit & floruerit; quàm ſalutari fuerit mortalibus ſubſidio; quanto denique ſtudio ab omnibus longè lateq́ue culta atque ornata; quoad per interjectam antiquitatis caliginem licuit, hactenus ſpectavimus: jam, quo pacto denata, & per Sectariorum furorem exciſa fuerit, deinceps ſpectabimus. Nimirum, ut in vaſtis fluviorum, ne dicam Oceani, eluvionibus, non modò flores & germina, & luxuriantes per arva ſegetes, verùm & arbores ipſæ, & ampliſſimæ firmiſſimæq́ue ſedes, & integra quoque oppida atque urbes ſubruuntur; ita per fædam & inauditam hæreſeon in Pruſſia eluvionem inter alias plurimas, DEI, DEIPARÆ cælitumq́ue Ædes, Linda quoque Mariana, unà cùm ſacello everſa atque exciſa fuit. Prius, quàm ad ſpectandum ita triſte ſacerrimiq́ue excidium loci accedamus, lubet, imò & juvat, oculos à ſtante adhuc & vigente ſacello, non ita repentè avertere, & auguſtam Lindæ Marianæ faciem, vel obi-

obiter, nonnihil intueri. Quidni enim auguſta videatur loci Ædisque ipſius facies, quàm Angeli, vel alii cæleſtes ſpiritus, auguſti utique tanti Regis Palatini, præſentiâ ſuâ, quin & feſtivâ, quam egêre pompâ, auguſtiorem reddidêre. Quo tempore id acciderit, incertum eſt; certum tamen ſtante adhuc & vigente Lindâ atque ſacello eveniſſe. Quo verò modo evenerit, Ciaritius hunc in modum percenſet (a) *Fecerat cædem hominis, in tumultuaria pugna Eques Prutenus, & fugæ præſidium ad tuendam ſalutem arripuerat, Timor impendentis ſupplicii, varia eum loca adire, & latibula quærere, compellebat. Evenit fortè, ut noctem quandam, in ſilva, quæ Ædem hanc in coronæ modum ferè circumcingit, traducere conſtitueret, ſed ſomnum & conſcientia facinoris, & ſolitudo ipſa ab oculis arcebat. Pervigilans igitur, cernit è ſacelli area progredientem turbam, haud modicam, candidiſſimo velatam amictu, faculas manibus præferentem; locumq; ſacrum decentiſſimo ordine circumeundo luſtrantem: & ſuaviſſimum quoddam melos perſonantem audit. Iſtud cùm ternâ vice factum fuiſſet; idem ſacer cœtus, eò ſe, unde exierat, rurſum retulit, & confeſtim diſparens, mirantis oculos deſtituit. Ille divino viſu attonitus, in aliumqúe virum mutatus, ſcelus digné expiavit. Creditum eſt, Angelos humanâ ſpecie fuiſſe, qui locum hunc venerati, laudes* Deo *concinuerint; & homicidâ, ad meliorem vitæ frugem reducto læti diſceſſerint.* Si fortè ſpectaculum hoc, paulò antè quàm Linda exſcinderetur Mariana, evenit, vix profectò aliud portendit, quàm quod olim ſub excidium Urbis Jeroſolymæ, haud diſſimile cælitum, ut plerique exiſtimant, agmen portende-

(a) *pag. 86.*

tenderat; quodque carmine illo, *Migremus hinc*, indicatum fuit. Si verò florente etjamnum ac vigente Lindâ Marianâ accidit, nihil mirum videri debet, cantu & choris cælitum honoratam fuiſſe apud ſuam Lindam DEI Genitricem; quæ omnibus Angelorum cælitumque choris, ingentem ubique laudum & præconiorum cauſam affert; niſi fortè quiſpiam minùs jam credat, quod ſemper univerſa credidit Eccleſia, etjam Græca; quæ quidem in Menæis 22. Januarii (*a*) non ſine gaudio & exultatione profitetur, *Semper & ubique inculpatiſſimam Numinis Matrem, ingentem cantandi materiam, Apoſtolis, Martyribus, Prophetis, & omnibus demum* Cælitibus *eſſe datam.* Unde, & 2. Januarii ad omnium Cælitum choros in laudem Deiparæ effuſos, hunc ſe in modum eadem adjungit Eccleſia. *Te propriè Deiparam confitemur, per Te, ô Virgo caſta ſervati: Teque magnificamus incorporearum mentium choris adiuncti.* (*b*)

## CAPUT II.

*Linda Mariana excidium ab hæreſi, & Theutonici Ordinis quibuſdam militibus fœdiſſimè in hæreſin prolapſis.*

THeutonicus Marianorum militum Ordo, quoad diſciplinæ religioſæ, quibus ſe incluſerat, cancellos non perfregit, Orbem Chriſtianum, ſuarum famâ virtutum implevit; Pruſſiam verò inſuper quin & Livo-

(a) *πανάμωμε μητρόθεε, τὸ μεγὰ περιήσκημα τῶν ἀποςόλων, μαρτύρων, ϗ προφητῶν, ϗ ὁσίων πάντων.*
(b) *κυρίως θεοτόκον σε ὁμολογοῦμεν, οἱ διὰ σοῦ σεσωσμένοι παρθένε ἁγνή. σὺν ἀσωμάτοις χορείαις σε μεγαλύνομεν.*

Livoniam univerſam, tot tantisque urbibus, & urbium, oppidorum, pagorumque Templis, usque ad elegantiam ac prope ad miraculum ubique adornavit.

Neque enim vulgarem omnino fuiſſe Ordinis illius diſciplinam, quæ & tanta per Pruſſiam fidei Chriſtianæ potuit fundamenta; & tot ac tanta fortiſſimorum, militum dicam an potius Martyrum, crudeliſſimè à barbaris, per ignem ad Idola uſtulatorum, initio etiam in Pruſſia produxit exempla. At ubi in eadem Pruſſia laxatis diſciplinæ ejuſdem frænis, in avaritiam, libidines, Tyrannidem, aliaque vitia diffluere Ordinis illius homines ſenſim cæpêre, tandem & in hæreſeos barathrum (quò, tanquam in ſentinam quandam, omnium denique vitiorum ſordes plerumque exonerantur) præceps abiit. Tametſi enim & Gedani, & Torunii, & Elbingæ, quin & Brunsbergæ, non minimi ejus peſtis fontes aut ſcaturigines aperire ſe initio cæpiſſent; nuſquam tamen, quàm Regiomonto (quod poſt amiſſum tredecennali bello Mariæburgum, Theutonicorum Magiſtrorum ſedes ac provinciæ caput erat) uberior mali vena profluxit. Simul enim ac poſtremus Ordinis in Pruſſia Magiſter, Albertus Marchio Brandenburgicus, Principum Imperii ſuffragiis in Germania lectus, & Anno Domini M.DXII. ad X. Cal. Decemb. à Theutonicis in Pruſſia receptus ac ſalutatus: inflatus magnis quorundam pollicitationibus ac ſpebus, Regni Poloniæ, Regisque Sigiſmundi I. avunculi ſui jugum excutere, & civilia arma Anno M.DC.XIX. promovere cæpit. Prius tamen, quàm arma illa ſumeret, in Germaniam ad Be-

ad Berolinenſia, uti poſtmodum ad Norimbergenſia Comitia ſe recepit; ut ſcilicet fidem, quam Principes Imperii obſtrinxerant, &, quas promiſerant, ſuppetias exigeret. Cùm eo in itinere eſſet, in illam Germaniæ, totiusque Europæ Furiam, Lutherum, alicubi impegit: à quo peſtilens illud venenum, quo magna pars Germaniæ infecta jam erat, ita toto hauſit pectore; ut primùm ſuis in Pruſſia fraterculis, iis videlicet, qui per libidinem aliaque vitia dudum ſubnervati erant, poſtmodum verò Provinciæ univerſæ, per eoſdem venenum illud propinârit. Crediſſes è Circæo poculo bibiſſe omnes; ita ſubitò, & Fratres Theutonici, & reliqui propè omnes in Ducatu poſiti, formas, quas habuerant, exuunt, ut deteriores (quia ad Lutheri modulum atque Ideam, quam in libro ad Fratres Theutonici Ordinis ſcripto effinxerat, ex amuſſim factas) plerique induerint. Vidiſſes novi illius Vlyſſis milites atque ſocios, in monſtra verſos, ut Poëta canit: (*a*)

*Setigerosque ſues, atque in præſepibus urſos*
*Sævire, ac formas magnorum ululare luporum:*
*Quos hominum ex facie, Dea ſæva potentibus herbis*
*Induerat Circe in vultus ac terga ferarum.*

Ergo locum etjam hîc invenit tum illa Philoſophi ſententia, *Vinum* ſcilicet, *quò generoſius eſt, ſi corrumpi cæperit, in peſſimum usq; acetum degenerare*; tum etjam veriſſima ac certiſſima S. Auguſtini experientia; qui aſſerebat, nullos ſe meliores expertum, quàm qui in Monaſteriis profecerunt; neque ullos è diverſo pejores, quàm qui in Monaſteriis ceciderunt. Sed

præſtat

(a) *Virgil. 6. Æneid.*

præſtat ipſum S. Auguſtinum, ad ipſius conſcientiæ quaſi Aram graviſſimè diſſerentem audire. *Simpliciter autem fateor caritati veſtræ* ( ſic enim ille epiſtolâ 137, ad Clerum & populum Hipponenſem datâ ſcribit) *coram Domino* DEO *noſtro, qui teſtis eſt ſuper animam meam; ex quo* DEO *ſervire cœpi, quomodo difficilè ſum expertus meliores, quàm qui in Monaſteriis profecerunt; ita non ſum expertus pejores, quàm qui in Monaſteriis ceciderunt; ita ut hinc arbitrer in Apocalypſi ſcriptum,* JUSTUS JUSTIOR FIAT, ET SORDIDUS SORDESCAT ADHUC. Experientia id patuit in Pruſſia univerſa, ſub initium hæreſeos Lutheranæ; quæ quidem homines ſeculo huic obſtrictos fecit, hæreticos; at verò eos qui ex Eccleſiaſtico Ordine ad eam delapſi ſunt, Dæmonibus reddidit deteriores. Vulgo enim ſub id tempus, ut Joannes Leo lib. 7. pag. 716. ex Simone Grunau, teſte aurito, refert, dicebatur, *Seculares eſſe boves Lutheranos; ſed ſacerdotes, & profugos Monachos omnibus Dæmonibus eſſe deteriores.* Unde non pauci cum Auguſtino cap. 29. ſoliloq. ingemiſcendo ajebant. *Vidimus multos Domine, & audivimus à Patribus noſtris ( quod ubique ſine magno tremore non recolo, ſine multo timore non confiteor ) aſcendiſſe primitus quoſdam uſque ad cœlos, & inter ſidera nidum ſuum collocaſſe; poſtmodum autem cecidiſſe uſque ad abyſſos, & animas eorum in malis obſtupuiſſe: vidimus ſtellas de cœlo cecidiſſe, & eos, qui inter filios* DEI *ambulabant, in medio lapidum ignitorum, quaſi lutum ad nihilum defluxiſſe* Sicut igitur Theutonici milites, quà armis, quà etjam præclaris vitæ Chriſtianæ exemplis, Pruſſiam initio ad Chriſtum adduxerant; ita poſtmodum ſuo quoque exem-

plo, magnam Pruſſiæ partem, à Chriſto ad Lutheri & affines Luthero hæreſiarchas averterunt. Vel ab uno alterové exemplo diſcas, quantum in propaganda Chriſti religione illi virtute ſua perfecerint. Inter Prutenos, Sudavi, ſive Sudini, & in cultu idolorum præ omnibus pertinaces, & in uſu exercitatio, neque bellorum ſtrenui, ad Ordinis Theutonici imperia, & Chriſti jugum, omnium poſtremi ſunt adducti. Plurimùm eam ad rem valuit Ludouici à Libbenzell, ſtrenui inter Theutonicos militis, tum doctrina, quâ cæteris præſtabat; tum pietas & religio, quæ in ipſorum quoque paganorum oculos facilè incurrit. Sub Annum Domini M. CCLXXX. uti ex Nicolao Jeroſchinio memorat Hennebergerus (*a*) cùm quadrageſimo Provinciæ in Pruſſia Magiſtro, Mangoldo à Sternberg, Sudinos aggreſſus, & fortiſſimè dimicando captus, Scomando Sudinorum Duci traditus eſt; cui ob virtutem raræ doctrinæ conjunctam, etjam venerationi fuit; ut non modò captivum menſæ adhiberet ſuæ; verum etjam, cùm ille Nobilem quendam militem, non minus potu, quàm profusâ bile temulentum, atque inde tum in ſe Ordinemq; ſuum, tum fortaſſe etjam in Chriſtianos omnes contumeliis impotentius debacchantem, ſuper menſam obtruncaſſet, Scomandus hominem contra ſuorum vim defenderit, & ad ſuos liberum abire ſiverit. Non longò pòſt intervallo, ſive Ludouici monitis atque exemplis, ſive etjam conſcientiæ vi, exagitatus Scomandus, qui nuſquam animo requiem inveniſſet, cum omnibus ſuis Chriſto, & Chriſtianis ſe adjunxit. Verùm

(a) *pag.* 44.

rùm Ludouicus proximo cum Sudinis prælio, fortiſſime dimicans, à barbaris circumventus, ac prope obrutus, intra nives ſepultus hæſit: repertus tamen, cùm vitæ indicia quædam ſupereſſent, equo transverſim pendulus impoſitus, ad acceleratum equi curſum, qui intra præcordia jam ſubſederat, atque concreverat, ſanguinem expuit; ſibiq́ue redditus alteri Sudinorum Duci Cattigendo traditur: tantumq́ue iterum doctrinâ, vel potius virtute ac religione ſuâ ubique inter barbaros promovit, ut plurimos Sudinorum ad Chriſtum adjunxerit; & ipſe inſuper, unà cum omnibus ad Chriſtum converſis, liber iterum abire permiſſus ſit. Eo in itinere cùm eſſet, Fratri Conrado à Tirenberg Provinciæ præfecto, ad reliquos Sudinorum expugnandos cum exercitu tendenti, Ludouicus cum M.DC. quà viris, quà mulieribus Chriſto adjunctis, præter omnem ſpem atque expectationem occurrit; & omnes, ejuſdem præfecti Provinciæ juſſu, in Sambiam usque deductos, eo loco, qui nunc quoque Sudinorum vicus appellatur, collocavit. Samii ſive Sambienſes eo tempore Chriſtiani jam erant, ſed ut eſſent, non tam Arma, quam virtus & religio Theutonicorum quoque valuerunt. Balga fortiſſimum quondam propugnaculum, à Widevuto primo Rege Prutenorum, uti Hennebergerus ex Simone Grunau (a) refert, ſub Annum Chriſti DXXIII. extructum, primisq́ue toti Pruſſiæ legibus ibidem latis nobilitatum, à Theutonicis ſub Annum M.CCXXXIX occupatum, atque illuſtri totius Ordinis illius cænobio inſtructum ornatumq́ue fuit. Interea



(a) *pag.* 24 *&* 13.

terea non multò pòſt, Legati à Sambienſibus miſſi, Balgam veniunt, & à Theutonicis ſupra omnem ſpem ſuam, perhumaniter accepti, pleraque tum loci, tum ipſius Ordinis arcana ſpectare permiſſi ſunt. Iſti igitur ad ſuos reverſi, inter cætera retulerunt, Milites Theutonicos, qui ita in prælio leonum, aut fulminum more dimicarent, nihil aliud, quàm quod ipſi quoque eſſent, homines eſſe; carne & oſſibus, perinde ut ipſi, conſtare; neque melioribus, quàm ipſi, armis uti: nihilominus, quod ipſi non facerent, frequentius non interdiu duntaxat, verùm & noctu Templum adire, & Deum ſuum ſupplices invocare. Ad hæc, quod ipſis quoque factu nefas eſſet (quia viderant lactucis aliisque oleribus victitantes, aut, pro Eccleſiæ Catholicæ ordinisque more, jejuniis intentos) gramine; perinde ac equos, veſci ac vivere poſſe; proinde vel in ſilvis victu ſuo vitæque neceſſaria abundè reperire: nuſquam ſe quocirca iis aut pugnando, aut etjam reſiſtendo pares eſſe poſſe. Quis ambigat Sambienſes, hiſce abſtinentiæ cæterarumque virtutum exemplis magis, quàm deinceps Odoacri Boëmiæ Regis aliorumque Germaniæ Principum armis fuiſſe ad Chriſtum aggregatos?

Ob iſta, plurimaque alia, quæ in illo Theutonicorum Ordine per Pruſſiam exempla virtutum luxerunt, poteramus, uti S. Auguſtinus loco citato fecit, adeoque optabamus ſubjungere. *Quapropter etiam contriſtamur de aliquibus purgamentis; conſolamur tamen de pluribus ornamentis. Nolite ergo propter Amurcam, quâ oculi veſtri offenduntur, Torcularia deteſtari, unde Apotheca dominica fructu olei luminoſioris implentur:* poteramus,

ramus, inquam, adeoque optabamus iſtud ſubjungere, niſi aut Amurca Torcularibus, aut purgamenta ornamentis capioſiora fuiſſent. Pauci admodum è tanto militum Theutonicorum in Pruſſia numero, cùm hæreſis Lutheri graſſari cæpit, Catholicam fidem & Ordinis ſui, ſive Torcularia ſive ornamenta retinuere; qui etjam propè omnes, illam hæreſeon in Pruſſia eluvionem vitando, in Germaniam ſeſe receperunt. Unius inter paucos, quia ſingularis, non eſt omnino prætereunda conſtantia. *Ericus* is erat *Dux Brunſuicenſis*, & inter ordinis ſui magiſtratus, Præfectus, ſive, ut tum vocabant, Commendator Memelenſis; qui (quemadmodum etjam Hennebergerus (*a*) celare non potuit) neque ipſe ullo modo ab Ordine & Eccleſia Catholica avelli, neque, quòd ſui avellerentur, probare unquam potuit. Quocirca Albertus Marchio Brandeburgicus, ubi ex Magiſtro ſupremo Ordinis, in Ducem Pruſſiæ, Anno Domini M.DXXV. inauguratus eſt, Ericum per Georgium Polentium (quem Lutherus in epiſtola ad ipſum data, *à Polentis*, vocat) primum è Sambienſibus, imo & ex omnibus Catholicæ Eccleſiæ, ſuperiore ævo, Epiſcopis ad Lutheri & hæreticorum caſtra Apoſtatam, Memelenſi arce, Pruſſiaque univerſa ſategit exturbare. Seceſſerat tum in Germaniam Ericus; ergo Apoſtata ille, à polentis, omnem ut arce Memelenſi potiretur, movere lapidem; &, qui Fiſchhauſum, aliaque Sambienſis Epiſcopæ loca, novo Duci, nullo ſanè precio (niſi forte ſcortum, quod Simon Grunaus exactus temporis illius hiſtoricus, cum viginti manſis ipſi è Duce memorat datum, apud hominem ad

libidinem omnem projectum, precii loco cenſendum ſit) jam tradiderat; ut illam quoque Arcem traderet, conniti; cumque irriti redderentur conatus omnes, ipſum Ericum è Germania jam reducem, Regiomonti ut comprehenderet, moliri. Senſit inſidias Ericus, & Regiomonto per ſuburbia declinato, primùm quidem in Sarkau, inde verò, conſcenſo lembo, per ſinum Curonenſem in ſuam arcem evaſit. Quò, cùm paulò pòſt ipſe Albertus Marchio cum exercitu acceſſiſſet, & Ericus reſiſtendo amplius non eſſet, loricam, cæteraque arma, uti Theutonicis aliiſque cataphractis mos erat, indutus, ſtricto gladio Marchioni ſolus occurrit. Verùm Marchioni à vi abſtinente, Ericus iis conditionibus Arcem denique tradidit, ut ſibi conſcientiâ, religione, Ordiniſque diſciplinâ ſalvis, Pruſſia hæreſibus, ita pollutâ excedere, & annuo è Pruſſia tributo, uti frui in Germania, quoad viveret, liceret.

## CAPUT III.

Lindæ Marianæ excidium, ſicut & alia Catholicæ in Pruſſia Eccleſiæ detrimenta, ac Theutonicorum plerorumque apoſtaſia, ſingularibus denuntiata portentis.

FUturas in Eccleſiâ Chriſti hæreſes, & ſecuturas per hæreſeon monſtra calamitates, diu ante verbis, vel prodigiis ac portentis quibuſdam denuntiari, quin & prædici, neque novum neque inſolens eſſe, pluribus alio opere (a) declaratum, & tum aliis tum S. Antonii Magni, Arrianorumque exemplis, quemadmodum ex Athanaſio, & aliis plurimis, inter Acta Con-

(a) *Diſquiſit. Vbiquiſt. num.*

Concilii Nicæni I. (*a*) relata ſunt, demonſtratum à nobis eſt. Quod Pruſſiam attinet, produximus eodem opere, quæ Hennebergerus Prædicans, de Tritico in Allium commutato memorat. *Anno circiter* M. D VIII (inquit ille (*b*) in Tabulæ Prutenæ Expoſitione) *ſub Friderico Miſniæ Principe, & Generali Ordinis Theutonici in Pruſſia Magiſtro, Triticum purum à Præfecto Brandeburgenſi Ioanne de Gablentz, terræ mandatum fuit: quod, cùm in herbam erupiſſet, animadverſum eſt, maiorem partem in Allium degeneraſſe. Cuius quidem Allii capita aliquot, Magiſtro Ordinis in Miſniam usq; miſſa ſunt.* Miracula ceteroqui Prædicantes vix admittunt; hoc tamen loco non poſſunt non admittere; ita, ut hic noſter, prius quàm rei ſeriem enarraſſet, expreſſis verbis titulum præfixerit, MIRACULUM. Ne porrò nobis divinandi ſolis relictis videretur locus, jam olim alii, quin & Hennebergerus ipſe, Oedipum egêre; degeneres ab orthodoxa Religione & virtute plurimorum animos, eâ metamorphoſi exiſtimantes ſignari. *Mali id ominis loco*, inquit noſter Oedipus, *ſub Alberto Brandeburgico, qui Friderico ſucceſſit, à quibuſdam habitum. Ego autem puto, Evangelium, quod hîc ſub Alberto prædicari captum eſt, eſſe figuratum.* Acu rem tetigiſſe, cùm ſibi quoque viſus eſſet homo, ſuum illud ſuorumque Evrngelium, quod ita *Allium*, ut vetere formulâ utamur, *oboluiſſet*, mirè deprædicare exorſus eſt. Cui eodem loco abundè cùm ſit repoſitum, ſupereſt ut hîc Divum Ambroſium, Cælio Rhodigino teſte (*c*) diſſerentem audiat. *Mirum eſt*, iuquit ille, *Allio delecta-*



(a) *pag. 497. edit. Veneta.* (b) *pag. 35.* (c) *lib. 16. cap. 13.*

*lectari homines, quod fugit Leopardus: nam ſicubi parietes litu infeceris, exilit protinus, nec reſiſtit. Cuius venenata fera odorem non patitur, in menſam admittunt plerique, ac internis infundere viſceribus non deſinunt.* Credideris Leopardo, & id genus belluis efferatiores eſſe, qui Evangelico iſto Allio delectantur pariter, & gloriantur; affines fortaſſe Thraciæ incolis illis, quos in Geographia ſua Maginus ait: *Colore eſſe fulvo ex cæruleo, & in vertice crinitos; impavidos, ferociſſimos, ac ſæviſſimos; ſtrenuos item potatores & vinoſos, atque Allio inprimis delectari.* Quid ſi verò aliquis cum Poëta iſtis Allii Evangelici adoratoribus occinat? (*a*)

*O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis*
*Numina?*

Quæ verò illa nata in hortis Numina? Allium nempe, & inter olera alia Cepæ. *Allium enim* (ut Plinius (*b*) ait) *Cepasq; inter* Deos, *iniurando habet Ægyptus.* Addit idem ipſe Plinius alio loco (*c*) vim quæ ad ferrum attrahendum in Magnete eſt, Allio eludi, aut etjam elidi. *Quid ferri duritiâ*, inquit ille, *pugnacius? tamen domitrix illa rerum materia trahitur à Magnete. Veruntamen, ſi Allio allinatur, aut fimo tegatur Magnes, vires ſuas ad ferrum trahendum, tam diu amittit, donec vino abluatur.* Et miremur ſi Magnetiſmus ille, qui in Chriſto, ut D. Hieronymus obſervavit, & Chriſti Evangelio, illa vis homines ad ſe trahendi, cùm alibi tum in Pruſſia, vim ſuam raró aut admodum ægrè hactenus exeruit; Allium, quod cum novo iſto Evangelio, natum eſt, obſtaculo fuit. Allium, quin & fimum

(a) *Iuvenal. Satyr.* 15. (b) *lib.* 10. 6. (c) *lib.* 36. *c.* 6.

mum non leviter oboluit, quod Evangelio isti Patres etjam inter sordes, vel potius fimetum, ab se sub scamno repertum esse fatentur, quin & gloriantur.

Ejusdem ferè generis atque indolis portentum, sub eadem propemodum tempora, in succino, quod natura proprium voluit esse Prussiæ, contigisse testis est ejusdem sectæ per quam studiosus Medicus, Severinus Gœbelius; qui geminum de succino librum Anno M.DLXXXII. Regiomonti edidit. In succino, ut idem ait (a) *tria sunt potißimum colorum genera, Candidum, Pellucidum, & obscurum, seu confusum, ac mixtum ex variis coloribus*. Interim, quod idem paulò pòst, de novo succini genere, quod cum novo istorum Evangelio, apparere simul in Prussia cæpit, in hæc verba memorata (b) *Notatu dignum est, quod Nigri succini genus quoddam, tunc temporis, ad litora appellebatur, cùm nova quadam hæresis in Prußia exorta esset. Erat id liquidum, viscidum, & lentum, instar picis nitens, ac teterrimi odoris: quod, cùm à nobis antea non fuisset conspectum, meritò videbatur nobis, ceu digito ostendere, hæresin talem exorituram, quæ suo fœtore multos esset turbatura*. Et sanè, si *Candido succino* quod omnium nobilissimum est, quanquam pellucidum non sit, ut idem author disertè antea dixerat, *Fragrantißimus inest odor, quo restituit syncope, vertigine, vel epilepsiâ correptos; & quo candidius est, eò in medicina est præstantius*: quis ambigere jam ausit, atro illo & fœtidissimo, insolentissimoque succino, nihil aliud nisi atros juxta ac fœdos fœtidissimosque novi istius Evangelii mores, ut idem quoque medicus augurabatur, fuisse notatos: qui proinde insu-

L 5 per

(a) *pag.* 3. (b) *pag.* 5.

per addit, *Veriſimile eſſe, tale bitumen fuiſſe in lacu Aſphaltite, ubi Sodoma & Gomorrha conflagrarunt, in æternam divinæ ultionis memoriam.*

Verùm hæc, & id genus portenta, aliis communia etjam ſunt; ſunt etjam, quæ ſingulariter ipſum Theutonicorum in Pruſſia Ordinem concernebant. Præterquam enim, quod S. Brigitta (quemadmodum pervulgatâ jam olim famâ accepimus) in Pruſſiam aliquando trajecit, & milites illos, ni reſipiſcerent, vindicem DEI manum experturos coram admonuerit; erat inſuper in eodem Theutonicorum Ordine *Frater VVolfgangus à Scaratein, multis* DEIPARÆ *viſitationibus clarus* (uti Simon Grunau Ordinis Prædicatorum *Prutenæ primus in Hiſtoria*, in ſuis Manuſcriptis Tractatu viceſimo tertio (*a*) affirmat. Is verò, eodem teſte, *cùm rebus ſui Ordinis admodum in Pruſſia efflореſcentibus, ad futura oculos mentemq; acrius intenderet, Deiparâ docente intellexit, futurum tandem, ut Ordo in hæreſin lapſus, tum ſe Patronam Ordinis blaſphematurus, tum eas regiones ac terras, quas iam poſſideret, amiſſurus eſſet.* Et quid aliud, eveniſſe nunc ſive in Livonia, ſive etjam in Pruſſia videmus? Prius ante quàm id eveniſſet, memorabile juxta ac formidandum eſt, quod centum ante annis, ita ſcilicet eventurum eſſe, mirâ, & raro auditâ viſione exhibitum erat. Rem, uti à Thoma Tretero in Manuſcriptis Epiſcoporum Varmienſium Vitis, in Joanne III. & à Simone Grunau Tractatu decimoquarto (*b*) ac decimoquinto (*c*) denique & ab Hennebergero, ad Arcis Chriſtburgenſis deſcriptionem, inter varia utriusque fortunæ pro

(a) *cap. 5.* (b) *cap. 15.* (c) *cap. 3.*

pro more exempla, eſt tradita. paucis aperiam. Bellum (*a*) quod Anno M CCCCX. incentore Magiſtro Ordinis Vlrico à Jungingen, Theutonici infeliciſſimè ad Tannebergam geſſerunt, omnibus modis diſſuadebat F. Albertus Schwartzenburg Chriſtburgenſis, ut vocant, Commendator; ſed frangere pertinaciam ſuorum, vel potius furorem non potuit. Conſcenſurus igitur, etjam contra animi ſui ſententiam, equum, atque iturus, dum à quodam ſuorum interrogatur, cui tandem commiſſæ ſibi arcis curam abiturus, relinqueret? ſive præ ferocia, ſive inſuper etjam præ acerbitate animi, *Tibi*, inquit, *& omnibus, quotquot ſunt, Diabolus*. Quo dicto, is qui interrogarat, ſubitò expiravit, & exinde arx dæmonum poteſtati, ad hanc usque diem, ceſſit. Tametſi enim hodieque aliquid veterum ſuperſit parietinarum, nemo tamen vel reficere, vel incolere locum poteſt: cùm à prima maledicti execrationisque illius horâ, quotquot incolere auſi ſunt, vel in puteis, vel in ædium pinnaculis ſuſpenſi, vel aliis ſpectrorum intemperiis exagitati, excedere demum arce coacti ſunt. Interim (*b*) faber quidam è ſacra quatuor annorum peregrinatione Chriſtburgum reverſus; ut, quæ de ſpectris, dæmonumque audierat dominio, oculis coram experiretur, arci ſuccedit; & ecce obvium in ponte habet F. Ottonem Langervicium, qui fabri paulò antè filium è ſacro fonte levarat, & in eodem prælio occubuerat! Præmiſsâ, tanquam ad compatrem, ſalute, quàm vana ſunt, quæ homines, cùm aliis de rebus, tum de te, ac cæde tua ſpar-

(a) *In Vitis Epiſc. Varmienſ. M.S. in Ioanne III.* (b) *in Creutzburg.*

ſpargunt? inquit faber? at ille, Tu verò, inquit, haud vana ſpectaturus es; tantummodo me comitare; & oculis non linguâ utere. Cave cuiquam aſſenſum hîc præſtiteris, aut etjam verbum loquaris. Ita edoctum ad primum intra arcem conclave deducit: ubi omnia militari licentiâ, & colloquiis, imò vociferationibus, juramentis, & execrationibus perſonabant. Inde ad ſecundum conclave ductus, videt omnia ludis, & mixtis inter ludos, contentionibus, tranſigi. Tertium ingreſſis, objiciuntur alibi menſæ, convivia, commeſſationes, & ebrietates: alibi ducti ad numeros muſicos chori, plauſus, & laxata ad omnes carnis illecebras fræna: alibi tædæ libidinis, raptus, & ſtupra virginum, adulteria conjugatarum. Omnes in partes invitabatur blandè faber: ſed ille memor dati ſibi conſilii tacitus ductorem ſequebatur; quoad ad ipſum Arcis Templum eſt ventum. Ibi verò (cùm alibi vigiles eſſent omnes, & magnâ rem alacritate hactenus viſi eſſent agere) qui choro aderant, omnes univerſim dormitabant; qui verò ad Aram ſtabat myſtes, ad ſpeciem magis, quàm ad pietatem Chriſtianam faciebat. Et jam digreſſis inde, reditus inſtabat, cùm undique ejulatus, & miſerabilis comploratio perſonuit, ut faber ſibi in inferno magis, quàm ſuper terram verſari videretur. Ad pontem arcis erat ventum, cùm ductor ad fabrum, vera inquit, ſunt omnia, quæ intuitus es; jam enim unicuique pro meritis ſua eſt merces. Tu verò, ad Magiſtrum Ordinis perge, eundemque de omnibus, quæ vidiſti edoce; atque inſuper mone, ut à propoſito ſibi concilio abſiſtat; judicium enim DEI venit ſuper nos; ſervi proinde alio-

rum

rum erimus. Quæ tu cùm Magiſtro dixeris, occidet te; ſed tu te mortem eſſe meritum, vel illo loco ac tempore (& revocavit illi certa ab ipſo patrata facinora) memineris. Cæterum evenerunt omnia uti prænuntiata ſunt. Faber enim cùm Mariæburgi Ordinis Magiſtrum commonuiſſet, de ponte in profluentem ab eo præcipitatus eſt: ſuccedente verò tempore, Theutonici cupiditatum in primis ſuarum ſervi, à fide & Ordine deſciverunt, & unà omnibus Pruſſiæ provinciis exciderunt.

## CAPUT IV.

Inter plurimas Ædes ſacras, etjam ſacellum cum Tilia Mariana, ab Hæreticis exciſum.

PRæclarè S. Auguſtinus (a) omnes Eccleſiæ Catholicæ hoſtes, &, inter eos, principe loco, Hæreticos, Torrentibus comparat. Vt enim Torrens quivis, quanquam non ſine multo ſtrepitu, ac tumultu gravi, undas præcipitat; eæ tamen undæ, ut interdum magnæ ſint, diuturnæ eſſe non poſſunt: adeo ut Torrens, prius quàm videri, obſervari, timerivé interdum cæperit, nullo propè relicto ſui veſtigio videatur deſiiſſe eſſe. Ad eum prorſus modum ſectæ, ſectarumque architecti, præter expectationem, magno ſe cum ſtrepitu verborum, populorumque tumultu interdum oſtentant; cùm ecce ſubitò, & ipſi, & *ipſorum memoria*, juxta divinum carmen, *cum ſonitu perit!* Exundarunt non rarò hujuſcemodi ſectarum Torrentes in Pruſſiam; nam & circa Annum Domini M. CCCXXIII. ſub decimoquarto Ordinis Magiſtro Werne-

(a) *in Pſalm.* 109.

Wernero ab Vrſelen, quidam Enthuſiaſtæ, viridi S. Andreæ Cruce palliis candidis intertextâ ſpectabiles, pecuniam ſub ſpecie recuperandæ Palæſtinæ emungebant: & ſub Conrado Wallenrodt viceſimoprimo Magiſtro, Albigenſes Duce Leandro Medicinæ Doctore, è Gallia ſub Annum Domini M.CCCXC. & Wiclefi ſectatores ſub viceſimoquinto Ordinis Magiſtro Michaële Kuchmeiſtero, circa Annum M. CCCCXV. in Pruſſiam usque perreptarunt. Verùm hi, & quidam iis affines, nihil niſi Torrentes exigui, & tempore admodum exiguo perſtrepentes fuiſſe viſi ſunt. At verò eluvies illa, quæ per Albertum, Albertique combennones Ordinis Theutonici milites, à Luthero, & Germanicis Lutheranæ ſectæ lacunis, latiùs ſe, quam ullæ ſuperiores, in Pruſſiam diffudit, Torrens quidem, ſed paulò vaſtior atque recentior erat: quippe, qui ſupra privatarum ædium hominumque ruinas, plurimorum Templorum, Monaſteriorum, aut (ſi pertingere eousque non potuit) Theſaurorum Eccleſiæ immanem fecit vaſtitatem. Nam, ut alia nunc prætereamus loca, intra unius duntaxat Regiomonti pomæria, quot, quæſo, Templa, aut penitus ſubruta? aut in profanos uſus verſa? aut prorſum ſunt expilata? Audiamus vel ex adverſis caſtris, jam non omnino vanum teſtem Miſlentam. In ea, quam hîc (a) diſcuſſit Proceſſione, præter Templa, quæ etjamnum Regiomonti ſuperſunt, recenſet Templum *Divæ Mariæ Magdalenæ*. At ubi id nunc, aut quid eo tandem factum? *Iam*, ut ille (b) inquit, *eſſe deſiit*. Poteſtné vel locus, vel aliquod ejus Tem-

(a) *lib.* 1. *cap.* 11. (b) *pag. c.* 3.

Templi veſtigium adhuc monſtrari? *Situm*, inquit idem, *fuerat propè Arcem, ubi locorum Moneta nunc cuditur.* Enimverò præclarè! & fortaſſe etjam ad Evangelii normam! Nam & Chriſtus Dominus (*a*) *in Templo ementes, & vendentes, & Nummularios invenit*: at hîc inſuper etjam æs & Monetam cudentes invenit. Nunquid & hinc, uti ibi quoque fecerat, aliquando. *Ejiciet*? an fortè necdum confecit *quaſi flagellum de funiculis*? Aut, non poſſunt fortaſſe Nummularii dici, qui Nummos cudunt? aut nondum ſatis videtur converſa *in domum negotiationis* (in qua Moneta jam cuditur) *Domus Orationis*? Et quid eſt aliud Mammonæ ſervire? Nimirum hujuscemodi Pænitentiæ fructus, & lacrymas, & gemitus, & ſingultus pænitentis Magdalenæ, reperiri ſecundum Prædicantum Evangelium oportuit, *in Templo Divæ* (ut etjam Mislenta appellat) *Mariæ Magdalenæ*. Quid verò reperiemus itidem Regiomonti, in Templo S. Crucis? *Templum S. Crucis*, inquit loco citato Mislenta, *etiam profanatum, ac conflandis æneis Tormentis, machinisq; bellicis deſtinatum, propè portam Crucis nuncupatam.* Ne hoc quidem extra, aut contra Evangelii prædicantrici amuſſim. Crux Chriſti fuit ſemper, & eſt, Dæmonum omnium & Inferni Tormentum. Quid jam Tormento hujusmodi opus iis, qui ſecundùm vatem (*b*) gloriando dicunt, *Percuſſimus fœdus cum Morte, & cum Inferno fecimus pactum*? Alia igitur Tormenta non in Dæmonum, vel Inferni, ſed in hominum Eccleſiæque Chriſti ruinam, oportuit Prædicantes ordiri. Sed nunquid oportebit eoſdem quoque id, quod Dominus per eundem

(a) *Matt.* 21. *Ioan.* 2. (b) *Iſaia* 28.15.

eundem Vatem v. 18. decrevit, audire? *Delebitur fœdus veſtrum cum morte, & pactum veſtrum cum Inferno, non ſtabit?* Denique, ut Templum D Barbaræ, Templum item Bernardinorum, de quo Hennebergerus (*a*) aut Templum Virginum Benedictinarum, de quo idem (*b*) &, ſi quæ inſuper Regiomonti fuerunt, miſſa hoc loco faciamus, quid in ipſo Spiritus S. Templo reperiemus? *Hodie*, inquit idem Mislenta, *in uſus ſartorum, & lanionum, in veteri oppido, prope portam Lobnicenſem viſitur ceſſiſſe.* Egregiè verò, & ad ejuſdem Evangelii libellam examuſſim! Non decebat *Domum* DEI ſecundum Evangelium Chriſti (*c*) fieri *ſpeluncam latronum*: at ſecundùm Prædicantum Evangelium, decet ipſius ſanctiſſimi Spiritus, veri utique DEI Domum, fieri & eſſe adhuc domum lanionum ac ſartorum? Et quis iſtam barbariem, ne dicam feritatem, æquis animis oculisvé aſpexerit? Ne ipſi quidem, quotquot ad humanitatem inter eos utcunque exculti ſunt, poſſunt aſpicere. Triginta circiter ante annos, cùm in eodem Spiritus S. Templo, iterum Macella & lanionum officinæ reficerentur vel etjam augerentur, ſepultorumque illic quondam Chriſtianorum oſſa plauſtris aliò deportarentur, Bernardus Derſchovius, qui in vetere civitate id temporis Pſeudopaſtorem agebat, nō potuit, tantâ, ne quid gravius dicam, hominum inſolentiâ, non commoveri quàm maxime; & ipſis Regiomontanis, qui ſepultis quoque defunctorum oſſibus, ſuam inviderent quietem, dira quæque aut ipſas diras non denuntiare.

Atque hæc Regiomonti cum patrata ſint, quid aliis

(a) *pag.* 283. (b) 237. (c) *Matt.* 21. 13.

aliis per civitates, oppida, villasque ſtructis olim Templis; quid ſacris locis, quid Lindæ denique Marianæ, ejuſdemque ſacello factum putemus? ſi Joanni Leoni Canonico Gutſtadienſi libro 7. hiſtoriæ M.S. (a) &, quem ille authorem teſtemque oculatum ſequitur, Simoni Grunau, fido illius ævi, ut diximus, hiſtorico, fides habenda; ſicubi Templa everſa non fuerunt, fuerunt tamen ſtrenuè expilata: niſi fortè cives ipſi expilantium conatibus alicubi obſtitiſſent. *Nam ajebant civitates*, quemadmodum authores citati ſcribunt, *Chriſtum neminem ad ſidem coegiſſe, uti ipſi facerent; ſcire ſe utique, non tam fidei causâ, rem inſtitutam, quàm ſupellectilis Eccleſiaſticæ emungendæ.* Porrò duobus, ad ſacrilegas iſtiusmodi rapinas, vulturiis potiſſimum uſi feruntur apoſtatæ Cruc igeri; videlicet Erhardo Queis Pomeſanienſi Pſeudoepiſcopo, de quo plurima Grunau memorat; & Fratre quodam, dicto *Domino ab Heideck*; qui è Canonico Bambergenſi Ordinem Theutonicorum fertur ingreſſus fuiſſe. Uterque, quò facilius raperet, vel nervos belli contra Polonos gerendi, Magiſtro Ordinis neceſſarios, prætexebat; vel minimè neceſſariam, imò ſuperfluam, ac planè hypocriticam in Eccleſiis divinoque cultu pompam, abolendam clamitabat: re autem verâ Mammonæ uterque quàm impiiſſimè litabat. Poſteaquam verò immane illud avaritiæ barathrum, raptæ è civitatum, vicorumque Templis opes (quæ nihil aliud, quàm *aurum*, ut eſt in proverbiis, *Tholoſanum* ſunt) explere nequaquam poſſent, Monaſteriis expilandis, Monachisque diſſipandis manus admotæ ſunt.



(a) *pag.* 705.

tæ ſunt. Ut enim loco citato hiſtoria proſequitur, *videns Frater Heideck, fruſtra ſe cum oppidis expoſtulare, aggreſſus eſt Gerdavienſe, Velavienſe, Tilſenſe, Heiligenbeilenſe, & Patollenſe Monaſteria; &, quæ in eis reperit, ciſtis incluſit; ordinavitq́ in ſingulis Monaſteriis tres ſeniores Monachos, qui manerent; omnibus aliis, pro mundi repletione, expulſis; &, ut tres illi Monachi ſibi unum calicem ſtanneum fieri curarent, ad explendam ſuam hypocriſim: nec quempiam alium reciperent, in ordinem; neve multùm divagarentur; ſpem ſuam projicerent in* DEUM *qui eos eliberaturus eſſet.* Hunc igitur miſerandum in modum, cùm, in diriſſima illa hæreſeon eluvione, Monaſteria, Templa, aliæque ſacræ Ædes, vel funditus exſcinderentur, vel expilarentur; quid mirum ſi Linda Mariana ejusque ſacellum eidem fuerit obnoxium tempeſtati? Jam alias (a) abunde ſpectavimus, Prædicantibus, & Prædicantum filiis, illam DEIPARÆ Ædem, omni temporum momento, ſalem ſudemq́ue in oculis fuiſſe: illi proinde, homines ſcilicet religioſiſſimi, parcerent, qui cæteris, infra illius famam venerationemq́ue longè poſitis, minimè potuerunt parcere? Ego verò minimè dubitem, quemadmodum Catholicorum & omnium piorum oculi, ad Lindenſem Deiparæ Ædem, præ omnibus ſacris in Pruſſia locis, maximè ſemper fuerunt intenti; ita illos ſectariorum, *obliqua tuentes hircos*, nuſquam prius, quàm ad eandem reſpexiſſe; &, ſimul, atque reſpexerant, duces oculos ponè manus ſacrilegas fuiſſe ſecutas. Admotæ igitur facinoroſiſſimorum hominum manus, & ſubrutâ aut excisâ Tiliâ Marianâ, propè ipſa ſacelli fundamenta ſedibus ſuis emota ſunt.

(a) *lib. 1. cap. 3.*

CAPUT

## CAPUT V.

Sacelli Deiparæ Lindenſis excidium, non ſine ingenti piorum ſtupore ac dolore perpetratum, adjunctarum ſacello ædium ruinam ſecum traxit.

QUæ locum, apud Lindam Marianam, ſacrum reddebant, quæque loco, venerationem, & ſingularem adaugebant cultum, erant, uti alias diximus, Tilia, & admiranda miraculisque inclyta, ſuper Tiliam Deiparæ Imago; atque circumdatum utrique, è ſolido muro, ſacellum. Hæc univerſa, per illam hæreſeon hæreticorumque eluvionem, ſimul vaſtata atque exciſa ſunt. Et quidem ſacelli ipſius ruinam, rudera, quæ integrum propè ſeculum in oculos ſpectantium incurrebant, palàm loquebantur. Tametſi enim toto illo tempore, quod ab Anno circiter M. DXX. aut M. DXXII. ad præſentis ſeculi Annum XVIII. excurrit, gratiæ ſanitatum aliaque DEI ac Deiparæ beneficia, nunquam ab eo loco fuerunt diſcreta; locus tamen intuentibus nihil aliud, niſi aggeſtum ruderum acervum, & quoddam quaſi, ſacratiſſimæ illius Ædis, cadaver videbatur exhibere. Sunt hodie quoque plurimi, totâ Pruſſiâ ſuperſtites, qui ſuis ea rudera oculis olim ſpectabant, & egregium illud, è ruderibus aggeſtum, hæreticæ ſacrilegæque barbariei trophæum, cùm olim ſemper execrabantur, tum modò quoque deteſtarentur; niſi gaudium, quod ex reſtaurato nuper ſacello, creſcenteque indies ſacelli ornatu juxta ac religione, capiunt ſingulare, præteriti memoriam doloris penitus abſtergeret. Cæterùm, quem putemus ſenſum fuiſſe, illo ipſo tempore, quo excidium

ſtare miraculis. Eat nunc impudens Prædicans Mislenta, & Heroa, neſcio quem, à facinoribus, Principe Chriſtiano nimirum dignis, *ſuper æthera tollat*; quod cùm *totale excidium* (ut ille (*a*) multis garrit) *Religionis Romano-Catholicæ ex Ducatu promovendo*, inter cætera *Indulgentias Papales, Proceſſiones, Peregrinationes ad loca ſanctis ac Divis conſecranea, proſcripſerit, inhibuerit, & prorſus exterminaverit*. Addat inſuper, *commemoratione dignum occurrere, de deſtructione Fani ad Lindam exſtructi; ad quod peregrinationes, indulgentiarum impetrandarum gratiâ, ab undequaque hominibus illuc confluentibus, inſtitui ſolebant*. Hæc, inquam, atque id genus alia, de Prædicanticæ furfuribus eloquentiæ, in Heroa illum ſpargat Mislenta; ego tamen neque nunc adducor, neq; deinceps, ut loco ſuo conſtabit, adduci potero, ut in hominis tranſeam ſententiam; hoc eſt, ut cum Prædicante, tantam heroi illi notam inuram. Quis enim, aut tam humilis illum animi, aut tam projectæ mentis, aut denique tam degeneris à ſereniſſima ſtirpe ſua, tum ſpiritus, cum ſanguinis, fuiſſe ſibi perſuadeat; ut non putarit vel equilia, vel haras & ſtabula alia, ſuppetere aliunde ſibi poſſe, niſi è dirutis ſubverſiſque Templis ad ea erigenda, lateres, & ſaxa, aliamque materiem ſacrilegè uſurparet? Id enim fecit is, quicunque tandem ſacelli & Lindæ Marianæ infeliciſſimus ſacerrimusque excidii author fuit. Audi Ciaritium (*b*) *Tiliam, ſacratiſſimæ Virginis Matris incolatu venerando prænobilem, nefariorum furor ſtirpitus excidit. Lateres Oratorii, ut & trabes, ac ligna domorum illi adjunctarum, quæ eandem demolitionis cla-*



(a) *p.d.4.* (b) *pag.A.6.*

*dem ſubierant, Raſtemburgum avecta, & in ſubſtructionem ſtabulorum Arcis converſa; reliqua avectione indigna, permiſſa ignibus, in favillam redacta ſunt.* Hæccine ille Heros? hæc, inquam, ille, non modò deſignare opere, verùm & animo potuit concipere? ille non profanarum duntaxat ædium, ſacello adjunctarum (ſi quid tamen profanum apud Lindam fuiſſe dici poteſt) Trabes & ligna, verùm & ipſius Oratorii lateres, ad privatos uſus, & quid privatos dico? ad profaniſſimos, quin & ſordidiſſimos, non hominum ſed belluarum uſus, ad ſtabula, ad mandras, vel etjam haras verterit? ille pro inſitâ animo rabie, quæ aſportare, & in profaniſſimos etjam uſus, è Lindæ materie convertere non potuit, ignibus permiſerit, & in favillas redegerit? Non hæc indoles Heroem; non animum, non ſanguinem ingenuum, ne dicam generoſum aut nobilem, refert. Opus ipſum, probat authorem non alium fuiſſe, quàm Caſtorem; illius utique, qui Regiomonti Templum Spiritus Sancti in macellum vertit, Pollucis gemellum. Uterque ejuſdem Ledæ ſinu ſatus; uterque ovo prognatus eodem; proinde uterque non hominem, ſed Jovem refert parentem. Valuit enim hic illud Poëtæ:

*Caſtor gaudet equis, ovo prognatus eodem - Cæſtibus.*

Hic cæſtibus ad lanionum proludebat macella; ille equis, ad palatia militabat equiſonum: inde uterque non heroum, ſed aut lanionum, aut agaſonum, aut, ſi fortè id malint, Prædicantum ſanguis.

CAPUT

## CAPUT VI.

Cum ſacello, etjam Tilia Mariana exciſa, non tam religioni ipſius loci, quam Catholicæ in Pruſſia Eccleſiæ, imminentem portendere viſa calamitatem.

EXciſo dictum in modum ſacello, non alia ipſam Tiliam, quæ in medio ſacelli olim ſita, tectumque ſacelli ramis & frondibus, uti diximus, ſupergreſſa, perenni foliorum frondiumque vigore, & quadam quaſi umbræ majeſtate, tecti vicem ſacello præſtabat, excepit fortuna. Nam & Tiliæ ferales impiorum manus ita ſunt admotæ, ut vel ſtirpitus evulſa, vel ad ipſas radices fuerit præciſa. Monſtratur etjamnum in medio ſacelli locus, quo illa (ut conſtantiſſima eſt omnium fama) ſtetiſſe ac viguiſſe olim fertur: utrum verò eodem in loco, vel ipſæ radices fuerint relictæ, mortalium nemo monſtrarit. Quanquam autem ipſæ quoque Tiliæ illius radices exciſæ tum fuiſſent, Marianæ tamen Lindæ radices, quibus illa divinitus nitebatur, & nunc quoque nititur, nunquam aut exſcindi, aut evelli, aut etjam loco moveri potuerunt. Neque enim radices iſtæ, humo magis vel arenæ, quàm cælo infixæ, ſubductam oculis corporum, ſubducere oculis animorum Tiliam potuerunt. Itaque non haurit illa quidem amplius, neque in truncum, vel ramos derivat, hauſtum de terræ venis humorem; at haurit de cælo ſuccum, & largè, omnibus partitur mortalibus uberrimos gratiæ divinæ rivos: non viret illa quidem jam priſtinâ florum aut foliorum frondiumve majeſtate & gloriâ; at viret nihilominus ac viget, divinæ fructibus beneficentiæ & largi-

tatis: non tegit frondibus aut ramis eductos in altum è laterculo parietes, at protegit cæleſtis gratiæ umbrâ populos undique adductos: non præbet apibus dulcem ad mellificia rorem, at præbet hominibus, largum ad bene agendum, beateque vivendum, divinorum auxiliorum imbrem. Quæ profectò, ſi quis apud ſe reputaverit, Tiliam Marianam, ſymbolum quoddam aut hieroglyphicum immortalitatis reputare poterit. Sicut enim *Arbor quævis*, juxta S. Auguſtinum, de verbis Apoſtoli (a) *ſpeciem exprimit Reſurrectionis; quia cùm hiemis tempore, ſpolietur pomis, nudetur foliis; adveniente tamen æſtate, turget in gemmis, ornatur in floribus; veſtitur foliis, pomis gravatur*: ita Tilia Mariana; quæ etjam radicitus evulſa, nunquam aut fructibus, aut foliis & frondibus, longè, ut vidimus, divinioribus, ſpoliari potuit, Immortalitatis nobis eſſe poterit ſymbolum. Ne tamen aut furori, aut potius conatibus impiorum, nihil omnino videamur tribuiſſe, concedamus ac fateamur Tiliam Arborem, non modò ſuccisam ab iis, verùm & ſtirpitus revulſam fuiſſe; dummodo & illi, & cæteri omnes minimè diffiteantur, illud Tiliæ excidium, ejus (quod Catholicæ in Pruſſia Eccleſiæ ad tempus imminebat) excidii, ſeu potius calamitatis, umbram quandam fuiſſe; non ſecus, atque olim Eccleſiæ Africanæ calamitas, quæ per Vandalos, eorumque Regem Hunnericum, Arrianâ peſte infectum, brevi ventura erat, per ſubverſam Arborem divinitus fuit adumbrata. Nam, ut refert Victor Uticenſis hiſtor. Vandal. lib. 1. *Vidit venerabilis Paulus Epiſcopus, Arborem, usque ad cælos ramis floren-*

(a) *ſerm.* 34.

*florentibus extenſam; quæ etiam dilatatione ſuâ, omnem penè Africam opacabat. Et cùm omnes eius magnitudine & ſpecioſitate gauderent; ecce ſubitò venit Aſinus violentus; qui defricans cervicem ſuam, ſuper robur radicum eius, impulſu ſuo, cum ingenti ſonitu, illam mirabilem Arborem eliſit ad terram.* Quod ſi Hunnericus Rex, fortaſſe quia ob fœdiſſimam Arrianorum hæreſin, ab illa generoſa filiorum Dei ſtirpe degenerarat, per Aſinum fuit adumbratus; quidni is quoque, qui non minus degenere Lutheri ſpiritu actus, Tiliam Marianam, illam, inquam, *Arborem uſque ad cælos ramis extenſam, & dilatatione ſuâ omnem Pruſſiam opacantem,* ſubruit, poſſit, imò debeat Aſinus vocari? præſertim, cùm etjam Darius Rex, apud Iſai. 21. 7. cum ſuis Medis, exprimatur per Camelum; & Cyrus cum ſuis Perſis per Aſinum; vel certe per Semiaſinum ſive Mulum; uti in ſuo Enthuſiaſmo (teſte Euſebio (*a*) de Præparat.) Nabuchodonoſor Rex eum vidit, ac ſuis Chaldæis hunc in modum prædixit; *Veniet Perſa Semiaſinus, qui nobis iugum ſervitutis imponet.* Adhæc, ſi Plato, teſte Æliano (*b*) ob ingratitudinem, *Ariſtotelem* vocabat *Mulum*; eò quòd quemadmodum Mulus lacte materno ſaturatus, matrem calcibus petit; ita Ariſtoteles, optimis à Platone diſciplinis atque artibus quaſi ſuffartus, ſcholam contra Platonem aperuit Peripateticorum; in qua illius doctrinam atque placita oppugnavit: quidni iſte, quicunque tandem ſive è Theutonico, ſive quocunque tandem alio Ordine fuerit, Eccleſiæ Catholicæ lacte à teneris nutritus; adeoque ipſius Deiparæ, quæ totius Ordinis

M 5

(a) *lib. 9. cap. ult.* (b) *lib. 4.*

dinis Theutonicorum ſingularis patrona, & quaſi Mater fuit habita, beneficiis totâ tetro vitâ ſaturatus, tum in Eccleſiam Catholicam, quaſi calce arietavit; tum in ipſam Virginem Deiparam, mortalium ingratiſſimus, manum & arma, in Mariana ipſius Linda ſtrinxit, ſive Mulus, ſive Semiaſinus audiat? ſed hac ſuper re, luculentius poſtmodum erit agendum; nunc de Tilia Mariana, quod de Rege Chaldæorum (in figura divinitus apud Danielem (*a*) exhibita) dictum eſt, haud injuriâ uſurpemus; præſertim, ſi eam, quod jam vidimus, & in medio terræ, quodammodo ſitam, & novo ac perenni radicum germine, Immortalem non negemus. *Ecce Arbor, in medio terræ, & altitudo eius nimia! magna Arbor, & fortis; & proceritas eius, contingens cælum; aſpectus illius, usque ad terminos univerſæ terræ, folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius: & eſca univerſorum in ea, ſubter eam habitabant animalia & beſtiæ; & in ramis eius converſabantur volucres cæli, & ex ea veſcebatur omnis caro.* Si enim, quod Cardanus (*b*) & Pererius (*c*) memorant, Coccus Arbor Indica, plurimarum rerum humano generi neceſſarium ſupplet uſum (nam & colorem coccineum, aquam, navigia, funes, vela, malos, clavos ac remos; & inſuper butyrum, oleum, acetum, ſaccharum, ex ea confici poſſe conſtat) quidni ad plures longè uſus, Tilia Mariana, uti antea quoque vidimus, divinitus commedari mortalibus, & Arbori à Rege Chaldæo viſæ, comparari queat? Quod ſi porrò, divinâ providentiâ ſapientiſſimè ſanctiſſimeque ita permittente, *vigil & ſanctus*

(a) *Dan. 4. 7.* (b) *de Variet. lib. 7. cap. 33.* (c) *ab Cap. 6. Geneſ.*

*cius de cælo descendit,& clamavit fortiter; & sic ait, succidite Arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia eius:* quod quidem per illud Tiliæ & sacelli excidium abunde factum fuit; nihilo tamen minus, de eadem Tilia & sacello, ab eadem providentia, benignitate, clementiaque divinâ, id quod versu 12. sequitur, decretum sancitumque fuit, *veruntamen germen radicum eius in terra sinite.* Quod quidem, & toto illo excidii tempore verissimum fuit, & nunc pariter est: quia quoad Linda Mariana illas miraculorum divinorum, & sanitatum curationumque gratias, quas stante Tiliâ habuit, etjam succisâ postmodum Tiliâ, retinuit, & adhuc retinet; *germen radicum,* non modò in terra relictum, verùm & in cælo, ut diximus, fixum semper habuit, & adhuc habet. Vnde non injuriâ, tum de Imagine Deiparæ Lindensis, de qua cap seq. tum etjam de ipsa Tilia Mariana suo modo usurpari potest, quod de Diva Aspricollensi (*a*) scriptum Lipsius reliquit. *Sed evenit, & candidè fatendum est, ut dicta Imago illa, sive statua perierit; incertum quâ vi, aut casu; nisi quod suspicio prædones culpat, in iis lustris assiduos per hæc bella, non solùm crebros. Ea amissio incidit circa Annum* M.DLXXX. *ut aiunt, & conspici ibi Diva desiit, sed non coli. Veniebant enim nihilo segnius ad locum, loculumque vacuum: & opem ac solatium etiam inveniebant. Quis miretur, aut culpet? Persa, Regis sui sellam venerati sunt, quia Maiestas illa insedisset, & attactu velut sacrasset: cur non liceat piis, loca Numini electa, & consecrata? nec tamen Quercum illam (nemo censeat) ob ipsam; sed in ea statuam, & in statua Divam, in hac* DEUM *venerati sunt, & adora-*

(a) *cap.* 4.

Digitized by Google

*adorarunt. Nec in ſtatua ſanè propriè vis aut virtu; quod res hic docuit eâ amiſſâ, & mox mutatâ.*

## CAPUT VII.

Novorum in Pruſſia Iconoclaſtarum furor in ſacras Imagines; & quid ab iisdem B. V. Lindenſis Imago expetta.

NEmo unquam fuit, qui in DEI, DEIPARÆ, aliorumvé ſanctorum Imagines, manum calamumvé ſtrinxerit quin idem vel gentili barbarie fuerit efferatus; vel Judaicâ, Turcicâ, Magicavé impietate pollutus; vel aliorum ſordibus vitiorum inquinatiſſimus; ut vel hinc cenſere, atque æſtimare facilè cuivis liceat, de eorum Iconomachorum atque Iconoclaſtarum vitâ & moribus, qui uti aliorum ſanctorum Imaginibus, ita & B. V. Lindenſis admirabili Iconi, violentas juxta ac ſacrilegas manus intulêre. Primi in VII. Synodo Act. v. Iconomachorum nomen meriti ſunt Judæi; ſed Judæi erant; è quorum tribu tempore Juſtini junioris, Samaritani quidam Eccleſiam alicubi invaſerunt, & in Chriſti cælitumque Imagines ferociſſimè graſſati ſunt; uti ex Epiſtola Simeonis Eremitæ, in eadem Synodo, patet. Sub Annum Domini DC. Mahometes in Alcorano cap. 15. & 17. Imagines omnes ſuſtulit; ſed quid potuit à primo Turcicæ barbariei parente expectari aliud? Paulò antè ſub Zenone Imperatore fuit Xenaias, quem Nicephorus (a) & Cedrenus in Compendio, Iconomachorum Principem appellant; ſed *Xenaias*, ut Bellarminus Tomo 2. de Reliq. Sanct. (b) inquit, *fuit homo Perſa, & Barbarus; imò & ſervus fugitivus: &* licet

(a) *lib.* 16. *cap.* 17. (b) *lib.* 2. *cap.* 6.

*licet non eſſet baptizatus, ſimulans tamen ſe Chriſtianum, irrepſit ad Epiſcopatum.* Inter Chriſtianos Imperatores, primus Leo Iſaurus bellum Imaginibus intulit, unde & Iconomachi nomen vulgo eſt ſortitus: ſed Leo iſte, Cedreno, Zonara, & Paulo Diacono, teſtibus Judæorum in ea cauſa inſaniam, præ S. Gregorii Papæ, & S. Germani ſanctiſſimi Conſtantinopoleos Patriarchæ, præque duodecim ſapientum (quos cum Magiſtro Oecumenico eorundem præpoſito, inſtructiſſimaque Bibliothecâ, intra domum incluſos, combuſſit vivos) denique & præ totius Eccleſiæ Chriſtianæ doctrinâ, ſequi maluit. Leonem pari paſſu Conſtantinus filius ſecutus eſt, mali corui malum ovum: ſed is non modò Copronymus, verùm & Neſtorianus, & Magus fuit: &, ſicut luſtrales Baptiſmi aquas, dum tingeretur, ſtercore ſuo inquinavit; ita Eccleſiam Orientalem impiis Neſtorii & Iconoclaſtarum furoribus plurimùm turbavit. Non longo poſt intervallo, Leo Armenus, Michaël Balbus, & Theophilus Imperatores, eandem Iconomachorum inſanierunt inſaniam; ſed, ut priorum duorum vitia taceantur, Theophilus Judaicâ & Necromanticâ impietate fuit apud omnes infamis. Omnibus his, in eadem ſcilicet iniquitatis palæſtrâ, præluſit Julianus Imperator; qui Imaginem in Novo Teſtamento, ferè omnium primam (quam Chriſto Servatori Soſpitatorique ſuo, mulier hæmorrhoiſſa (a) à ſanguinis fluxu curata, Paneade (quæ poſtmodum Cæſaræa Philippi dicta fuit gratiſſimi animi ergo poſuerat) teſti-

(a) *Matth. 9. Marc. 5. Luc. 8.*

teſtibus Euſebio (*a*) & Sozomeno (*b*) demolitus, væcordiſſimâ impudentiâ, ſuam, ejus loco, effigiem ſubſtituit. Sed Julianus Imp. Apoſtata fuit; &, quemadmodum cætera Chriſtianæ fidei capita, ipſumque adeo Chriſtum Dominum, ita & Chriſti, ſanctorumque Imagines infamis parabata oppugnavit; dignus, qui primum in imagine illâ ſuâ, deinde verò etiam in ſemetipſo fulmen de cælo expertus, communi hominum ſepulturâ privaretur; quippe ut Nazianzenus orat. in S. Athanaſium memorat, cadaver à terra ſponte aperta fuit abſorptum. Tantâ veterum Iconoclaſtarum ſive impietate ſive inſaniâ, nihilo fuit recentiorum levior, non modò Andreæ Carolſtadii (qui, vel Luthero ipſo improbante, Iconomachiam primus Vitebergæ, Anno M DXXII. inſtituit) verùm & eorum, qui in iſta Iconomachorum arena primi deſudarunt. Primus in Pruſſia deploratiſſimæ ſectæ incentor, fuit Paulus Speratus, qui (ut Joannes Leo (*c*) cum Simone Grunau aſſerit, quod neque Mislenta (*d*) neque Hennebergerus (*e*) diffiteri poſſunt) à Luthero in Pruſſiam miſſus, Anno Domini M.DXXIV. pueros & plebem in ſacras Divorum Imagines, pro concione armavit. Ad iſtam deſperatiſſimi hominis actionem, plus quàm Verrinam, quotquot aut de populi fece, aut de puerorum ludo aderant, tertiâ poſt Dominicam, ut illi ajunt, *Invocavit*, ſive primam Quadrageſimæ, feriâ, Templum Cathedrale irrumpunt; Imagines atque ſtatuas invadunt, pleraque ſedibus deturbant ſuis: neque parietes duntaxat, verum & Aras

(a) *lib. 7. hiſt. c. 14.* (b) *lib. 5. c. 21.* (c) *lib. 7.* (d) *pag. d. 3.* (e) *pag. 213.*

& Aras ſpoliant; ipſasque adeo de Altaribus tabulas, in quibus Chriſti Domini & Divorum pictæ effigies erant, revellunt. Quid deinceps iis factum ſit Imaginibus Regiomonti, incertum eſt, quia nemo rem literis exactè, ut video, prodidit. Proclivè tamen eſt arbitrari, haud aliter, quam vel *Riſemburgi*, vel *Salfeldiæ*, in Pomeſanienſi Diœceſi; vel aliis in Ducatu locis, fuiſſe cultos. Qua de re, præſtat Simonem Grunau apud Joannem Leonem (*a*) ita ſcribentem referre. *Anno eodem* 1524. *in nundinis Riſenbergenſibus, in quibus omnis generis homines confluxerant, Lutherani ſuas vires, & quid poſſent in Imagines B. Virginis aliorumque ſanctorum, palàm oſtenderunt. Nam eis domum comportatis, propinabant Scyphos, &, ut reſponderent bibendo, inſtabant. Quod cùm non facerent, ſuper capita Imaginum liquorem fundebant, additis verbis probrorum plenis, quæ ne Ethnicus quidem excogitaſſet. Cùm verò ſolvendæ compotationis tempus adveniſſet, etiam ab Imaginibus eo nomine, pecuniæ repetitis vicibus petebantur. Earum ergo nomine, aliquis, qui ſolveret, ſolicitabatur, ita, ut ſi ſolviſſet pecunias, domum Imagines auferre poſſet. Reperiebantur homines agreſtes, qui ſolverent, & Imagines tollerent. Aliæ, pro quibus non ſolvebatur, virgis aut etiam gladiis cædebantur, ac cum improperio pungebantur, ac denique exurebantur. Cùm de his Epiſcopo relatum eſſet, laudavit, rectèq; factum dixit; neque ſecus ab ſe fuiſſe inſtructos.* Atque hunc in modum, plus quàm barbarâ in ſacras Imagines, Iconoclaſtarum noſtrorum inſania, aut potius furore, ſævitum eſt Riſemburgi; quæ civitas *Prabutæ* Polonis dicitur. Quid *Salfeldiæ*? quæ ejuſdem quoque Epiſco-

(a) *pag.* 715.

Epiſcopi Pomeſanienſis oppidum fuit? Audiendus eſt idem ipſe Grunau loco proximè citato. *Hoc ipſo anno, 1524 in autumna, Parochus Salfeldenſis, iuxta tenorem ſui Evangelii, Virginem ſibi deſponſavit. Et, ut longè lateq́ dimanaret fama, conatusq́ iſte Evangelicus aliis ſacerdotibus exemplo eſſet, grande convivium inſtruxit, maiore convivarum invitato numero. Habebatur ibidem Monaſterium Bernardinorum eleganter ædificatum; in eo ille nuptias ſuas peragere voluit. Et, ne quid moleſtiarum inde pateretur, à fratre Epiſcopi Riſenburgenſis, cuius fidei civitas concredita fuit, ut inde Monachi quaſi hypocritæ Antichriſti, expellerentur, obtinuit. Monachi verò ita expulſi, ruſticis operam ſuam locare cogebantur. Peragebatur itaque convivium in Monaſterio, coquebanturq́ optima quæq́ fercula, foco è ſiccis lignis, de Imaginibus & tabulis ſanctorum, pulpitorum & ſedilium extructo.* Quis vel fando uſquam talia audiit? vel extrema quæque metuendo, ſperare etjam in media barbaria potuit?

Cæterum, quandoquidem tanta alibi procella, furor Iconoclaſtarum in ſacras Divorum Imagines detonuit, quid putemus Lindæ, tum in cæteras, quæ aderant, tum verò potiſſimum in admirandam illam Deiparæ, ſuper Tiliam repertam Imaginem, à tam immani, & plus quàm barbara feritate patratum? Quantum illi ipſi, aut inſaniæ, aut rabiei hîc effuderunt, qui alibi vix tantillum continere cohibereque eandem potuerint? Quò enim illa Lindenſis Deiparæ effigies, omnibus, quæ in Pruſſia uſquam erant, & beneficiorum meritis & miraculorum gloria, & populorum religione, cultuque illuſtrior erat; tantò magis in eam ſacrilega illa Iconomachorum rabies arde-

ardebat. Poſteaquam igitur, & ſacellum, & ſacra Tilia exciſa ſunt, ad illam ipſam Imaginem Deiparæ, è Tilia jam ante proturbatam, verſæ ſunt impiiſſimorum manus. Quo mihi loco, multò juſtiùs quàm olim Romano Oratori Actione 2. (a) in Verrem licuerit de erepto, *Segeſtanæ* in Sicilia civitati, Dianæ ſimulachro contra noſtros Verres expoſtulare. *Fuerit enim ſanè*, ut ille ait, *illud ex ære ſimulachrum, tum ſummâ atque antiquiſſimâ præditum religione; tum ſingulari opere artificioquè perfectum*; at nonniſi Dianæ, fabuloſæ nimirum Deæ, ſimulachrum erat: Lindenſis verò Effigies, majore etjam atque longè antiquiore præditum religione, veræ & Chriſtianæ, ut Cornelium aliàs docentem audivimus, Dianæ, hoc eſt magnæ Dei Matris ſimulachrum, non humano, ſed potiùs divino opere artificioque perfectum erat. Fuerit illud, eâ apud Segeſtanos religione, ut Segeſtæ *nemo, neque liber, neq; ſervus; neque civis, neque peregrinus fuerit repertus, qui illud ſignum auderet attingere; barbarosquè idcirco Lylybæo advocatos operarios, qui, omnium ignari, ſuſtulerunt*: quis non obſtupeſcat, tantam in Pruſſia repertam fuiſſe hominum barbariem, ut ſcientes ac volentes (ſi tamen ſcire ac velle poſſunt dici, qui furore atque rabie hæreticâ agitantur) non modò manus admoverint, ſed inſuper plurimum furori ſuo indulſerint.

Redactâ enim dictum in modum, Deiparæ in ſuam poteſtatem Imagine, non magnâ facinoroſiſſimis mortalibus amentiſſimisque, deliberatione opus erat, quo tandem pacto eam peſſundarent, cùm nihil

N aliud

(a) *lib. 4.*

& ſacram Iconem, intra ſcrobem quam altiſſimè potuit, merſam atque ſepultam, terra, cæno, ſordibusque deſuper aggeſtis obruunt magis, quàm operiunt. Et jam victores, nihil niſi triumphum apud ſe agitabant. At ſacroſanctæ Deiparæ Icon, nullâ vi, aut ope humanâ, è cænoſa illa lama, & ſcrobe quantumvis profunda, ſordibusque latè aggeſtis, facilè evaſit; & ad priſtinum Tiliæ ſuæ locum, qui erat acervus è ruderibus ſacelli everſi aggeſtus, ſe recepit; multaq; circumfuſam luce, ac ſplendore, ſeſe iterum ſpectandam obtulit univerſis. Attoniti eo ſpectaculo pii juxta ac impii omnes potiſſimùm verò immaniſſimi illi Iconoclaſtæ: qui demùm ſtupore in iram rabiemque iterum verſo, ſacrilegas iterum manus expediunt, ſacram Iconem invadunt, & è ſede illa revulſam, incertum, quo tandem aut loco aut modo planè peſſundant. Creditum fuit quibusdam, vel flammis injectam fuiſſe, & in cineres verſam; vel in partes minutim diſſectam, aliquo loco abolitam. Neque tamen deſunt, qui ſingulari Dei providentiâ adhuc ſervatam alicubi cenſeant; ſuisque temporibus, cùm ſcilicet placitum fuerit Divinæ Majeſtati, revelandam, & tum ſolatio piorum, tum Eccleſiæ Catholicæ ornamento, tum denique novo iterum Pruſſiæ ſubſidio divinitus redhibendam ſperent. Tametſi enim locus ipſe, quo ſacra olim Imago viguit, illa omnia, quæ præſente olim Imagine præſtabat, etjamnũ præſtet; nullum tamen eſt dubiũ, quin, ut cætera omnia ex æquo adſint, gaudium tamen & ſolatium piorum, ex ipſo præſentis Imaginis conſpectu, longè futurum ſit cumulatius. Neque inſolens aut novum eſt, ſive ſacra

Divorum Lipſana, ſive res alias ſacras, etjam longo tempore occultas divinitus tandem revelari; ut nunc *SS. ſeptem dormientium*, vel ſanctorum Stephani, Gamalielis aliorumque exempla mittamus, ſacroſanctæ Crucis Dominicæ Inventio, quam ſancta Eccleſia ſingulari quotannis feſto proſequitur, eximiè docet. Neque de B. Virginis Imaginibus exempla deſunt. Statua, quam B. Virgo Toleti, in Ara maxima poſitam, poſtquam S. Ildephonſum de ſe concionantem veſte cæleſti donavit (ut in Idea Atlantis Mariani pag. 93. memoratur) *abſcedens eſt arctè complexa, irruentibus Mauris coli deſiit: nam Imago in puteo abſconſa latuit; dum, exactis Mauris, reducti Chriſtiani viderent inuſitatum ſplendorem puteo circumfuſum eo tempore, quo Laudes canebantur. Quæſitâ & repertâ Imagine ab Epiſcopo, compertum ſimul eſt eam eſſe horam, quâ olim è cælo in cathedrale Templum deſcenderat.* Affine quoque eſt, quod eodem loco, de Imagine B. V. *de Mercede* dicta aliiſque ſubditur. Qua de re cùm iterum paulò poſt ſit agendum, nos interim cum Eccleſia Græca, ad Deiparam converſi, illud Menæorum, 30. Mart. uſurpemus. *O intaminata ſemper Virgo, inimiciſſimi ſimul & execrandi nobis videntur, qui Tuæ, Filiiq; Tui formæ effigiem, detrectant adorare; propterea quod divinis majorum noſtrorum decretis non obediunt.* (a)

CAPUT

(a) ἔχθιστοι ὤφθησαν ἡμῖν ϗ ἐπάρατοι ὁμοῦ, τῆς σῆς ἀειπαρθένε οἱ προσκυνεῖν μὴ θέλοντες μορφῆς τὸ εἰκόνισμα ϗ τοῦ υἱοῦ σου. διότι οὐ πείθονται, τοῖς ἄνωθεν πατρικοῖς θείοις δόγμασιν.

# CAPUT VIII.

De Excidii Lindenſis, & tot tantorumque ſacrilegiorum authore, qui etjam hominem videtur exuiſſe, inquiritur.

SI, quod proximè vidimus, Hunnericus Vandalorum Rex, in Viſione divinitus facta, per Aſinum fuit exhibitus; ſi Darius Medorum Rex per Camelum, Cyrus Perſa per Mulum ſeu Semiaſinum, eò quòd Regnum & Eccleſiam DEI vexarent, aut expilarent; denique ſi C. Verres ille Prædo Siciliæ, Oratori Romano, ob Dianæ ſimulachrum apud Segeſtanos, aliaque idola alibi direpta, non voce duntaxat ac nomine, verùm & reipsâ *Verres*, ſeu potius *Everriculum Siciliæ*, fuit appellatus; quo is tandem nomine erit appellandus, cujus manu, vel operâ atque imperio, non jam Dianæ aut alicujus idoli ſimulachrum, ſed ipſa magnæ DEI Matris Imago attacta, direpta, ablata, & peſſundata? Nunquid aut Verres, aut Mulus, aut Aſinus erit habendus, quo duce & authore, Tilia Imaginis illius ſedes, exciſa; & ipſa denique Ædes tot populorum, ſeculorumque cultu religioſiſſima, eſt non violata duntaxat, verùm & funditus ſubruta? Hominem profectò non fuiſſe, illud evincit, quòd, in tot tantorumque facinorum, quæ hæreticus furor ſuggeſſit, feritate, ne tantillum quidem præ ſe tulerit humanitatis: ut, vel in illo, ſi quopiam alio, habeat locum, quod divinus vates (*a*) de Excidio vineæ, quæ Eccleſiam DEI ſignificat, cecinit gemebundus; *Exterminavit eam Aper de ſilva; & ſingularis ferus depaſtus eſt eam.* Symmachus pro *ſingulari fero*, legit



(a) *Pſalm.* 79. 14.

legit & vertit, *animalia ſolitudinis*. Verè enim ſacrilega illa ſceleratiſſimorum manus dici potuit, *animalia ſolitudinis*; quia non in urbibus modò, vel oppidis ac villis; verùm & in iſto, quo ſacellum Deiparæ Lindenſis vigebat, deſerto prorſum loco, nihil aliud niſi ſolitudinem & vaſtitatem reliquit; & non ſecus, atque Aper de ſilva, isque *ſingularis*, ſive, ut Heſychius, Auguſtinus, aliique apud Corderium legunt, *ſolivagus exterminavit atque depaſtus eſt omnia*. Nam, ut Theodorus ibidem ait, *valde deſtruit Vineam porcus, tametſi manſuetus ac communis fuerit: magis autem ſi ſilveſtris ſit, & ex iis, qui in montibus degunt. Quodſi verò inter ſilveſtres ſolivagus fuerit, adhuc gravius malum infert; non enim ſolum fructum attingit, ſed plerumque etiam ſtirpes, ac plantas ipſas, devaſtat & exterminat*. Et non exterminavit ſacrilegus iſte Lindæ Marianæ buſtuarius, ſtirpes quoque ac plantas ipſas; qui & ſacellum funditus, & Tiliam ſtirpitus ſubruit; & ipſam Deiparæ inſuper Effigiem omnino peſſundedit? Nunquid ideirco & *ſingularis ferus*, & *Aper de ſilva*, proinde & Verres atque Everriculum, pietatis, religionis, quin & omnis humanitatis erit habendus? verùm retinuerit aliquid humanitatis, &, vel ad ſpeciem, adhuc homo fuerit; quis tandem ille homo? unde genus? quod nomen? quæ patria? ſtatus, conditio? Equidem, ſi Prædicantum Annales conſulamus, non dubitabit Mislenta ipſum Albertum Marchionem Brandeburgicum, primum in Pruſſia Ducem, tantorum authorem malorum proclamare ſic enim de Alberto (a) Manualis ſcribit. *Quem locum, unà cum fano, in ſummo honore & cen-*

(a) *pag. d* 4.

*& cenſu habuerat, olim tenebris Papatibus obrutus Princeps noſter; adeò, ut pedeſter diſcalceatus, ac nudis pedibus, Regiomonto ad illam Tiliam, peregrinationem quodam tempore inſtituerit; eiusdem fanum, non modò diruit, ac ſolo æquavit, verùm etiam ſub mulcta patibuli, peregrinationem ſubditis ſuis illuc interdixit.* Atque hæc Prædicans, in honorem ſcilicet Principis ſui: verùm ego, qui non Alberto duntaxat, verùm & omnibus Sereniſſimæ Domus Brandeburgicæ Principibus longè, quàm vel Prædicans ullus cogitando æſtimare queat; generoſiorem & ſanguinem & indolem ſcio inſitam; neque paulò antè induci potui, neque nunc, ut id facilè credam, inducat. Nunquam ſe de Electorali Brandeburgenſium Principum familia, ad tantam, tamque ſacrilegam barbariem, immanitatem, quin & vilitatem quisquam demiſit, quantò minus Albertus? Qui, quanquam illo, quem à Luthero hauſerat, hæreſeon toxico, multum religioſi vigorem animi enervârat, nunquam tamen, ſi naturam, & heroicæ proſapię ſanguinem attendamus, à majorum ſuorum ſtirpe, ita fuit degener, ut eam ſibi domuique ſuæ, qualem Prædicans inurit, ignominiæ, ſacrilegiique notam affricaret. Et potuit generoſus ille Alberti ſpiritus ac ſanguis, cùm aliàs non rarò, tum verò maximè Brunsbergæ, quam Anno M.DXX. præter omnium exſpectationem improvisò occupârat, palàm ſpectari. Tantùm enim abeſt, ut ſacris Imaginibus vim aliquam manumvé intulerit, ut etjam Templum, quo ad matutinas laudes, ipſo Circumciſionis Dominicæ feſto propè omnis populus confluxerat, modeſtè ingreſſus, præmiſsâ omnibus, potiſſimùm verò

Magiſtratui amicâ conſalutatione, pileum capiti ſuo detractum, Imagini que DEIPARÆ oblatum, reliquiſſe appenſum feratur. Satis igitur defenſus videtur contra Prædicantis Myslentæ calumniam Albertus Princeps: niſi fortè Miniſtrorum, quos gubernationi adhibebat, vitia, uti plerumque fit, ipſi affricentur Principi; cùm præſertim illud non minùs protritum, quàm verum ſemper fuerit; Per ſe nimirum facere eum, qui per alios facit. Qui primas Miniſtrorum partes apud Albertum initio, præſertim in urgenda inſtruendaque novæ illius fidiculæ causâ, à Joanne Behm in 1. Orat. ſeculari (a) recenſentur; fuerunt Georgius Polentz Sambienſis, & Eberhardus à Queir Pomeſanienſis Pſeudo-Epiſcopi. *Inter quos*, ut idem (b) ait, *tum præcipuus fuit Illuſtris Dominus, Dn. Fridericus ab Heideck Francus; qui Alberto Marchioni in Germania verſanti innotuit; quemq; ſecum in Pruſſiam ſumpſit: ejusque conſiliis in multis uſus eſt.* Didici è Simone Grunau Albertum Principem, in conſtituendo obtinendoque Pruſſiæ Ducatu Friderici ab Heideck operâ potiſſimùm fuiſſe uſum; jam è Behmio diſco, etjam in promovenda Lutheri ſecta adhibitam ejus operam, ita ut ſub ejus nomine liber Theutonicâ linguâ impreſſus Anno M.DXXVI. Regiomonti prodierit, quo Valtherum à Plattenberg Magiſtrum cæterosque in Livonia Ordinis Theutonici milites, ad eandem invitat ſectam. Utrum porrò hic ipſe, an quispiam alius, non tam Principis ſui, quàm ſuo nomine (quis enim neſcit Miniſtros Principum pleraque non pro illorum imperio, ſed pro libidine, vel avari-

(a) *pag. B 1.* (b) *B 3.*

avaritiâ ſuâ moliri?) ſacrilegas juxta ac violentas Lindæ Marianæ admoverit manus, ego in præſentiarum nihil habeo memorare. Fama, & quidem ad hæc uſque tempora admodum conſtans eſt, Præfectum Raſtemburgenſem fuiſſe: de quo præſtat Claritium (a) referentem, & ſimul illam, quæ apud Lindam Marianam graviſſimè detonuit, tempeſtatem breviſſimè perſtringentem, audire. *Præfectus tum erat Raſtemburgi, è præcipua nobilitate vir (nomen recepta paſſim fama conſtanter memorat) hunc graviter offendit, B. Maria Lindenſis, apud pientiores Chriſti fideles, & vetuſtioris pietatis tenaciores, in priſtina ſua ſanctitudinis exiſtimatione perſeverare. Excanduit itaque homo, jam à vera fide lævus, & ideo ſævus; in* DEUM *impius, in Divam Matrem Virginem contumelioſus; in rabiemq; actus, manum conflat, advolat, invadit, diruit, vaſtat; totamqúe celebris ac religioſi Oratorii faciem, in miſerabilem informium ruderum Acervum redigit: admirandam illam B. M. V. Imaginem, ex Tiliæ ramis deturbat; in lacum Virbellum, qui proximus loco ſacro adſtagnat, abiicit, aquis immergit.* Tametſi igitur fama, etjamnum ſacrilegi iſtius Verris nomen loquatur, à me tamen illud par eſt non prodi; non eâ tantùm causâ, quòd poſterorum ac propinquorum honori conſultum ex animo velim; verùm etjam quòd indignus ſit homo ille, cujus nomen vel è calamo meo profluat; vel, ſi memoretur, etjam ora referentium polluat. Si enim eum, qui eadem, quâ Alexander Macedo natus eſt nocte, Epheſiæ Dianæ Templum ſuccendit, indignum veteres cenſuerunt, cujus vel nomen poſteritati proderetur, aut cujus-



(a) *pag. A 5.*

quam ore uſurparetur; quidni indigniſſimum cenſeamus eum, qui non jam Dianæ fabuloſæ, ſed diviniſſimæ ſupremi Numinis parentis Ædem ſubruit, Imaginem, & Imagini deſtinatam à Deo ſedem Tiliam peſſundedit ac perdidit? ſi quis tamen Eroſtrati iſtius nomen magnopere nôſſe deſiderat, vicinorum Præfectorum nomina in Tabulariis excutiat: neque enim alius inter præfectos, qui Theutonicorum Commendatorum occupârunt locum, prior cenſeri potuit, niſi qui in tanto ſacrilegii facinore primas tenuit.

## CAPUT IX.

Exciſâ Lindâ Marianâ, neququam exciſa, quin potius aucta, & confirmata loci religio.

PErfrictæ omnino, aut nullius potius frontis, ſint oportet omnes ii, qui ſingularem cùm alibi, tum etjam apud Lindam Marianam, populi Catholici pietatem ac Religionem, non verentur Idololatriam, illiberali ſanè voce, aut potius immani, & plus quàm meretricia, proſtitutaque inſania, vocare. Si enim res ita haberet, exciſâ Tiliâ, perditâ peſſundataque Deiparæ Imagine, hoc eſt ſublato, ut illi inſanè vocant, idolo; everſo olim ac ſolo æquato fano; quid tandem eſſe reliqui potuit, quod aut Idololatras Lindam evocare, aut coli ab iiſdem Lindæ poſſet? Erubeſcite tandem, ſi poteſtis, ô miſeri; atque vel ex religioſiſſima hac apud Lindam pietate Catholicorum, aliquando diſcite; quàm & vos naviter ſitis impudentes, ac mendaces; & Catholici, etjam in Deiparæ Divorumque cultu piiſſimè prudentes, ac veriſſimè religio-

religioſi. Quemadmodum enim Tilia ſucciſa, Imagine ſublata, everſoque ſacello, nihil aliud, niſi ſupremum Numen, colunt, venerantur, & adorant; ita, cùm illa ſalva eſſent omnia, nihil in iis, niſi idem Numen adorabant, venerabantur, & colebant; adeoque nunc quoque in Deipara, & Cælitibus, Deiparævé aut Cælitum, ſignis, ædibus, Imaginibus, aut ſacris locis & Lipſanis, nihil niſi *glorioſum in Sanctis* Deum, adorant & colunt. Quòd porrò hoc, vel alio loco, id majore pietatis ſenſu agant; aut potius, quòd Deus Opt. Max. hoc potius loco quàm alio cultores ſuos exaudiat, gratiaque & beneficiis ſuis cumulet, poterant jam ex citato alibi S. Auguſtino (ſi vellent, ut aliquando ſaperent) erudiri. Quandoquidem autem hoc, quo Tilia ſtetit, & qui nunc quoque à Tilia nomen habet, loco, Deus ſeſe mortalibus eximiè propitium, ac largiſſimè munificum ſemper exhibuit, & in horas exhibet; mirum non eſt, ſi & olim tanta ad eum frequentia atque multitudine, populi ſemper undique confluxerint, & nunc inſuper confluant. Videtur enim quaſi certamen quoddam, cum impietate atque immanitate hæretica, inſtituiſſe eo loci benigniſſimus Deus. Hæretici quidem, non ſecus ac ille, à quo hæreſeos toxicum hauſerunt, tartareus ſerpens, calcaneo Virginis inſidiando, honorem cultumque ejus obterere nititur; at benignitas beneficentiaque divina, non modò ſartam tectamque eo loco Deiparam conſervat; verùm etjam per ipſos quoque adverſariorum conatus, magis ac magis promovet. Hæretici, ut Deiparæ cultum, locique ipſius religionem extirpent, ſacellum & Tiliam funditus

excſcin-

exſcindunt, Imaginemque Deiparæ diſſipant; at è diverſo bonus Deus, Imaginis loco, non tam oculis, quàm animis mortalium, reverentiam ſuæ Matris tantò majorem imprimit, firmioremque; quantò altiùs firmiusque hærent, quæ animis hominum, quàm quæ oculis duntaxat obverſantur. Hæretici exſpoliato, exciſoque Lindenſi ſacello atque aſylo, homines omnibus Dei & Deiparæ beneficiis orbare, adeoque omnes divinæ munificentiæ fontes, ipſis everſi ſacelli ruderibus obruere, memoriamque eorum cum ipſa quodammodo terra eradere moliuntur: at Deus, cui, vel de petra ac ſilice aquas & flumina producere nihil eſt inſolens, in ipſis quoque exciſæ Lindæ ruderibus, uberrimas gratiarum beneficiorumq; ſuorum deſtinavit exhibere ſcaturigines. Neque minus, quàm deſtinârat, exhibuit. Sicut enim homines, quos vetus illa pietas ac religio, vel ex ipſis Lindæ ruderibus, & ſqualore ſituque loci ſingulariter afflabat ſimul, & exhilarabat, nullis, quemadmodum jam dicetur, hæreticorum minis, ſtrophis, aut ſuppliciis absterreri, ne dicam arceri inde poterant; ita Deus, ſi non majora, certè prioribus paria, in loco, quantumcunque deſerto, beneficia cumulatiſſimè largiebatur; ut vix ullus in exciſa deſertaque jam Linda, Lindam videretur jure poſſe deſiderare. Quocirca homines, villæ, oppida, & provinciæ locum deſertum frequentare, ut antè; preces ſupplicationesque facere, ut antè; vota, anathemata, & donaria perferre, Dei, Deiparæque ſubſidia affatim experiri; cæleſtibusque beneficiis cumulari ut antè. Nimirum acervus ille ruderum, quem in medium ſacelli locum,

quo

quo olim Tilia ſteterat, aggeſſerant ſacrilegi, quaſi Aurifodina quædam piis omnibus fuit: ut, quibus egerent, quæque à Deo & Deiparæ popoſciſſent, inde quodammodo ſibi eruerent: adeò, ut nemo inde voti impos abiret; nemo, ſi exteriorem loci ornatum, qui antè fuerat, amœnitatemque demas, quidquam præterea magnopere requireret. Atque hoc nimirum (ut ad divinam Regii vatis lyram numerosque canamus) nil propè aliud erat, quàm *ſugere mel de petra, oleumq; de ſaxo duriſſimo*: evenitque hîc, ſaltem in ſpiritu, Dei & Eccleſiæ Catholicæ filiis quod filiis Iſraël, ab Ægyptiis & Pharaone quondam oppreſſis (a) *Quantò opprimebant eos, tantò magis multiplicabantur, & creſcebant*; adeoque (quod ante præmiſſum fuerat) *quaſi germinantes multiplicati ſunt*. Deſolatus ac deſertus erat tum Lindæ Marianæ locus; at in eo veri filii Iſraël germinabant; & inſtar roſarum, inter illas veprium ſpinas, pulcherrimè effloreſcebant: conſtringebant illam filiorum Dei in cultu divino libertatem, immanes illi hæreſeon hæreticorumque miniſtri; nihilominus illi *creſcebant*; vel potius, ut in Hebræo legitur, *erumpebant*; quia, uti Cornelius ad eum locum addit, perinde atque Aqua aut fluvius, quò magis arctatur & concluditur, eò majore vi & copiâ eluctatur, aggeres obicesque perfringit & erumpit; ita & olim filii Iſraël in Ægypto oppreſſi; ita poſtmodum Catholici omnes, Ægyptiacâ apud Lindam Marianam ſervitute, per Pharaonem Miniſtrosque Pharaonis inductâ. De qua ſervitute jam ſupereſt diſſerendum.

CAPUT

(a) *Exodi* 1. 12.

# CAPUT X.

In exciſæ Lindæ Marianæ loco, ut Hæretici religionem quoque exſcinderent, fureâ & patibulo, in Deiparæ cultores ibidem deſævierunt.

QUid ad iſtam Catholicæ pietatis religioniſque, in Deiparæ cultu, conſtantiam, quid ad illam intra animorum ſinus latentem fidei Orthodoxæ flammam, per exortos repente ventorum turbines altiùs multo latiusque ſe diffundentem, hæreticus furor? Audi, & obſtupeſce! Stupenda prorſum olim fuit, quâ ad abolendam Chriſti crucifixi, Crucisque illius gloriam, extirpandamque è Chriſtiani populi animis pietatem, ferebatur Judæorum Gentiliumque inſania; de qua, præter Euſebium; de vita Conſtantini (a) Ruffinum (b) Sozomenum (c) & alios, Breviarium quoque Romanum v. Non. Majas. Quo enim loco, in Calvariæ monte fixa Domini Crux fuerat, eo illi, ad tollendum Paſſionis & Crucis Dominicæ cultum atque memoriam, collocârunt, marmoream Veneris ſtatuam. Quo verò loco Chriſtus Dominus, è ſepulchro glorioſus in Horto ſurrexerat; eo ſimulachrum Jovis ſtatuerunt. Denique quo idem Dominus, infans aliquando vagiit; eo impuri Adonidis, ſive Thamuz Veneris amaſii, poſuerunt, ſignum. Putabant homines egregiè fatui, ſe pietati honorique Chriſtiano, eum in modum, itidem egregiè impoſituros; ſi vel adoraturos, objectis idolis ſuis, à Chriſto ſuo excluderent; vel adorantibus, cultum ſuorum idolorum, etjam ad ſpeciem quancunque affricarent.

(a) *lib.3.c.24.* (b) *lib.1.cap.7.* (c) *l.2.c.1.*

rent. *Gentiles*, inquit Sozomenus, *qui Eccleſiam perſecuti ſunt, quoniam Chriſtianam religionem delere & exſcindere omnibus viribus laborabant; idcirco eum locum, ingenti aggere ſuperinjecto obruerunt. Quin etiam univerſo loco (tum ſepulchri, unde Chriſtus reſurrexit, tum Calvariæ) muro undique circumdato, eum pro ſuo arbitrio exornare cæperunt. Nam primùm ſternunt lapidibus; deinde fanum Veneris ſuperextruunt; poſtremò ſimulachrum in eo ſtatuunt; ad eum ſanè finem, ut, & qui Chriſtum in eo loco adorarent, Venerem viderentur adorare; & temporis diuturnitate, cur homines eum locum venerarentur, veniret in oblivionem.* Non longè diſpar fuit Iconomachorum noſtrorum ſive inſania, ſive immanitas. Poſteaquam enim ſubrutâ atque excisâ Lindâ, populus Catholicus, locum nihilominus pari religionis pietatisque ſtudio accedebat, minis primùm arceri inde cæpit. Verùm cùm minæ haud procederent, adjecta ſunt publica edicta, & intextæ edictis mulctæ, verbera, aliaque id genus ſupplicia. Neque tamen his moveri potuit aut etiam debuit, illa, quæ in Catholicæ Petrâ Eccleſiæ, fundata firmataque eſt pietas. Quò igitur ſe tandem verteret rabies & immanitas barbara? Ad Judæorum nempe artes atque ingenium. Eo ipſo loco, quo Tilia ſteterat, vel certè ponè in vicina Lindæ area, infelicem ſtatuunt arborem, ut non modò præſentes aut propinquos inde arceret, verùm & cæteris omnibus (non ſine inſigni in Deum & Dei genitricem contumeliâ) extremum loci ſacri horrorem & faſtidium, incuteret, factum id memorant, illius ejusdem Præfecti Raſtenburgenſis voluntate, quin & imperio; tametſi Mislenta, pro ſua ſcilicet in

Prin-

Principes, etjam proprios obſervantiâ, id facinus plus quàm execrandum, Alberto Duci adſcribat. Sic enim loco paulò antè citato garrit. *Non modò fanum diruit, ac ſolo æquavit; verùm etiam, ſub mulcta patibuli, peregrinationem ſubditis ſuis illuc interdixit: hocque pœnæ genere, inobedientes ac contumaces Idololatras in hoc Ducatu, quotquot ad illum locum, cultus gratiâ, deveniſſe deprehendebantur, affecit: adeoq́; ſuſpendio puniri curavit, uti Annales perhibent.* Sed & Hennebergerus, non aliâ eſt in Principem quoque ſuum reverentiâ. Juvat illum audire loquentem, & non Catholicorum tantùm, verùm & aliorum à fide Catholica naufragorum, de ſingulari in B. V. Lindenſem (etjam dum ſacello exciſo, omnia ſitu ſqualebant) fiduciâ ac pietate luculentum admittere & audire Teſtem. Sic enim (a) ſcribit. *Ad Lindam, Reſſelium inter & Beslacum ſtabat Ædicula ſacra; in qua magna exercebatur idololatria. Sereniſſimus Marchio Albertus, cùm in Papatu etiamnum hæreret, peregrinationem eò, & quidem nudipes, Regiomonto uſque ſuſcepit. Et hæret virus illud in multis, præſertim qui vicinum Epiſcopatum accolunt, ita altè fixum, ut nequeant remittere; quin vel noctu accedant illuc, cereos accendant, idolomaniamq́; exerceant; etſi fanum funditus everſum ſit, & acceſſus ſub pœna patibuli interdictus, adeòque iam aliqui, ſuſpendio, ea de cauſa plexi ſint.* Hæc elogia de Alberto Duce Prædicantes: quâ fide (nam de debita Principibus obſervantia non eſt opus diſquirere) ipſi ipſorumq́ue alumni viderint. Ego verò, plus hoc etjam loco de Brandeburgicæ, hoc eſt, de generoſiſſimæ heroicæque Domus ſanguine & indole,

(a) *pag. 261.*

dole, in Alberto, quantumvis ab Eccleſia Catholica jam degenere, reperio, quàm ut iſtam ſibi, à furca & infelici arbore, eo potiſſimùm in loco, ſatageret laureolam demetere. Magis quocirca iterum in Ciaritii ſententiam concedo, qui & conſtante hominum famâ atque traditione, & illuſtrium teſtimonio virorum, & recentiore ſuperioribus annis memoriâ edoctus, Præfectum Raſtemburgenſem, illius molis egregium facit ſive Ædilem ſive Architectum. Sic enim (*a*) ſcribit. *Dum hoc modo in deſolata B. M. V. ſacelli areâ inveteratus* DEI *cultus, & recepta glorioſiſſimæ Virginis Mariæ veneratio, apud homines non ſeneſceret, ſed ſpecioſius quodammodo reiuveneſceret, tulit id indignè Præfectus ille idem Raſtenburgenſis, qui antehac loco ſacro manus impias admoverat; atque exulcerantibus animum furiis præceps rapitur ad maiorem* DEO *contumeliam inferendam, & ſceleſtiorem Virgini* DEI *Genitrici inhonorationem irrogandam. Quocirca, ut hominibus ad Ædem Lindenſem confluentibus horrorem iniiceret, fugam conciret, & à frequentatione omnino removeret, patibularem Crucem in religioſa loci ſacri area erigit, facinoroſumq́ hominem infelici ligno ſuſpendit.*

Cæterùm, quisquis infelicem illam arborem, eo præſertim loco, plantavit, non de ligno vitæ, ſed aliunde ſemen futuræ plantationi ſumpſit. Memorant Hebræi, Sethum, juſſu Angeli, de vetita *ſcientia boni & mali Arbore*, ſemen accepiſſe; illudque ſepulti Adæ ori indidiſſe, ex qua ſuccreverit Arbor; deque ea Crux Chriſti, per quam Adæ peccata expiarentur, confecta poſtmodum ſit: decuiſſe enim, ut in eo-

O dem

(a) *pag. A 7.*

dem ligno, quo Adam peccaverat, Chriſtus Adæ peccatum lueret atque expiaret. Sit, quicunque fabulæ (de qua in Prævio Salomonis (a) Pineda) locus eſſe poteſt; jam pro fabula reputari haberique non debet, ſi quis illius & ſimilium Arborum infelicium ſemina, è novo Evangelii prædicantici ſive horto, ſive Paradiſo ſumpta, vel potius illud ipſum Evangelium, quod ipſi *verbum* Dei, proinde (juxta illam D. Lucæ (b) parabolam) *ſemen* vocare debent, aſſeruerit. Quàm enim copiosè, iſtiusmodi apud eos proveniant arbores Diſquiſ. Ubiq. XXIV. affatim monſtratum eſt. Illud hic minimè prætereundum eſt, quod præ cæteris, Hennebergerus quoque (c) Gedani eveniſſe memorat. Simul enim ac Lutheri Evangelium, quinque Tritonum buccinis Anno M. D. XXIV. Gedani perſonuit; ilicò flores, ſive fructus Evangelii prædicantici in ipſo Gedanenſi foro apparuerunt, Furcæ nimirum, Rotæ & Gladii. *Patibulum*, inquit ille, *& Rota in foro poſita ſunt, & gladius iisdem appenſus*. Ecce quàm præcoces fructus, & genuinas ſibi arbores; illud Evangelii prædicantici ſemen Gedani protulit! & quidem in ipſo foro; adeoque ut Bernardus Vapovius quoque memorat, *ante prætorium*! An hæc porrò ultra terrorem Gedani proceſſerint, haud ſatis conſtat; videndum igitur ſupereſt, quouſque tandem Lindæ ſit proceſſum.

CAPUT

(a) *lib. 5. c. 14.* (b) *Luc. 8. 11.* (c) *pag. 92.*

# CAPUT XI.

Patibulum Lindæ erectum, & homines in eodem ſuſpenſi, perpetuum hæreticæ crudelitatis, & graſſantis ubique Prædicantum immanitatis, monumentum.

SAtis erat, ad barbaram hæreſeon hæreticorumque iſtius ævi immanitatem, ac feritatem arguendam, Furca, hoc eſt, infelix Arbor, in loco Tiliæ ſacræ plantata. Quid ſi verò jugulatos in ea homines dicamus? Et credet aliquis, eo præſertim loco, jugulatos? Fortaſſe enim Hæretici, eorumque Mitiones, Miniſtri, inquam, ad terrorem duntaxat incutiendum, arcendosque ab eo loco mortales, illud lenitatis, & manſuetudinis, ſcilicet, ſuæ monumentum, voluerunt collocatum. At res longè ſecus habet: quippe ne ipſi quidem negant, ad ſuſpendium uſque, & quidem plurium hominum, ſævitum fuiſſe Lindæ. Ex Hennebergero paulò antè didicimus, *aliquot eâ causâ*, quod videlicet religionis ergo Lindam reviſiſſent, *ſuſpendio fuiſſe plexos*. Sed & Mislentam itidem audivimus referentem, *hoc pœna genere, quotquot ad illum locum, cultus gratiâ, deveniſſe deprehendebantur, affectos, adeoq; ſuſpendio punitos*. Sive autem ipſius Alberti Ducis, uti Prædicantes aſſerunt; ſive ut ego quidem cenſeo, Præfecti Raſtenburgenſis imperio hoc factum ſit, parum intereſt; cùm liquidò conſtet, neque hunc, neque illum citra Prædicantum conſilia atque impulſum, ad eam immanitatem unquam fuiſſe deventurum. Neque aliud ſanè à Prædicantum Evangelio exſpectandum fuit; quod *ſanguinem ſitire* ipſemet Lutherus aſſerebat. Neque ſecus acdixit, fecisſet;

let; ſi facultas agendi fuiſſet. Quid enim aliud ſpirant illa ad Silveſtrum Prieratem effata, quæ Tomo 9. Witemberg Anno 1554. per Joannem Lufft continentur? *Si fures laqueo, latrones gladio, hæretici flammis plectuntur; quidni potius in perditiſsimos hos Doctores, in Pontifices, Cardinales, Epiſcopos, & univerſum Sodomæ Romanæ examen, manus & arma expedimus, & in ſanguine eorum manus noſtras lavamus; atque ita nos poſterosq; noſtros, maximis ac periculoſiſsimis flammis eripimus?*

Ad hoc Lutheri, vel tanquam Patriarchæ exemplum, vel tanquam Ducis claſſicum, vix aliquis Miniſtrorum fuit, qui non furcas, patibula, gladios, & id genus, Evangelii ſcilicet ſui fructus, ore, calamoque vibraret; vibraturus utique etjam manu, ſi facultas non defuiſſet. Certè Joannes Sturmius, ab eorum tribu minimè alienus, veritate ipsâ, atque exemplis ſuorum convictus, non potuit committere; quin, in ſua ad libros Buceri præfatione, palàm exararet; *ſi iſtis hominibus, Magiſtratus gladium ſuum, per triduum concederet, ſtatim crudeliſsima ſequerentur condemnationum tonitrua, fulgura, fulmina.* Quando igitur facultas iſtis hominibus deeſt, vota nihilominus deeſſe minimè poſſunt. Et vide, quæſo, quibus rem agant, non in Catholicos duntaxat, verùm & in ſemetipſos votis! Calviniani Heidelbergenſes, Lutheranis è Caſimiri Palatini Provinciis, variâ arte tandem exactis, ne quid eorum, hominum ſcilicet ſibi amiciſſimorum, in Palatinatu uſpiam reſideret, poſt varias ultro citroque habitas deliberationes, pronuntiârunt, capite minuendos eſſe. Atque in eum finem, teſte Adamo

Con-

Contzen de Unione cap.14. (*a*) conclavi ipſius Caſimiri carmen, quod ſequitur, affixerunt:

*O Caſimire potens, ſervos expelle Lutheri!*
*Enſe, Rota, Ponto, Funibus, Igne neca.*

Ita quidem univerſi ſimul in concilio; ita quoque Miniſter Aulico-Palatinus, tum alibi tum in gynæceo; qui (ut ex hiſtoria mutatæ in Palatinatu religionis edita, idem Contzen (*b*) docet) diſertiſſimè pronuntiabat; *ſe, ſi Caſar eſſet, Miniſtris Lutheranis capus omnibus amputaturum eſſe.*

Ad hæc Calvinianorum vota, quid tandem Lutherani, tanquam Arcades, ex æquo, & cantare & reſpondere parati, repoſuerunt. Memorat Grynæus, contra Jacobum Andreæ, eodem Contzenio, loco citato, teſte, ſcriptitans, *Lutheranos ex æquo vini, ac ſanguinis Calvinianorum inexplebili ſiti ardere; ideoque Miniſtros eorum, in Palatinatu ſub Patibulo exauctorâſſe.* Idipſum teſtabatur Caſimiri Palatini Adminiſtrator, qui Lutheranis exprobrare ſolitus erat, *ipſos non quidem ſcribere, ſed proſcribere ſolitos.* Mitioris inter Lutheranos ingenii ſemper habiti ſunt Philippus Melanchton, & Eraſmus Alberus; & tamen iſtius, teſte Contzen (*c*) de Carolſtadio vox erat, *illum, ſpitama una breviorem fieri oportere*: ille verò de Campano in Sympoſiacis Lutheri, eodem teſte (*d*) edixit, *Campanum, in illuſtri & traluc ente Patibulo illuſtrandum,* Ita etjam mitiſſimi inter Prædicantes, vix aliud, quàm Patibula, Gladios, Rotas, & quidem erga ſuos fere contribules in votis habent! Quæ iſti non faciunt in

O 3 Catho-

(a) *pag.* 155. & 350. (b) *pag.* 157. (c) *pag.* 162. (d) *pag.* 316.

Catholicos vota ? imò, cùm vel tantillum adeſt facultatis, quæ non deſignant facinora ? Plena ſunt exemplorum. *Theatra crudelitatis*; aliaque quàm plurima volumina; ut hîc minimè opus ſit vel pauca adducere. Unicum támen par votorum, quia intra Regni Poloniæ fines ſanctè conceptum, præterire non debeo: alterum quidem Lutherani, Matthiæ Stoy, Medicinæ apud Regiomontanos Doctoris; alterum verò Calviniani, Andreæ Volani, qui Miniſtrorum in Lituania habitus eſt Alpha. Atque hic quidem, quemadmodum in Anatomia libri ejusdem Volani, doctiſſimus Andreas Jurgievicius Canonicus Vilnenſis demonſtrat, & Jeſuitis Rogos atque ignes, & ipſi Jurgievicio fuſtes & fuſtuaria, plagas & verbera, inſuper & Reſtem, proinde & Patibulum atque Furcam, pro Evangelica ſcilicet pietate ac lenitate, precatus eſt. Jam verò ille alius, non utique medicorum de minuendo humano ſanguine aphoriſmorum immemor, quæ non pro Aloyſio Lipomanno Apoſtolico in Polonia Nuntio vota, tum animo concepit, tum calamo effudit ? ſcripſerat Lipomannus ad Palatinum Vilnenſem Nicolaum Radivilum Epiſtolam, quam, cum ejusdem Palatini Reſponſo Paulus Vergerius Apoſtata, typis Regiomontanis Anno 1556. non ſine quorundam Regiomontanorum acroamatis, in lucem dedit. Inter hæc, extat adhuc Elegia hoc titulo: *Omen Matthiæ Stoy, Philoſophiæ & Medicinæ Doctoris.* In qua hunc in modum canit:

*Sed Lipomanne dabis, ſi me non omnia fallant,*
*Pœnas: ultor erit primus & ipſe Papa;*
*Dum malè perfunctus Legati munere, Romam,*

*Vt de-*

*Vt decet, in ſervo vinčte traheris equo.*
*Antè ſed, & ſtatuens tibi grata Polonia Furcas,*
*Hâs curâ poterit, forte levare Papam.*

Sic iſte Prædicantum ſpiritu plenus, nil humile, ſed Furcas & id genus, ſublimia omnia, prædicanticè ſpirat; &, quam ex Prædicantum Evangelio hauſerat, gratitudinem, eodem ſpiritu, vel potius impudentiâ prædicanticâ *grata* ſcilicet *Poloniæ* tribuit:

Neque ſegnius eadem, aut iis ſimilia vota ad eundem Palatinum Vilnenſem ingeminat:

*Tu verò Radivilonum decus, inclyte Princeps,*
*O generoſe Tuæ ſanguis, amorque Domus!*
*Adſere divini veriſsima dogmata verbi,*
*Quâ debes dextrâ vindice, quaq; potes.*
*Me verò hæc alacri fer claſsicâ voce canentem,*
*Quâ ſolâ potui parte venire Tibi,*
*Atque utinam liceat! quoniam libet eſſe in iisdem*
*Partibus, in quas hæc nuda Thalia volat!*
*Non timeam calamum vocemq; in fata Papatus*
*Stringere, dum nequeo fortis ad arma manum.*

Nimirum haud longè poſitus Lindâ erat Stojus, & vel oculis coram, vel certè auribus Regiomonti, Furcam illam, ſeu patibulum Lindæ poſitum, ſuſpenſosque inde mortales uſurpârat; ut, vel inde, dignos Evangelio iſto ſpiritus ſumpſerit, quos deinde in verſum chartamque effudit: effuſuros profectò & in venas nervosque Catholicorum, ſi poteſtas voluntati reſpondiſſet.

Eant nunc, cum ſuis, Prædicantes; &, vel Inquiſitiones Hiſpanicas, invidioſiſſime, pro more ſuo quaſi in ſcenam producant; vel ſuorum lenitatem pecto-

rum nundinentur ; vel denique ovillam, ut de iis Chriſtus ipſe vaticinatus eſt , pellem lupis prætendant : nos illis pauciſſima , cum S. Auguſtino lib. 2. contra Petilianum (*a*) & Epiſt. 48. ad Vincentium, hoc loco reponemus. *Sævire vos nolle dicitis , ego non poſſe arbitror. Vbi enim potuiſtis, & non feciſtis! Inde oſtenditis, quòd plura faceretis, ſi poſſetis.* Et fecerunt, ſi quando potuerunt; uti vel in cæde Nicolai Ruſcæ Sondrienſis, apud Rhætos Archipresbyteri, Anno M.DC. XVIII. patuit. De qua præſtat adire Fridericum Fornerum Suffraganeum Bambergenſem libro 1. cap. 54. Palmæ triumphalis. Ego in rem præſentem addidero, quod amicus, Burmio ad me 3. Januarii præſentis Anni 1656. peregrinationem ſuam pertexens, ſcribit. *Tirolim*, inquit ille, *à Griſonibus, poſt Tovveis una diſterminat foſſa. Fines Tirolenſes erectam habent Crucem ; ex adverſo Griſones ex oppoſito Crucis in ſuis finibus habent erectum patibulum.* Hoc nimirum inſigne ac monumentum eſt Evangelii prædicantici.

## CAPUT XII.

Exciſæ Lindæ, & Patibuli in ejus loco erecti author, miro, & repentino ſupplicio divinitus caſtigatus.

VEtus eſt verbum , etjam Plutarcho uſurpatum, *ſerò molas Deorum molere*; quia *laneos*, ut aliud diverbium fert, *Dii habent pedes*. Plerumque enim vindicta divina ſeriùs multò, quàm mererentur, impios tangit. Evenit tamen interdum etjam id, quod Horatius (*b*) canit:

*Raro antecedentem ſceleſtum*
*Deſeruit pede pœna claudo.*

(a) *cap. 83.* (b) *lib. 3. ode 2.*

Quod

Quod cùm cæteris ſoleat accidere, tum iis maximè, qui vel ſacrilegis manibus Templa, vel impiis dogmatibus Eccleſiam DEI polluerunt. Ut enim Heliodorus, in ipſo ſacrilegii æſtu, atque loco, pænas dependit (*a*) & *multis flagellatus in terram cecidit*; ita plerique hæreſiarcharum, acceleratis, etjam in hac vita, caſtigati ſunt ſuppliciis. *Simon ille Magus*, non tam alis, quàm vano auræ popularis vento, juxta ac dæmonum operâ, in ſublime elatus, ad orationem Simonis Petri, Apoſtolorum Principis, collapſus ad terram cecidit; vel potius ad illam à Chriſto excitatam Eccleſiæ Petram colliſus, fractis primum tibiis, magna cum ignominia mox obiit, teſte Arnobio (*b*) contra Gentes. *Arrius* diſputationis causâ ad Eccleſiam progreſſus, ex itinere, levandi ventris causâ ſeceſſit, & S. Athanaſio orat. 1. contra Arrianos teſte, animam ſimul cum viſceribus, in latrinam effudit. Neſtorius, Evagrio teſte (*c*) miſerrimè interiit, impiâ linguâ à vermibus fœdè corrosâ. Quid aliis horum ſimilibus evenerit, apud Bellarminum libro 4. de Eccleſia (*d*) videri poteſt. Vt iſtorum numero atque collegio accenſeretur impiiſſimus Lindæ Marianæ vaſtator, divinæ placitum fuit providentiæ, ſimul & juſtitiæ; neque enim *deſeruit ſceleſtum pede pœna claudo*. Eodem propè momento, quo erectâ ad Lindam Furcâ & patibulario in eadem ſuffixo, de ſacello, hoc eſt, de illa Deiparæ Regia, deque ipſa Deipara, ut ſibi videbatur, jam victor, elatâ illâ mole, quaſi curru quodam triumphali, in aëra ſibi viſus eſt evehi, divina

O 5 de ho-

(a) 2. *Machab.* 3. 25. (b) *lib.* 2. (c) *lib.* 1. *cap.* 7. (d) *cap.* 17.

de homine impio Nemeſis, uti par erat, triumphavit. Rem diuturno, & conſtante omnium ſermone firmatam, Ciaritius ex fide hunc in modum (*a*) percenſet: *Degebat tum Præfecti illius filius in Gallia, Regiuq; militaribus ordinibus adſcriptus ſtipendia merebat; cum pater in D. Virginem Lindenſem omne genus impietatis exerceret. Accidit verò, juſto* DEI *iudicio, quamvis occulto, ut iuvenis caſtrenſi licentiâ, enorme quoddam facinus committeret. Raptus, Tribuno ſiſtitur, obnoxius crimini convincitur, & funis nodo eliſo gutture, infami arbori miſer exemplò appenditur. Et quò certius acriusq; divinæ indignationis, in patrem ſacrilegum, liqueret eſſe telum; eodem planè die, eodemquè tempore, filium infauſtâ carnificis manu evectum perdidit; quo ipſe ſacrum hunc Divæ Virginis locum, patibulari furca violaverat, & ferali hominis morte inceſſaverat. Non longè pòſt, perferuntur ad illum ex Gallia literæ de probroſo filii interitu nuntiantes. Ille mox dolore & luctu amens, qui paulò antè ſuperbo elatus collo, quaſi* DEO *triumphato, Beataquè Virgine Matre ad rhedam ducta, inceſſerat; iam humi ſtratus, triſtem domus ſuæ fortunam, & ſempiternum dedecus, ex illatabili filii morte lugere compellitur. Hocquè illi cor mæſtum, violentius & irrequietius cruentavit; quòd (cùm dies computat & horarum momenta componit) reperiſſet, eodem omnino die, eodemquè temporis articulo, filium patibulari morte fuiſſe multatum, quo ipſe piaculari cruce locum ſacrum Marianæ Lindæ contaminaviſſet. Lenta quidem eſſe ſolet divina vindicta; at tarditatem, gravitate ſupplicii penſare conſuevit. In hoc præpropera fuit; cùm in ſceleſtum recenti adhuc crimine furentem, tam atrociter deſævierit, ponduſquè ſuppli-*

(a) pag. 48.

*ſupplicio addiderit, ut extincto filio, quem unicum ſuſceperat, omni quoq; generis propagatione ſit orbatus. Documentum mortalibus, ne licenter adeò, impunitatis ſpe, in* DEUM *cæliqúe Reginam bacchari pergant.* Quàm iſta ex vero ſint à Ciaritio narrata, conſtare vel inde poteſt, quòd infame illud patibulum, quemadmodum præter ſpem, apud Lindam ſubitò apparuit, ita videri poſtmodum ſubitò deſiit. Quippe Præfectus Nemeſin illam expertus, ac, ne quid inſuper gravius in ſe deſignaretur, veritus, amoliendum inde quantocyus curavit. Qua etjam de re, juvat eundem audire narrantem Ciaritium. *Quandoq; felicior eſt peccator, ſi celeri pœna percellatur: in ſe nimirum deſcendit; &, aut penitus criminoſæ vitæ labem deſerit; aut minimum remiſſiùs delinquendo inſanit. Iſtud hic factum adverte. Non ejecit ſanè ſacri loci temerator ex animo virus illud, quo turgidus, tam horrendo ſe facinorum reatu impiaverat; tamen pudendâ filii morte emendatus, mentiq; ſemori reſtitutus, atque metuens, ne graviora cæleſtis iracundiæ ſupplicia in ſe concitaret, funeſtum illud patibulum evelli, & quantocyus è loco ſacro abiici gemebundus mandavit.* Ita piſcator hic ſapuit ictus: ita plurimi alii, ut ſuo referemus loco, facti ſunt meliores *plagis Phryges.*

## CAPUT XIII.

Prædicantes, & quidam alii, de vicino Ducatu inſolentiores, cultum divinum in deſerto Lindæ loco impedire nequidquam conati.

CAſtigato ad eum, qui dictus eſt, modum, Raſtemburgenſi Præfecto, poterant imò debebant, exemplo illius ſapere alii, uti diximus, Phryges. Et ſapuiſ-

puiſſent profectò non pauci; niſi Prædicantes, quod de iis ab Apoſtolo (*a*) ſingulariter dictum eſt, *in reprobum ſenſum dati*, ut aliorum quoque ſenſus occalleſcerent, perfeciſſent. Quocirca, ipſi in primis, tum ignaviſſima quæque, ac væcordiſſima, tam de oppidanis, quàm de ordine equeſtri, ipſorum mancipia; Catholicos, deſertum Lindæ Marianæ locum reviſentes, variè incurſare atque vexare, plus quàm integro ſeculo, vix unquam deſtiterunt. Et, ne id contra jus & fas omne agere, hoc eſt, ne ſine ratione inſanire ſibi viderentur, rudiorum oculis glaucoma quoddam, è Provinciali Ducatus Pruſſiæ jure, conantur offundere. Fabulantur enim ut væcordiſſimo cuique os, quocunque tandem modo, ſublinant; Ducatum Pruſſiæ, non politico duntaxat, verùm & Eccleſiaſtico, eoque prorſum novo jure, ita gaudere, ut nullus Catholicæ Religioni ampliùs in ea parte Pruſſiæ relictus ſit locus. Quod, ut Mislenta in *Manuali*, vel ad ſpeciem quocunque modo obtineat, in omnes ſeſe partes verſando ita jactat, ut non tam diſputatorem agere velle videatur, quam juratum & Eccleſiæ Orthodoxæ, quin & inclyti Poloniæ Regni hoſtem, aut potius perduellem. Auſus eſt enim homo planè fanaticus, non modo (*b*) *Panolethriam ſeu totale exterminium Religionis Romano Catholicæ ex Ducatu Pruſſiæ* aſſerere; verùm & Jura, atque ſereniſſimorum Poloniæ Regum tum edicta, tum pacta cum ſereniſſimis Electoribus Brandeburgicis, in cauſa Religionis Catholicæ firmata, plurimis (*c*) impugnare. Verùm illi, illiusque ſociennis aut paraſtatis, abundè occurſum eſt

21.

(a) *Rom. 1. 28.* (b) *pag. d 3. & ſeqq.* (c) *à pag. t 4.*

21. Diſquiſitione Ubiquiſticâ, cæteriſque eam conſequentibus. Interim ſciant, ac tandem aliquando Prædicantes, Prædicantumque mancipia diſcant; principiò quidem, nulli in Ducatu Pruſſiæ religioni, niſi Catholicæ primas eſſe datas: deinde *Confeſſioni Auguſtanæ*, ſed nonniſi primigeniæ atque invariatæ, ſecundas eſſe partes relictas; ſed ita relictas, ut non *abſolutè*, quemadmodum vulgo dicitur, ac per ſe, ſed permiſſivè, & per ſolam indulgentiam, Catholicorumque tolerantiam, aut conniventiam locum habeat; neque (ut ad Apoſtoli mentem loquamur) Confeſſio illa, tam *Sara* liberi Iſaaci, quàm *Agar* Iſmaëlis ſervi, mater audiat. Adhæc ſciant, jus omne Catholicis eſſe, non tantùm ritu Catholico ubique in Ducatu vivendi, verùm & ad Catholici ritus uſum atque exercitationem, Templa, ſacella, Ædes ſacras atque Oratoria in ſuo fundo ædificandi; aut jam olim ædificata, ad eundem caſum reducendi. Denique ne illud, quod maximè intereſt, ampliùs ignorent; eodem illo ipſo Jure Prædicantibus, Prædicantumque ſervis, frænum ita injectum, ut ne hiſcere quidem contra debeant; tantum abeſt, ut, aut intercedere jure, ac prohibere; aut calumniarum, probrorum, maledictorum, aliarumque criminationum & conviciorum plauſtris, pro ſuo more, in Catholicos poſſint invehi. Et tamen, quid non illi toto, quo deſerta ſqualebat Linda, ſeculo egerunt? imò, quid nunc quoque non agunt? Ex iis, quæ etjamnum deſignare ſolent, pronum erit, quid retroactis egerint temporibus, divinare: multò enim plus inſaniæ, ac protervíæ tum iis inerat, quàm (quando novo reſtauratorum

Feu

Feudorum jure, tanta ſunt iis capiſtra impoſita) adhuc ineſſe queat. Cùm igitur nunc tot modis in Catholicos, præſertim in Dei ac Deiparæ religioſos apud Lindam Marianam cultores, maledictis, & probris, etjam pro Concione jactari ſolitis, bacchentur, quid dudum antè feciſſe putandi ſunt? Quid enim nunc, vicini præſertim Miniſtelli, in ore, quàm *Lindenſem Idololatriam* habent? Hanc illi è pulpitis roſtriſque ſuis pro concione deſpuere; hanc in privatis congreſſibus, tum plebi, tum primario cuique, odioſiorem, non ſine maximo ſcelere ſuo, deteſtabilioremque reddere; ab hac denique omnes quà conſiliis & ſtrophis, quà precibus & affuſis Crocodilli lacrymis arcere. Si hæc parum procedant, tum enimvero, *dignas* unusquisque ſuo *Iove concipere iras*; & ad minas, imò & ad diras, denique & ad fulgura, ad tonitrua verti ac fulmina. Nam & verbis in nobiliores, & in plebem pecuniariis multis, carceribus item ac vinculis, ad extremum verberibus quoque ac corporum cruciatu, quoties facultas aut poteſtas eſt, ſævire, non eſt, neque olim fuit iis inſolens. Teſtes, præter quotidianam fere experientiam, omni exceptione, in hac præſertim cauſa, majores habemus ipſos illos, quos paulò antè citavimus Prædicantes; nam alter diſertè ait: *Etſi fanum everſum ſit, & acceſſus ſub pœna patibuli interdictus, adeòq; aliqui ſuſpendio iam ea de cauſa plexi, homines tamen remittere non poſſe, quin vel noctu accedant,* &c. alter verò, *ſub mulcta*, inquit, patibuli peregrinationem interdictam, eoque genere pœnæ *inobedientes idololatras affectos*. Et quæ alia cauſa religioſos homines adegit, vel etjam nunc interdum

terdum adigit, ut vel *Noctu accedant, cereos a cendant*; nisi quia omni Prædicantum conatu, & tum æris, tum corporis mulctis, suppliciisque, quò minus interdici, & commodo sibi tempore id agant, prohibentur? Ea nihilominus hominum est constantia, is religionis erga Divam Lindensem, animique ardor, ut sæpe malint extrema quæque perferre, quàm eo se asylo (in quo, tot ac tantis animi corporisque muneribus cumulantur) aut excludi, aut etjam prohiberi. Quod quàm sit verum, plurima, quæ quinto potissimùm libro afferentur, exempla docebunt; eorum præsertim, qui sub jugo adhuc Prædicantum in Ducatu gemunt. Si enim palàm accedere iis non liceat, vel per mæandros ac labyrinthos Lindam penetrare satagunt. Qua de re paucis capite sequente agendum nobis erit.

## CAPUT XIV.

Non solùm Catholici, verùm & ipsi, præsertim in vicino Ducatu, ab Ecclesia Catholica sejuncti, desertum Lindæ locum frequentant; & ipsâ adversariorum oppugnatione, magis erga loci venerationem cultumque DEIPARÆ incitantur.

QUod de stygio Tenebrarum principe, ex mente S Gregorii, divinus vates Jobus (a) juxta editionem LXX. dixit, *Myrmicoleon periit*; de ejusdem Principis satellitibus ac Ministris, dici universim potest. *Rectè*, inquit ille (b) *Myrmicoleon, id est, Leo & formica dicitur antiquus hostis; quia sicut contra consentientes fortis est, ita contra resistentes debilis. Si enim eius suggestioni-*

*bus*

(a) *cap.* 4.11. (b) 5. *moral. c.* 17.

Digitized by Google

*bus aſſenſus præbetur, quaſi Leo tolerari nequaquam poteſt: ſi autem reſiſtitur, quaſi formica atteritur. Alius ergo leo eſt, alius formica; quia crudelitatem illius carnales mentes vix tolerant; ſpirituales verò, infirmitatem illius pede virtutis calcant.* Eundem prorſus in morem, ſatellites ipſius ac Miniſtri, Leones eſſe ac videri volunt, & interdum quoque ſunt; ſed nemini, niſi aut ad terræ & cæni, aut ad carnis & ventris cultum paſtumque abjecto; hoc eſt, nonniſi viliſſimo, væcordiſſimo, ac ſordidiſſimo cuique. Nam iis, qui aliquid generoſæ ſtirpis, ac ſpiritus indolisvé habent, nihil aliud, niſi Formicæ ſunt. Patuit hoc & in iſtis, quibus de agimus, ad Lindam Marianam velitationibus. Si quos enim, in Martio illo campo, inveniſſent degeneres, facilè Leonem mentiti, ad ſua antra pecus ignavum abduxerunt: ſin verò in conſtantioris animi pectus incurriſſent, jam è leonibus vidiſſes continuò formicas, non ſine anxietate humi perreptantes. Atque ii quidem, qui è vicino Epiſcopatu Varmienſi, vel aliis Catholicæ Eccleſiæ provinciis, aut Diœceſibus Lindam adventabant, non poterant vanas Myrmicaleonum iſtorum ſive minas non ridere, ſive ſannas non miſerari. Sicut enim minis, nihil niſi fulmina in pelvi jactabant; ita ſannis ſuis, nihil niſi ſacrilegam & blaſphemam, in Deiparam cælitesque mentem, exhibebant. At verò ii, qui è vicino Ducatu, aut locis furori Prædicantum utcunque obnoxiis Lindam itidem commeabant, quoad per vim licuit, palàm & apertâ luce, ſuum in Deiparam cultum teſtabantur; ſin vis urgeret, noctu, & per tenebras, quà tandem licuit, tanquam Nicodemi adrepebant;

bant; atque illi, qui *videt in occulto*, in ipſius Genitricis cælitumque conſpectu, ſua ex animo vota reddebant. Quod quidem etjam hisce temporibus faciunt, eò frequentius, quò magis Prædicantum minæ atque imperia evileſcunt, ac ſenſim pro merito, quaſi ſubnervantur. Quemadmodum igitur olim factum, ita hodie quoque ſpectare licet frequentes è Ducatu, tametſi necdum ritè Catholicos, non modò locum Deiparæ ſacrum adire; verùm etjam, ad Catholicorum morem, ſi ſacramentorum uſum demas, cætera propè omnia uſurpare. Nam alii quidem cereos manu præferunt (iisdemque in loco accenſis, vel ipſum circumquaq; ſacellum, vel certe Principem ſacelli Aram, venerabundi obeunt) alii nummulos, vel alia, pro more, donariola in ſacelli uſum offerunt: alii verò, & quidem frequentiſſimi, pecora pecudesque ſuas, ad locum ſacrum adducunt, & minimum ter circa ſacellum circumagunt; evenitque propè ſemper, ut, qui animantes morbo aliquo proſtratas, aut vehementer afflictas deduxerant, ſanas repente atque incolumes reducant. Quæ fere potiſſimùm cauſa homines illos, cæteroqui minimè malos, & ſub jugo Prædicantum graviter gementes, ad Lindam Marianam plerumque cogit. Memini ante viginti & aliquot annos, cùm poſtliminio è Lituania in Pruſſiam reverterer, deque beneficiis Lindæ à DEO congeri ſolitis, adeoque & de ipſa Linda Mariana non admodum multa adhuc nôſſem, ex ipſius Ducatus incolis non pauca illo itinere didiciſſe. Inter cætera, cùm percontarer, an etjam ipſi locum nôſſent, vel interdum frequentarent? diſertè reponebant, ſe verò & nôſſe,

nôſſe, & frequentare quo enim aliò, in ſuis ac ſuorum anguſtiis, quàm ad illud, quod Deus benigniſſimè aperuiſſet, aſylum (ut ipſi ajebant) ſeſe reciperent? Cùm porrò ampliùs rogarem; nunquid à ſuis Miniſtris inde arcerentur? ſe enimvero arceri dicebant, imò & minis, & variis multis, ac pœnis inde excludi: ſed quid facerent, aut quò ſe verterent? quibus neque apud ipſos, neque apud ſuorum quenquam, ullum à Deo ſubſidium, in præſentibus calamitatibus eſſet relictum? malle proinde ſe & minas, & multas, & ſupplicia cætera inſuper habere, quàm paratis eo loco Dei beneficiis fraudari: ſimul etjam innuebant (quod & nunc haud raò faciunt) ſe, ſi per eos, quibus ſubjecti ſunt, fas eſſet, ad Catholicam facilè reverſuros Eccleſiam. Atque hæc plurimi, quibus & pietatis & animi plus aliquantò ineſt; qui verò ſuorum minis aut terroribus ita moventur, ut frequentare aut accedere ipſi locum non poſſint, committere tamen non poſſunt, quin per alios eò recurrant, & per eosdem vota ac donaria ſua curent deferri. Vivit hodieque in civitate viciniore, vidua Catholica, tenuioris quidem conditionis, ſed pietatis non poſtremæ; quæ à plerisque tum agreſtibus, tum etjam oppidanis, nonnunquam verò etjam ab equeſtris Ordinis hominibus, mitti Lindam, eorumque vota & anathemata deportare ſolet. Neque aliis in Ducatu locis deſunt, qui id ſuo, aliorumve nomine perſæpe faciant. Ita frendentibus & nequidquam contra nitentibus adverſariis, Deus locum, & in loco Deiparam honorat; ut hic iterum uſurpari illud Regii vatis queat: *Peccator videbit, & iraſcetur; [illegible] fremet,*

*met, & tabeſcet. Deſiderium peccatorum peribit*: vel illud jam citatum Jobi, *Myrmicaleon periit*.

## CAPUT XV.

Deſerti Lindæ loci religio & ſanctitas, gemino apud homines Catholicos prodigio egregiè aſſerta.

PLurimùm intereſt, quo quis animo, quamcunque in rem, ſpirituq́ue feratur: nam & opus, quod in oculos incurrit idem eſſe poteſt, & meritum nihilominus mercesq́ue operis, longè diverſiſſima. Sic etjam in iis, quæ quâdam animi nauſeâ faſtidimus, evenire ſolet. Nam ſunt, quæ alter pro conſcientiæ teneritudine, alter pro ſupercilio duntaxat, non admittit. Non defuerunt inter Catholicos quoque, qui deſerti Lindæ loci religionem necdum ſatis (uti quidem ipſis videbatur) aſſertam, palàm exemplo authoritateq́ue ſuâ aſſerere, magnæ ſibi ducerent religioni: ne fortè, uti non raró uſu venire ſolet, plus alicubi de anili ſuperſtitione, quàm de vera virtute ac ſanctimoniæ pietate aſſertum irent. Quæ etjam cauſa fuit *Henrico Hindenbergio* Cantori & Canonico Varmienſi, ut non facilè ea, quæ de Lindæ Marianæ, etjam deſolatæ, ſanctimoniâ ac religione palàm vulgo ferebantur, perſuaderi ſibi pateretur. Erat ille non modò ſeverioribus diſciplinis, ſub magno illo Theologiæ, Theologorumq́ue hujus ævi Doctore, Franciſco Soario, Romæ admodum excultus; verùm & geſtis in patria muneribus (nam & ſub Cardinali Andrea Bathoreo, & ſub Petro Tilicio Varmienſibus Epiſcopis, Cancellarium egerat, & ſub Rudnicio deinceps maximis quibusque negotiis adhibitus fuit)

graviter perfunctus, ut non ſatis videretur decere tantum virum ad quamcunque vulgaris auræ famam commoveri, ne dicam inclinari. Interim tempus incidit, quo Simon Rudnicius, Epiſcopus Varmienſis, pro ea, quam ſemper Varmiæ ſuæ curam providentiamque habuerat, limites cum Ducatu Pruſſiæ communes, recenſeri, & conſtitui, per delectos partim ab ſe, partim à Duce Pruſſiæ arbitros, ſatagebat. Multum ea res, tum ad ipſius Eccleſiæ commoda, tum ad pacem, quæ inter Provinciæ utriusque populos, ſanguine & cædibus nonnunquam fuit redimenda, pertinebat ſtabiliendam: ut gratiæ Rudnicio ſingulares à poſteris agendæ ſint, qui & curâ induſtriaque ſuâ, &, quâ apud Sereniſſimum Electorem Brandeburgicum Joannem Sigiſmundum, amicitiâ, & authoritate propè paternâ, multùm valebat, tantam de regundis pangendisque finibus controverſiam ſopierit. In ea cauſa, cum inter arbitros Hindenbergius quoque delectus verſaretur; jamque cæteris ex ordine finibus recenſitis, Lindam versùs cum cæteris eſſet progreſſus, interpellatus à collegis ſuis eſt, ut, quanquam deſertam, vicinam tamen Lindæ Marianæ ſedem unà reviſeret, & more majorum, piè veneraretur. Ille, qui aut plebeculæ ſuperſtitionem adhuc eo loci ſuſpectam habebat: aut, ne quid temere, in rebus præſertim ſacris, aggrederetur, plus æquo verebatur, comitem ſe tandem in viam dat. Ubi ſacelli deſerti area primùm in conſpectum venit, equo, quo vehebatur, calcaria animosè addit, in ipſum uſque areæ locum, uti deſtinàrat, unà cum equo evaſurus. Verùm equus, ubi proximè aream ventum eſt, ſubitò immo-

immotus conſiſtere, &, tanquam humi fixus, eſſet, hærere! cumque acriùs identidem calcaria ſubderentur, promovit quidem tantiſper gradum, quoad ſacelli Aream proximè attigit. Hic enimvero, ut loci videlicet dignitatem bellua teſtaretur, in genua poplitesque repente procubuit, ſuoque herum exemplo ad venerationem inclinavit. Neque herus cunctari ampliùs potuit, quin momento deflueret ex equo; atque ipſe etjam in genua provolutus, DEUM & magnam DEI Matrem, eò majore coleret reverentiâ, quo majoribus jam ſtimulis erat adactus. Geſta ſunt hæc, præſentibus omnibus finium regundorum arbitris, viris graviſſimis, ex utraque Provincia: uti diximus, delectis ac delegatis; populique, qui ſive loci ſacri viſendi, ſive finium, uti fieri ſolet, luſtrandorum causâ aderat, non minimâ multitudine ſpectante. Sed & ipſe Hindenbergius, nunquam aut loci religionem, aut DEI, & Deiparæ in ſe benignitatem deſtitit prædicare, quoad vixit; vixit autem maximâ apud omnes authoritate & gratiâ; quoad bello Suecico, in Traumburgenſi caſtro (quod aliis Canonicis aliò dilapſis, ipſe deſerere noluit) captivus Elbingam à Guſtavo ductus; indeque biennio adhuc ſuperſtes ad meliorem vitam & illud gloriæ æternæ Templum, uti ſpes eſt, fuit translatus; exuviis corporis in Templo Langualdenſi (eo ſiquidem ratione fundi paterni Wilcken dicti, pertinebant) depoſitis.

Non longo inde temporis intervallo, aliud, quantumvis deſerta atque exciſa Linda Mariana edidit miraculum, quod pleriſque Reſſelienſibus, ad hanc uſque diem, non modò in memoria, verùm & in

oculis verſatur; quippe quod omnium oculos, quo tempore emicuit, ſplendore ſuo quadantenus perſtrinxit. Prætorem agebat Reſſelii perpetuum, vulgus *Scultetum hæreditarium* appellat, Dominus Fridericus Berendt, cujus etjam ſequente libro facienda erit mentio. Facilè cæteris domi foriſque authoritate, gratiâ, & opibus anteſtabat; quippe, qui juventutem in magnatum aulis, magna cum induſtriæ virtutiſque commendatione exactam, ætatis maturioris gravitate ita ornabat, ut vel ab ipſo euntis inceſſu & maturitate quadam in eo emicante, vulgari diverbio, de Friderici gradu, locus fuerit (*a*) is procedente ætate, uſu oculorum privatus, fortunam ſuam generosè tulit: at ubi filiolus Carolus, quem habebat unicum, gravi & periculoſiſſimo depoſitus eſt morbo, ita ut remediis omnibus fruſtra conſumptis, non tam vita, quàm extrema pueri cum morte lucta & agon quatuordecim integros dies tenuerit; miſerandus parens, qui ereptum oculis cæli lumen, in unico filiolo (quem luce ipsâ cariorem habuerit) utcunque ſibi ſarciebat, ne ea quoque lux ſibi eriperetur, ad veri luminis Matrem confugit, & votum, Lindam Marianam quantocyus viſitandi, nuncupavit. Ne verò etjam minima in exolvendo voto mora, vel vitam tenuiſſimo jam filo pendentem abrumperet, vel ipſi morbo, doloribuſque filii, moram tempuſque produceret, accelerandum quàm maximè ratus, tum viæ ducem (qui cæcum in itinere regeret) tum viæ comites non paucos, eoſdemque apud DEUM & Deiparam deprecatores futuros, quàm citiſſimè ſecum rapit.

(a) Friderich Berendts tritt.

rapit. Ventum est, Lindam exiguo quidem sed admodum pio supplicantium agmine (nam & virgines, quæ in Conventu, communique convictu religiosam, & certis, quanquam non solennibus votis adstrictam vitam paulò antè Resselii inchoârant, agmini erant adjunctæ) & vota cùm à cæteris, tum à parente pro incolumitate filii rite persoluta. Et jam spem inter ac metum anxius domum repetebat parens, cùm ædibus appropinquanti, Carolus filiolus jam sanus, & ab omni proximi morbi periculo prorsum immunis, lætus & exultabundus occurrit; non sine ingenti omnium admiratione aut potius stupore; nec minore erga DEUM ac DEIPARAM gratiarum actione. Ita Fridericus restituto Deiparæ ope filio, quem cum piissima illa Tobiæ Matre (a) *Lumen oculorum* appellare potuit, ipsum quadantenus lumen oculorum recepit. Idem enim Carolus, quâ erat pietate in parenté, etjam cùm Brunsbergensis Collegii scholas jam adolescens frequentaret, cæcum parentem, manu humero suo innixum ductabat. Brunsbergam enim, venditis Resseliensi civitati fundis, juxta commodissimè adjacentibus, se parens transtulerat, & fixa in ædibus Parochi statione, Templum Societatis, in quo matutinum tempus omnino totum quotidie conterebat, filio ductorem ultro citroque semper agente, frequentabat; in quo etjam postmodum conditus quievit, quoad Suecico bello, avarus miles stanneo loculo, quem rapuit, ossa ejecit. Porrò Carolus, uti P. Simon Hein in commentariolo suo disertè scribit, *vixit adhuc Vormditi, cùm hac*



(a) *Tob. c. 10. 4.*

*per oculatos præſentesq́; teſtes probata ſcriberem*: ſed & hodie, ut ſpero, vivit in Monaſterio Olivenſi Ordinis Ciſtercienſis, ad quod ſe uxore Vormditi defunctâ, jam pluribus abhinc annis, vitæ religioſiùs inſtituendæ causâ, recepit.

## CAPUT XVI.

Primum ſupplicii genus, in eos, qui deſertum Lindæ Marianæ locum contemnere, vel temerare auſi ſunt, divinitus deſignatum; Terrores & Minæ.

Pia fortaſſe videri poteſt vox, aut etjam mens, impii Apoſtatæ Juliani Auguſti, qui Nicephoro teſte (*a*) negabat quidquam fauſti ac fortunati evenire poſſe iis, qui Cybelen Deûm Matrem minùs honorarent: pia enimvero & vox & mens eſt Ruperti, qui (*b*) Deiparam alloquens, *Tanta*, inquit, *es, ut Te honoret ipſe ſol Chriſtus honore, quo decet Filium honorare parentes ſuos. Qui enim dixit: Honora patrem & matrem, non dubium, quin & ipſe honoret, & ab omnibus amicis ſuis velit honorari Matrem.* Similiter & Methodius (*c*) eandem affatus, *Euge, euge*, inquit, *quæ debitorem illum habes, qui omnibus mutuatur! DEO enim univerſi debemus; Tibi autem etiam ille debet. Proinde, qui dixit: Honora patrem tuum & matrem tuam, ut is decretum à ſe promulgatum obſervet, & alios excedat, omnem Matri & gratiam & honorem impendit.* Qui igitur vult honorari Matrem, quidni jure animadvertat in eos, qui Matris derogant honori? quidni, quemadmodũ ſæpiſſime alibi, ita quandoque & Lindæ ſtatuat aliqua in eos exempla,

(a) *lib.* 10. *c.* 22. (b) *lib. in Cant. penult.* (c) *orat. de Purificat.*

empla, qui neglecto DEI, Deiparæ, lociqve religioſiſſimi cultu ac reverentiâ, novos ſeſe Gygantes orbi ſpectandos exhibent? Pauca de multis exempla producemus, ſumpto à mitioribus, quippe quæ ultra Minas & Terrores non proceſſerunt, exordio.

Menſe Decembri Anni 1637. ſupremum clauſit diem Reſſelii, opificio Victor Wilhelmus Lebbert: qui (quemadmodum P. Simon Hein Soc. Jeſ. in commentarium retulit) moriturus de ſe palàm faſſus eſt, plures ante annos, cùm iter aliquando ingreſſus ſqualentem adhuc Deiparæ Lindenſis aream præteriret, nec quidquam, niſi acervum ruderum poſitum ante oculos haberet, gradu propiùs admoto, vidit inter rudera nummulos aliquot *Peelchen* vulgo dictos; quorum tum uſus admodum rarus nunc planè nullus jam eſt; valor autem ſingulorum, dimidium æquabat ſeſtertium. Terna ejuſcemodi numiſmata aufert, & ita cæptum proſequitur. Paucos poſt dies, eadem viâ reverſus, videt miro ſplendore præeuntem ante ſe Virginem, & acervum lapidum verſus procedentem. Quo poſtquam venit, ſubſtitit; &, quanquam verbum protuliſſet nullum, protensâ tamen ad reum manu atque graviter minitabunda, viſa eſt reo, quod ipſe quoque fatebatur, tacitè dicere, cave, ſîs, ne quando propiùs acceſſeris, ut aliquid hinc auferas; ne fortè gravius tibi quid eveniat.

Valuerunt apud Catholicum pectus Virginis minæ; ut, cùm deinceps viginti circiter annos vixerit, nunquam Deiparam, nunquam ſacrum Deiparæ locum, venerari deſierit. Quin & apud Hæreticum, ſectâ perinde atque genere ſuo tumentem, ſive Virgi-

nis, ſive alterius fuerint minæ, plurimùm valuerunt. Rem ita percenſet Ciaritius.

*Vir quidam Nobilis, in vicinia ſacri loci habitans (nomen conſultò tacetur) præteribat ſqualentem Marianæ Tiliæ Aream, eo tempore, quo patibulari Cruce illa adhuc eſſet dehoneſtata. Solutus itaq; in riſum, ſubſannans lætabatur locum ſacrum dedecoroſo patibuli tormento funeſtatum. Cumq; Chirothecis, quas manu gerebat, inſultaret minabundus; conſpexit ſubitò mirabundus, Chirothecas ſibi inſenſibiliter ereptas, è patibulo pendere; unaq; vocem expaveſcendam audiit; ne idipſum tibi contingat, cave. Exanimatus fere metu, homo gradum corripit, & cæleſtibus minis edoctus, religioſiorem ſe deinceps exhibuit loco ſacro; etjamſi ipſe veræ religionis exſors maneret.*

Memorat Fridericus Fornerus lib. I. *(a)* de miraculoſis B. Virginis Weyerenſis Beneficiis, *notatu*, ut ille ſcribit, *& admiratione dignum vetuſtatis teſtimonium, ad noſtra uſque tempora*, circa Haslacenſe ſacellum, à S. Ottone Bambergenſiũ Epiſcopo, & Pomeranorum Apoſtolo dedicatum, *perſeverans. Neque enim aut muro, aut foſſis, ut complures in eo tractu, illa cincta eſt Eccleſia: quàm latè tamen ac longè, luſtralis aqua, Eccl[illegible]rum dedicationi, Apoſtolico ritu, adhiberi ſolita, ter[illegible] aſperſit, nulla planè Beſtia ſive domeſtica ſive fera, & ſilveſtris, tranſire aut ſolet, aut poteſt. Sed quid, ſi vi impellatur, ut terminum transgrediatur? Certa eſt, & uſu millies comprobata experientia; aut ilico perit; aut uno vel utroq; lumine orbata excæcatur; aut claudicatione, aut alio infelici eventu debilitata, prorſus inutilis redditur.* Haud diſſimile quiddam apud Deiparæ Lindenſis

Ædem

(a) *cap. 4.*

Ædem evenire conſuevit. Non illa aut muro, aut foſſis cincta, quin exciſa à ſectariis fædè ſqualebat; & tamen Beſtiis (quæ enim magis dici poſſunt Beſtiæ quàm homines, vitâ & moribus feri?) vel ad ipſum ſacelli deſerti locum, haud facilis patebat aditus. Etſi enim Deiparæ, cùm alibi tum apud ſacram Lindam ſuam, beſtiolas, quemadmodum lib. I. cap. ultimo, ex Revelatione S. Gertrudi facta didicimus, ad pallium ſuum confugientes, non modò admittat, verùm & manibus placidiſſimè permulceat; ſi quæ tamen feritatis necdum oblitæ, pallium Deiparæ non tam ſubire, quàm ſcindere parant; non ſecus, atque apud ſacellum Haslacenſe, cæcitate vel aliis mactantur malis, ut, quæ neque minis, neque terroribus perdomari ad propriam ſalutem poterant, ſuo, ad aliorum commoda, exitio caſtigentur. Quòd ſi quando, eodem in loco non caſtigentur, alibi tamen hocipſum, vel aliud ſupplicii genus vix effugiunt. Sub Annum M. DC. X. in ipſo Lindenſi fundo piſcator, Lutheri ſectâ imbutus, degebat. Pro animi vel potius ſectæ protervia, tempore Reſſelium iter ingreſſurus, candelas aliquot, inter ſacelli rudera jacentes (ſive ut venderet, ſive ut ad pocula ganearumque menſas abſumeret) ſuſtulit. Haud longè inde aberat, & quæ à piſcatore gerebantur, haud incurioſus ſpectabat Eccleſiæ Reſſelienſis Ædituus: qui ubi Reſſelium unà revertit, piſcatorem, uti ſacrilegii reum, ad Prætorem defert. Agebat illo tempore Prætorem, uti, & poſtmodum Conſulem, Dominus Joannes Schultz, perilluſtris & adm. R. D. Laurentii Schultz Canonici Pultovienſ. & Præpoſiti Viſnenſis (qui hæc ore manuque ſuâ teſtatus

ſtatus eſt) parens: reumque ex jure & æquo conventum, perurgeri ſinit. Ille, ut ſacrilegis mos eſt, facinus pernegat. Sed conſcientiâ, reum, magis quam Actore perurgente, factum, ut candelæ ſacrilegio ablatæ, occuli ac celari ampliùs non valuerint. Ultro enim, ac ſuâ quaſi ſponte, è ſinu vel ſacculo, quo abditæ erant, prodeuntes aut potius prorumpentes, conſcientiâ jam victum, & pudore inſuper graviſſimo perfuſum, ad facti confeſſionem adegerunt. Faſſus igitur tandem, juſſus eſt ablata piè reſtituere; &, ut facinus utcunque expiaret, quaſi ſacri cujusdam fænoris inſtar, tantundem inſuper adjicere cereorum.

## CAPUT XVII.

Alterum ſupplicii genus in eosdem, cæcitas.

QUi hîc ſequuntur, vix paria, ne dicam graviora prioribus videntur in locum ſacrum admiſiſſe flagitia; & tamen paulò graviora ſunt experti ſupplicia: ut vel hinc pateat, ea, quæ è ſacrilegii quaſi fontibus promanant facinora, ab ipſo quodammodo ortu atque ſcaturigine, quandam ſecum trahere gravitatem ac fæditatem; cumque in ſe videantur leviora, nihilo tamen levioribus ſuppliciis divinitus interdum plectantur. Impura illa apud Ægyptios mulier (*a*) integrum caſtiſſimo juveni Joſepho pallium vi rapuit; neque tamen ſubitò ob id memoratur caſtigata: at Saul (*b*) ſacrum Prophetæ Samuelis pallium nonnihil laceravit, & regno protinus à Deo exuitur. Ille, ut ſacer textus ait, *apprehendit ſummitatem pallii; Et Samuel*

(a) *Geneſ.* 39. (b) 1. *Reg.* 15. 17.

*muel ad eum ait: Scidit Dominus regnum Iſraël à te hodie.* Haud procul Jericho latrones hominem innoxium invaſerunt, ſpoliârunt, & *plagis impoſitis abierunt ſemivivo relicto* (*a*) Abierunt patrata ac propè perfecta cæde latrones; at eodem fere loco *Achan* (*b*) *regulam auream* & quædam de Anathemate Jericho furatus, lapidibus obrutus, & igne, unà cum omni domo ſua, abſumptus eſt. Ad eandem juſtitiæ divinæ normam, in quosdam apud deſertam Lindam ſacrilegos, videtur animadverſum.

Sensburgum oppidum eſt in Ducatu Pruſſiæ, Reſſelio quidem trium, Linda verò duarum circiter horarum ſpatio diſſitum. Eo cùm R. P. Jacobum Lachoroski Societatis noſtræ Provincialem Reſſelio comitatus, Anno 1638. die 24. Maji veniſſem, Georgius Poſchot, ejusdem oppidi civis, aliique plurimi, qui ad ejusdem ædes convenerant, id, quod ſequitur, tanquam omnibus in oppido viciniſq; pagis omnino notum, me aliisque tribus de Societate coram audientibus retulerunt. Martinus, vulgo Tiſchper dictus, opificio pellio, paulò antè defunctus; triginta circiter retro annos, varia, pro more, loca opificii ſui exercendi gratiâ peragrans, Lindam delatus, cereum, quem fortè in ſacro loco repererat, abſtulit, & ſecum aſportavit Sensburgum. E veſtigio vindicta de cælo hominem comitata eſt. Vix oppidum erat ingreſſus, cùm oculis ſubitò captus eſt, Amici interim, cognito hominis ſacrilegio ſuadent, ut pænitentiâ facti ductus cereum referret. Paruit ille; Lindam reviſit, & continuò viſum recepit.

Gemi-

(a) *Luc.* 10. (b) *Ioſue* 7.

Digitized by Google

Geminum huic prope eſt, quod Ciaritius hiſce verbis percenſet. *Caſpar Piſcator, in proxima ad locum ſacrum domuncula habitans, acceperat aliquantam pecuniam ex acervo lapidum Mariana area; in uſus neceſſarios illam abſumpturus, & ludibrio religionem loci ſacri habiturus. Vix domum remeaverat, actutum conſequitur ſacrilegum hominem ultro. Subitâ cæcitate ictus, animadvertit, juſtè ſe ſacrilegii reum pœnas pendere. Reſipiſcens igitur, ducente eum uxore, locum ſacrum furto violatum adit, anathema reſtituit; divinum Numen propitiat; Virginem Matrem apprecatur; & propere viſu reſtituto, uxoris ductu ampliùs non indigens, caſtigatior & melior in caſam ſuam reverſus eſt. Certò factum aſſerebat Godofredus Baro ab Eulenburg Anno 1623. 13. Februar, ſed Dæmoni adſcribebat. Non abſimilis illis, qui Chriſti Domini miracula, in Belzebub Principem Dæmoniorum transferebant.*

Neque diſſimile eſt, quod, ad Nobilis viri Chriſtophori Portugal narrationem, idem Ciaritius hiſtoriæ ſuæ inſeruit. *Matthias quidam, è Villa Lachsdoia Hortulanus, ſuſtulerat nummulos aliquot de loci ſacri Area. Cùm domum rediiſſet, ſubitò cæcitate percuſſus eſt. Accurrit uxor ad dominum pagi, queſtum miſerandum caſum mariti. Ille, homo minimè malus, ubi vir fuiſſet, quidvè egiſſet, ex muliere quæſivit. Retulit mulier id, quod res erat. Mandat Nobilis, tantundem pecuniæ, quantum ſublatum fuerat, ſumat, & præterea aliquantum addat: virumq; eò ducat; ut violatam religionem in loco delicti expiet. Facit, quæ conſulebantur, mulier: & triduo pòſt, viſum perfectè virum recepiſſe gaviſa eſt.*

## CAPUT XVIII.

Tertium, & quidem gravius supplicii genus, artuum viscerumque cruciatus, vel ipsa etjam mors.

PRolusisse hactenus videri potest divinæ æquitas justitiæ, si ad ea, quæ jam referentur, quæque fortasse aliis, in locum Lindensis Deiparæ sacrilegis, irrogavit, respicere quis voluerit. Et quoniam proximum è pago Lachsdoja exemplum produximus, ad eundem cum Ciaritio pagum revertamur.

*Ernestus Sartor*, ut ille scribit, *ex eodem pago Lachsdoja, rapuerat Coronulas aliquot cereas, quæ ad locum sacrum voto piorum delatæ fuerant; & domum reveniens, insolenter sese efferebat apud loci Dominum: velle se, inquiens, aliquot noctibus, ad lumen sublatorum cereorum, suturam suam egregiè promovere. Corripit Nobilis sceleratì hominis factum; ipse vilipendit. Sed confestim eum divinæ ultionis manus tetigit, pedes enim manusq; in spiras contrahuntur: illi gressui, hæ operi inutiles redduntur: & eò usq; acerrimo dolore convelluntur; donec alias coronas cereas emi, ad locum sacrum deferri, & reponi loco priorum curâsset. Postquam hoc factum, membra etiam, cessante dolore, ad pristina officia revertuntur.*

Magna hæc alicui videatur in sacrilegum pœna, sed multo erat illius major culpa, quemadmodum & DEI Deiparæque, pœnam ita facilè relaxantis, maxima pietas & clementia. Non est eandem assecutus, qui proximè, ab eodem Ciaritio memoratur.

*Homo quidam*, inquit ille, *extremè malus (Pomeranus fuisse dicitur) nobilis cuiusdam è proximo Oeconomus, cùm multas frequenter loco sacro contumelias, & verbo, & re in-*

*ſans, ac ſpumans, animam prægravatam epulis infeliciter efflavit.*

Cui, obſecro, infelicem hunc Miniſtellum compares? Antiocho Regi ſacrilego, qui ob Templum Dei Jeroſolymis pollutum & ſpoliatum, *diro viſcerum dolore, & amaris internorum tormentis* dicitur (a) extinctus? an verò impiiſſimo omnium hæreſiarcharum Arrio, qui ut Beda (b) ſcribit, *fuſis per poſteriora viſceribus, cunctis finem hæretica docendi; & Hæreticis digna ſupplicia ſubeundi principium miſerè invenit?* Equidem, ſi & flagitia, & ſupplicia juxta componas, non modò utrique illi verùm & Judæ Iſcarioti propè affinem dixerit: nam & cum Antiocho locum ſacrum fædiſſimo ſacrilegio polluit; & cum Arrio atque Juda, ubi priùs, id, quod ipſis viſceribus ſpurcius eſt, effudiſſet, etjam animam infelicem, ſpumans atque in omnes ſeſe partes verſans, incertum qua parte, effudit: ut ſcilicet *agnoſceremus* (lubet enim S. Ambroſium (c) jam loquentem audire) *ſimilem Iudæ proditoris, Arrii quoq; fuiſſe perfidiam, quem ſimilis pœna damnavit; effuſa ſunt enim & Arrii viſcera; pudet dicere ubi. Atque ita crepuit medius, proſtratus in faciem, ea, quibus Chriſtum negaverat, fœda ora pollutus.* Quin & Sedulium, affine quiddam Poëticâ tubâ canentem audiamus:

*Arrius infelix! qui curva per avia, rectum*
*Flectere niſus iter, foveam delapſus in imam*
*Corruit, & tetri merſus petit ima profundi,*
*Tam vacuus ſenſu, juſtæ quàm tempore pœnæ*
*Viſceribus fuſis vacuus quoque ventre remanſit.*



(a) 2. *Machab.* 9. 5. (b) *ad* 1. *Reg.* 5. (c) *lib. de fide cap.* 9.

Et quid mirum, ſpurciſſimum Prædicantem pœnâ Judæ & Arrii dignum cenſeri, cùm eandem, juſto DEI judicio, quanquam ob leviora ſacrilegia, & Gentilis quidam, ob vaſa ſacra impuriùs tractata, & Arrianorum nonnemo, ob ſellam (quâ D. Athanaſius in Templo docens Alexandriæ utebatur) convulſam, jam olim ſint experti? De hoc ipſe S. Athanaſius (a) *Arrianus*, inquit, *juvenis auſus ſellam ligneam Templi Alexandrini convellere, fragmento ligni inde in ventrem reſiliente, inteſtina ſua perforavit; & eâdem vi, quâ ſolium diſrumpere conabatur, ruptâ alvo, inteſtina effudit; celeriusquè quàm ipſe Thronum auferret, Thronus ei vitam ſuſtulit*. De illo verò, S. Chryſoſtomus (*b*) *Auſus*, inquit, *impuris manibus ſacra vaſa contingere; hos etiam non contentus, ſed contumeliâ ulterius progreſſus (vaſis enim inverſis, & ſuper pavimentum collocatis ſuper ea, deſedit) è veſtigio pœnas dedit. Illius enim verenda, vermiculos generârunt; qui mordicus partibus putribus inhærebant; atque illum ita demum, multis diebus abſumptum, perdiderunt.*

LIBER

(a) *in Epiſt. ad ſolit. vitam agentes.* (b) *lib. contra Gentiles.*

# LIBER III.

## *De Lindæ Marianæ vindiciis, inſtaurato ſacello, & rebus ad Annum MDCXXX. geſtis.*

## CAPUT I.

E ſqualore & vaſtitate Lindæ Marianæ, Catholicorum & omnium piorum ſqualor; recuperandæque ac reſtaurandæ Lindæ deſiderium.

QUanquam ſacer Lindæ Marianæ locus, per integros propè centum annos, nunquam ſive beneficiorum divinorum, ſive variorum miraculorum ac prodigiorum, quemadmodum vidimus, luce deſiit coruſcare: ipſe tamen, qui oculos everberabat, loci ſqualor atque vaſtitas, non poterat omnibus piis non afferre ſingularem animi ſqualorem atque triſtitiam. Si enim cæterorum à ſectariis adhuc occupatarum ac pollutarum ædium aſpectus, etjamnum gravem animis dolorem affert, quidni illa tam fæda & tam diuturna ſacræ Lindæ vaſtitas afferret? Quantò enim Linda aliis ſive Templis, ſive locis ſacris, miraculorum, beneficiorumque divinorum ſplendore, clariùs effulſit, tanto illa, quàm loci ſqualor, non animis modò verùm & oculis ſpectantium incutiebat caligo atque tenebræ, graviores accidebant. Non deerant, qui cum Rom. Oratore tot urbium ac Templorum, cum dolore ſpectarent ac miſerarentur cadavera (quid enim ea ſpiritu ac vigore veræ religionis deſtituta

 aliud,

aliud, quàm cadavera cenſueris?) haud magnopere ſpiritum illum deſiderabant Lindæ, ubi ob ingentem loci religionem abeſſe ſpiritum non poſſe ſciebant; deſiderarent nihilominus anxiè ipſam quaſi exterioris reſurrectionem corporis, atque ad optatiſſimam (per vindicias reſtaurationemque loci) Anaſtaſian anhelabant. Neque ſpe excidebant ſuâ. Nimirum uti Arbor, foliis ac frondibus hiberno frigore decuſſis, ſuâ nihilominus radice nititur; & dum inamœnum ſui aſpectum intuentibus objicit, futuri ſimul veris, &, cum vere ſuæ amænitatis atque gratiæ, fructuumque inſuper ſpem facit: ad eum modum & Linda Mariana, quantumvis exciſa ac deſolata, nulla quidem folia aut frondes, nullam ſui ſpeciem aut amænitatem, oculis ſpectantium objiciebat; objiciebat tamen animis, quaſi altiſſimè fixas humi radices; quibus loci religio & perennis illa miraculorum beneficiorumque divinorum ita nitebatur ubertas, ut neque temporum vetuſtate atque injuriis, neque tot ac tantis adverſariorum molitionibus aboleri poſſet aut extirpari. Quæ, ſi quis apud ſe animo verſaverit, atque inſuper illa, quæ divina ſapientia de ſe (a) prædicat, myſticè cum SS. Patribus ad DEIPARAM transferre voluerit; profectò quemadmodum v. 13. quaſi pro imperio Deiparæ Virgini demandatum audiet, *in Iacob inhabita, & in Iſraël hæreditare; & in electis meis mitte radices*: ita quoque v. 16. quaſi reſpondentem pariter Deiparam audiet; *radicavi in populo honorificato*: ſive ut Tigurina legunt, *in illuſtri populo ſum radicata*. Et quis, quæſo, uſquam ſub cælo *populus*

(a) *Eccli. 24.*

*lus illuſtris, aut populus honorificatus*, niſi qui Catholicæ gremio continetur Eccleſiæ? Et ubi aliàs, ſi non in illuſtri hoc & honorificato populo, magna Dei Mater radices egit, aut deinceps æternùm aget? Quod etſi inter Catholicos ſemper, & ubique agat, ſingulariter tamen iis locis agit, quibus ſingulares Deiparæ Ædes beneficiis, miraculiſque divinis redundantes, coruſcant Quibus locis, cùm Linda Mariana, ſingulari Dei benignitate accenſeatur, nihil mirum, ſi eodem in loco, tam altas, uti videmus, radices fixerit. Neque etjam mirum cuiquam eſſe poteſt, ſi ex tanta radicum firmitate atque conſtantia, firmam quoque ſpem in Tilia Mariana Catholici omnes defixerint, & cum venturo mox vere, reſtaurationis, amænitatis, atque fructuum maximam, quaſi ante oculos poſitam, habuerint fiduciam? Quo tempore Arbor illa Grandis, teſte Daniele vate (*a*) admotâ divinitus bipenni ſuccidebatur, continuò ſancitum fuit de cælo, (*b*) *attamen germen radicum ejus, in terra dimittite*: quo nihil aliud fuit indicatum, quàm quod idem divinus interpres (*c*) ajebat: *Quod autem præcepit, ut relinqueretur germen radicum eius, Regnum tibi manebit.* Nunquid multò æquiùs, quando illa magnæ Dei Matris ad Lindam Regia, ſacrilegis Iconoclaſtarum manibus, divinâ id permittente providentiâ, exſcindebatur, ſancitum de cælo putemus, ut ſuum Deiparæ Regnum eo loco integrum, & quidem tantò magis maneret, quantò altiores eodem loco radices, pietas erga Deiparam atque religio tot actis retro ſeculis egerant? Quas quidem radices ita fixas, cum homines



(a) *cap.* 4. (b) *v.* 20. (c) *v.* 23.

mines Catholici intuerentur, non poterant non habere magnam, de renaſcitura quandoque Tiliæ Marianæ gloria, ſpem atque exſpectationem. Si enim teptantibus etjamnum ſuper terram radicibus, & per fibras, terræ leviter immiſſas, ſuccum magis ſuffurantibus quàm haurientibus, videas plerumque Arborem ſenſim prorumpere, & in virgultum ita aſſurgere, ut brevi intervallo & gramen, & humiles myricas, quibus æquo aliquandiu colludebat gradu, deſuper eminus deſpectet; quin & in gemmas, frutices, ac ſurculos turgeat, & demum frondibus ac foliis, propè ad laſciviam veſtita, in flores & fructus, non ſine gravi ſuimet pondere exuberet: quid non exſpectandum fuit de Tilia Mariana, tam altis ſemper, & tam propè firmatis nixa radicibus? Et ſanè reſpondit ad extremum tantæ exſpectationi, ut jam memorabitur, eventus.

## CAPUT II.

Simonis Rudnicii, pro reſarcienda per Ducatum, & univerſam Pruſſiam fide Catholicâ, egregii conatus; proque inſtauranda Linda Mariana primus labor atque induſtria.

QUod de magno Eccleſiæ populique Hebræi ſacerdote, *Simone* Oniæ filio uſurpavit Syracides (a) videor mihi de Simone Rudnicio Varmienſe Epiſcopo, triginta circiter ab hinc annis defuncto, uſurpare jure poſſe: *Simon ſacerdos magnus, qui in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroboravit Templum. Templi etiam altitudo ab ipſo fundata eſt; duplex ædifi-*

(a) *Eccli.* 50.

*ædificatio, & excelſi parietes Templi. In diebus eius emanaverunt putei aquarum, & quaſi mare adimpleti ſunt ſupra modum. Qui prævaluit amplificare civitatem, &c.* Ergo Simon Oniæ *ſuffulſit domum*, quia Templum ſub auſpiciis Darii Hiſtaſpis Perſarum Regis, à Zorobabele & Jeſu Pontifice reædificatum (*a*) quod ccxxx. annos uſque ad Simonis Oniæ Pontificatum, multa vel ab ipſis temporum injuriis & vetuſtate, contraxerat vitia, Peribolo, & ſubſtructionibus, aggeſtam intra muros terram continentibus, firmavit. At verò Simon Rudnicius, ſuffulſit itidem domum, quia Eccleſiam Catholicam, quæ ſecundùm Apoſtolum (*b*) eſt *columna & firmamentum veritatis*, nullo quidem ſuo vitio, ſed variis ſectariorum molitionibus in Pruſſia, præſertim verò in Ducatu, admodum inclinatam, non tam peribolis aut aggeſtis terrâ ſubſtructionibus, quàm firmiſſimis pactorum conventorum ſanctionibus, & novis Regum Reique publ. Polonæ conſtitutionibus ita ſtabilivit, ut, cùm pro ſuo more Prædicantes (Joanne Behmio in orat. ſecul. & alibi, Mislentâ in Manuali, Ducibus) Panolethriam, ſive totalem Catholicæ in Ducatu religionis ruinam jactârint, illa Simonis noſtri curâ atque induſtria, multò, quàm ante videri poterat, & ſtabiliùs ſit explicata, & explicatiùs ſtabilita. Adhæc, ille altitudinem Templi fundavit, *cum duplici ædificatione, & excelſis parietibus*; quia vel Templum in ſublime, per geminam contignationem extulit, vel in imum per adjectas ſubſtructiones, & altiſſima earundem fundamenta, ſtabilivit: Iſte verò quia Eccleſiæ Catholicæ di-



(a) 1. Eſd. 2. (b) 2. Tim. 4.

cæ dignitatem, cùm alibi, tum in contermino Pruſſiæ Ducatu, ita erexit, in ſublime, ut ſimul firmiſſimis, quà divini, quà humani juris baſibus ac fundamentis perpetuum ſolidârit. Denique ut reliqua miſſa faciamus, & ad ea, quæ hujus loci propria ſunt, accedamus, *ille prævaluit amplificare civitatem*, non modò, quia Templum exedris, porticibus, cæteriſque Templo adjunctis fabricis auxit; verùm etjam quia ipſam urbem Hieroſolymam, tum plateis & domibus, tum civibus & incolis (qui, ductis in Ægyptum, per Ptolemæum Lagi, centum viginti millibus, & antè ſub Seleuco per univerſam Aſiam ubique ſparſis, imminuti admodum fuerant) auguſtiorem vaſtioremque reddidit. Iſte verò, quia non modò in Epiſcopatu Varmienſi erectis à fundamento, vel certè egregiè promotis Templis (quale Heilsbergæ S. Stanislai pro Polonis, Seeburgi pro iisdem, alibi alia) ſed etjam in adjuncto Ducatu, quà ex iniqua ſectariorum poſſeſſione recuperatis, quà etjam recèns erectis DEI Eccleſiis, domum Dei plurimùm auxit. Hoc enim campo Rudnicii virtus maximè emicuit; ut, qui ſe Eccleſiæ Catholicæ Antiſtitem, atque ovium Chriſti Paſtorem, eſſe ſemper meminiſſet, ſemper, tum pro reſtituendis ovium mandris, tum pro ovibus ad mandras reducendis vigilaret. Et vigilavit ſanè, non accuratè minùs, quàm feliciter & fortunatè. Nam, & alibi viri nobiles in Ducatu, Templa in ſuis fundis poſita (uti Berzevicii in Liſſenau, vulgo *Liſnovvo*; Rivocii in Lentzko, Roſciſzevii in Przelaug) Rudnicio vel præeunte vel adjuvante, exactis Pſeudo-evangelicis tubicinibus, Catholicæ Eccleſiæ reſtituerunt; & ipſe

ſum-

ſummâ plurium annorum contentione, tum Elbingæ, princeps urbis Templum, Catholicæ vindicavit Eccleſiæ; tum Regiomonti, ut novum à fundamentis excitaretur (quod hodièque, quanquam necdum ad coronidem ſatis deductum viget) pari jure atque labore pervicit. Sicut autem Elbingæ, exeunte Anno MDCXVII. recuperatam de manu Prædicantum Eccleſiam Parochialem ipſe iteratò conſecravit; ita quinquennio ante Regiomonti, primum ipſe per ſe lapidem in fundamenta Catholici Templi, cum hac inſcriptione jecit:

D. O. M.

*In honorem* DEI *Omnipotentis, Beatiſſimæ Virginis* MARIÆ, *& omnium Sanctorum, nec non Patronorum Eccleſiæ hujus, SS. Andreæ Apoſtoli, Ioannis Baptiſtæ, Adalberti Epiſcopi & Martyris: Illuſtriſſimus & reverendiſſimus Epiſcopus Varmienſis, D. Simon Rudnicii, hujus Eccleſiæ Ordinarius, lapidem hunc angularem conſecratum, iuxta ritum SS. Eccleſiæ Catholicæ Rom. fundamentis impoſuit, die* XXII. *Maii, Anno* MDCXIV.

Sed hæc, aliaque id genus, maximo labore juxta ac felicitate perfecta, quanquam maxima eſſent, & ad Rudniciani immortalitatem nominis plurimùm facerent; præ Lindæ Marianæ recuperatione atque reſtauratione minora ſemper cenſebat ipſemet Rudnicius. Hoc planè campo Hercules noſter primum, hoc itidem fere poſtremum laborem; cum ſectarum monſtris exantlavit. Poſteaquam pridie Non. Novemb. currentis ſeculi Anno quarto, ad conſtantia Varmienſis Collegii ſuffragia, in Epiſcopum Varmienſ. à Sigiſmundo III. eſt renuntiatus, & in ſequen-

te Anno MDCV. Varmiam Dominicâ Palmarum, tanquam plurimarum Palmarum ex Hæreſi aliiſque vitiis futurus victor, auſpicatò eſt ingreſſus, nihil habuit antiquius, quàm ut eodem ipſo anno citra omnem moram, ad vindicandam è manibus adverſariorum Lindam adjiceret animum. Extant in Tabulario Collegii noſtri Reſſelienſis, inter alia Lindæ Marianæ monumenta, ſingulares de hac Rudnicii contentione literæ. Quarum causâ operæ precium eſt, paulò altius negotium quàm breviſſimè redordiri. Ducatus Pruſſiæ Anno MDXXV. jure Feudi collatus eſt Alberto Marchioni Brandeburgico, ultimo Ordinis Theutonici in Pruſſia Magiſtro, à Sigiſmundo I. Poloniæ Rege; admiſſus ad idem Feudi jus, tribus ejusdem Alberti fratribus, Georgio, Caſimiro, & Joanne (quartus enim frater Wilhelmus, Rigenſium egit Archiepiſcopum) ita ut maſculâ Alberti deficiente ſtirpe, ad dictos fratres eorumque hæredes jus illud devolveretur. Albertus è ſecunda uxore, Maria Brunſvigia, reliquit hæredem Albertum Fridericum; qui, patre in Japiau, matre verò Regiomonti ſimul eâdem die, quæ erat viceſima Martii Anni MDLXVIII. extinctis, in Feudum Anno proximè ſequente ſucceſſit, & Privilegio, in Lublinenſibus ejusdem Anni Comitiis dato, confirmatus eſt. Verùm cùm ab ipſo fere ſuſcepti Regiminis exordio, ad MDCXVII. uſque annum, quo defunctus eſt Fiſchhuſii menſe Auguſto, capitis animique ægritudine ita laboraret, ut vulgo nonniſi *heri infirmi* nomen mereretur (a) Curatores illi, toto illo tempore conſtitui

(a) Der blöde Herr.

ſtitui oportuit. Primus Curatorum loco admotus illi eſt, Anno eodem MDLIX. Georgius Fridericus, ſive, ut à Commiſſariis Regiis (*a*) Anno MDCIX. vocatur, Georgius ab Anſpach, tanquam Georgii ad Feudum initiò admiſſi filius, & Alberti Friderici patruelis, qui (quemadmodum ex libro Privilegiorum (*b*) conſtat, defuncto parente, primùm per Legatos, deinde verò ipſe per ſe, jus Feudi Anno MDLXIII. jam antè adierat. Georgio Friderico, & cum eo, Anſpachianâ ſive Franconicâ ſereniſſimæ Domus Brandeburgicæ familiâ, circa Annum MDCIII. à Feudo juxta ac ſeculo hoc decedentibus, altera Domus Brandeburgica, & quidem electoralis (quæ vulgo Marchiaca, à Commiſſariis verò Regiis in Cautione Anni MDCXII. die XXII. data *Onoldina* atque etjam *Culmbachiana* dicitur) primùm quidem per Joachimum Fridericum Electorem, in jus, ut vocant *Curatelæ*, deinde per ejusdem filium Joannem Sigiſmundum ejusque poſteros, in ipſum Feudi jus ſucceſſit. Prius tamen, quàm Domus Marchiaca & electoralis ſuccederet, inter alias cum Sigiſmundo III. ac Repub. Polonâ conditiones, Anno MDCV. propoſitas, & à ſereniſſimo Joachimo Friderico Electore eodem tempore, illiusque poſteris] Anno MDCIX. ac deinceps admiſſas, atq; juramento firmatas, illæ quoque, quæ ad præſens inſtitutum maximè pertinent, numerantur, tum in libro Privilegiorum (*c*) tum à Joanne Behmio in præfatione ad orationes ſeculares, & Mislenta in Manuali (*d*) *Prima* quidem, ut exercitium

(a) *pag.* 100 (b) *pag.* 59. (c) *pag.* 140. (d) *pag.* 116.

tium Catholicæ Religionis, quemadmodum de jure fuit, & ſemper eſſe debuit, omnibus in Ducatu ſit omnino liberum. *Altera* verò, ut Catholico cuivis liberum ſit, Templa, Sacella, Oratoria, in ſuos ſuorumque uſus erigere; vel jam ante in ſuo fundo erectis uti, frui, & gaudere. *Tertia*, ut cuivis Catholico jura patronatus, quæ cum ſuo fundo poſſediſſet, ſarta tecta integerrimè permaneant. *Quarta*, ut Catholicis ad munera, dignitatesque publicas, ex æquo cum cæteris pateat aditus. *Quinta*, ut pro publico Religionis Catholicæ exercitio, geminum Templum Regiomonti erigatur, fundetur, atque pro dignitate dotetur.

Atque hoc Catholicæ Religionis in Ducatu jus, cùm in Comitiis Anni MDCV. non tam quæſitum, quàm roboratum, ſtabilitumque accepiſſet Rudnicius; aut potius ipſe (tanquam is, qui paulò antè ut Referendarius Regni, eo verò tempore ut Epiſcopus ac Senator ad clavum Reipub. ſedebat) confirmari, ſtabilirique curâſſet; nulla interpoſita mora, Henrico Hindenbergio Canonico Varmienſ. cujus paulò antè jam meminimus, & Jacobo Schrotero præpoſito tum Gutſadien. poſtmodum verò etjam Canonico Varmien. nuntiis ad ſereniſſimum Electorem ab ſe Regiomontum miſſis, inter cætera negotia, Lindæ Marianæ Vindicias, reſtitutionemque maximè voluit eſſe curæ. Teſtantur id ipſius literæ, quarum, uti promiſimus, exemplum jam hîc ponimus.

*Reverendi Domini, Fratres cariſſimi.*

*OBlitus ſum, cum Dominationes Veſtræ à me diſcederent, negotii illius pii & ſancti, de ſacello, in fundo illo Tiliæ dicto,*

*dicto, per D. Fridericum Berent extruendo. Rogo, omnem Dominationes Veſtræ navent operam, quò licentia à Magnificis Dominis Regentibus obtineatur; quam putamus non adeò fore difficilem, ex eo, quòd in contractu illo curatorio, cum Regia Maieſtate inito, cautum hoc extat, ut liber ſit Eccleſiarum Catholicarum in Ducatu uſus, tam iam exiſtentium, quàm ædificandarum. Conſenſum Domini fundi, prætendit ſe iam habere Dominus Fridericus, prout ex ſcheda adiuncta intelligent. His Dominationes Veſtras optimè valere cupio. Datum Heilsbergæ 9. Septemb. Anno* 1605.

Reverendarum DD. VV.

Frater amantiſſimus

SIMON RUDNICII,

Epiſc. Varm. m. p.

Literas haſce Rudnicius non ſolùm, proprio, ut ajunt *Marte*, ſed manu quoque propriâ integras exaravit; ut, vel hinc pateat, quàm Lindæ Marianæ negotium optimo Præſuli fuerit cordi; quod non miniſtrorum, uti plerumque cætera omnia, ſed ſuamet operâ promovere voluit. Porrò ſcheda, cujus mentionem Rudnicius facit, quâque D Fridericus Berent à Domino fundi Lindenſis conſenſum jam obtentum ſignificat, ejusdem Friderici, ut videtur, manu ſcripta iſtiusmodi eſt. *Portio fundi illius, qui aliàs Tilia dicitur, ad generoſi & nobilis quondam Domini Ioannis à Tettau derelictam viduam, hereditario iure ſpectare dignoſcitur. Egi hactenus, cum generoſo & nobile Domino, Fabiano à Lehevvang, dictæ viduæ fratre germano ac legitimo tutore, ut eius loci ceſſionem mihi impetraret, in quo Oratorium*

*um ſeu ſacellum inædificari poſsit; qui reſpondit nihil difficultatis in hoc fore; dummodo apud Magnificos DD. Regentes Ducales id obtineri poſsit: idq́; ſtipulatâ manu Dominus Leskevvang promiſit.*

Dubium non eſt, memoratos Rudnicii nuntios, qui in aliis plurimis graviſſimisque negotiis, operam induſtriamque ſuam egregiè probârunt, in hac quoque Lindæ Marianæ cauſa, omnem Regiomonti moviſſe lapidem. Sed rebus, ſub ipſum novi contractus illius Curatorii, primamque Feudi poſſeſſionem, necdum uſquequaque maturis, haud multum promoverunt: præſertim cùm & vis libertati Catholicæ tamdiu illata necdum remitteret; &, ne porrò remitteret, incentores malorum Prædicantes, ab artibus, ſtrophis, clamoribusque ſuis deſiſtere aut remittere nequaquam poſſent. Rudnicius tamen, ut Lindenſe negotium promoveretur, novas tum ſuis, tum Regiis, Regiorumque manibus, ut jam dicemus, admovere non deſtitit machinas.

## CAPUT III.

Alter Rudnicii, pro vindiciis & reſtauratione Lindæ Marianæ labor, per Sadorſcium contra Ottonem à Groben, vehementer obnitentem, ſtrenuè admotus.

CUnctatione Græcos Trojâ fuiſſe petitos, vetus eſt verbum; Rudnicius citra cunctationem Lindâ potiri deſiderabat; ſed tot ejus ſunt conatibus objectæ remoræ atque obices, ut illi ſupra decennium Græcorum, multò plus fuerit cunctandum, aut potius citra cunctationem ſurſum prorſumque connitendum; & jam hæc, jam alia via, ad urgendum negotii

gotii progreſſum, ineunda. Poſtquam igitur Friderici Berent, quàm principio adhibuit, parum aut potius nihil proceſſit opera, aliò ſe optimus Antiſtes vertit. Habebat in aula ſua Stephanum Sadorſcium, S.R.M. ſecretarium, ætate quidem vixdum juventutem supergreſſum, ſed doctrinâ, ingenio, uſu, & in rebus agendis induſtriâ, multorum canitiem prægreſſum. Eum proinde, quo maximis in negotiis uti conſueverat, ad vindicandam aſſerendamque ſibi Lindam Marianam adhibere cæpit. Sadorſcius, inter multas, expeditiſſimam, facillimamque ad Lindæ poſſeſſionem, viam ratus, ſi fundum Lindenſem, numerato precio emptum, ſibi aſſereret; cum Ottone à Groben, fundi Lindenſis poſſeſſore, tum per ſe, tum per amicos enixè agere; abnuentem omnibus, humanitatis officiis ſtudiisque demereri; denique etjam reluctantem, ac præfractiſſimè obnitentem, interpoſitâ non modò Antiſtitis ac Principis ſui Rudnicii, verùm & Sereniſſimi Regis Sigiſmundi III. Reginæ Conſtantiæ, Uladislai Principis, ſummorumque de Aula Regia virorum authoritate perurgere, aut potius perfringere. Erat Otto à Groben, nobiliſſimo in Pruſſia loco genereque natus; &, poſtquam juventutem primum in literis, deinde verò in variis per Germaniam, Italiam, Galliam, Hiſpaniam, aliasque Europæ provincias, contriverat peregrinationibus, ad Reipub. clavum in Ducatu Pruſſiæ, proximè jam admotus erat. Cùm enim civile totius Ducatus regimen ac gubernatio, quæ etjam in volumine privilegiorum (a) conſignata eſt, ſecundùm ipſum Pruſſiæ Du-

(a) *pag. 54. vulgo* Regiments-Nottel.

siæ Ducem, ad quatuor supremos Consiliarios, quos vulgo *Regentes* vocant, videlicet ad Provinciæ Magistrum, Burggrabium Regiomontanum, Cancellarium, & Marialcum; Judicium item Aulicum, & quatuor supremos, Regiomontoque viciniores Præfectos, vulgo *Capitaneos*, videlicet ad Brandeburgensem, Fischhausensem, Schackensem, & Tapiaviensem, universim pertineat; Otto à Groben, qui aliàs in variis gravissimisque negotiis, strenuam Principi patriæque operam navârat; ad Præfecturam Schackensem provectus jam erat; in eaque constitutus præfectura, Anno MDCIX inter nobilissimos totius Ordinis equestris ad S R M. Remque publ. Polonam Internuntios, uti in dicto Privilegiorum libro (*a*) patet, priusquam tenebat locum: & pro ea, quà sanè doctrinæ omnis, in primisque juris scientiæ, ac civilis prudentiæ facultate excellebat, in gubernanda patria, præ cæteris, unus propè ita regnabat; ut inter doctissimos quoque ac literatissimos viros, non postremo regnaret loco. Et superant etjamnum singularis illius in re, literaria regni, totidem prope monumenta, quot sunt in amplissima ejusdem bibliotheca, quæ non paucis annis in Resseliensi Collegio servata fuit, libri. Vix enim ullum, in tanto numero, fuit volumen, quod ille à capite ad calcem usque non evolverit, & notis suis plurimùm non despunxerit; ita ut non mihi duntaxat, verùm & iis, qui literis & libris propè immoriuntur, admirationi sæpe fuerit. Talem igitur ac tantum virum Grobenium Sadorscius, datâ occasione, amicè aggreditur; &, ut Lindensem

(a) *pag.* 97. 108. & 126.

densem fundum, pecuniâ, vel alio secum fundo æquo & justo permutet, etjam atque etjam orat. Facilè Ottoni, ut erat emunctissimæ naris, quò res tandem vergeret. Itaque Sadorscium principiò quidem officiosè expedire; deinde verò vehementiùs quà prece, quà precio instantem ac perurgentem, animosè constanterque negando rejicere. Altius nimirum illi Lutheranæ virus sectæ, in qua & natus, & ad eam usque diem erat versatus, intra præcordia hæserat, quàm ut Idolomaniam Lindensem (neque enim secus, quàm ejusdem mandræ gregales cæteros audivimus loquentes sentire ac loqui ipse tum poterat) suâ, qualicunque tandem operâ postliminio revocaret, aut etjam revocari pateretur. Quòd si fortè jam tum, ex Baronii, Bellarmini, aliorumque lectione, ad fidem, Ecclesiamque Catholicam inclinabat; poterat nihilominus videri, ad personam (quam in Repub. Lutheri toxico, quoad res divinas, admodum ebriâ gerebat) nonnihil respexisse; &, ne Papistis, ut vulgus illud profanum loqui solet, colludere videretur, anxiè præcavisse. Utut res habuerit, Grobenius certè, ante decimum septimum hujus seculi annum, ut Fundo Lindensi, in cujusquam Catholici usum cederet, nullâ prorsum vi, aut arte potuit adigi. Cæterùm ubi Regiâ potissimùm authoritate permotus, aut potius adactus tandem cessit; & in fundo illo sacellum postliminio Deiparæ erigi, Lindamque Marianam reflorescere iterum vidit, Deiparæ, uti credere par est, beneficio atque ope singulari, ad Ecclesiam Catholicam se recepit; & in eodem ipso Deiparæ Lindensis sacello divinis, tum Pæ-

R

niten-

nitentiæ tum Euchariſtiæ myſteriis initiatus eſt, duce, ac quodam quaſi myſtagogo P. Michaële Hornâ è Societate Jesu adhibito. Verum hîc enimvero fuit carmen, quod in Menæis, Græca de Virgine Deipara uſurpat Eccleſia (a) *Illuminavit enim cordis oculos, & pœnitentiæ radium immiſit, ac tenebris æternum duraturis liberavit, uti veri luminis porta & cunctorum refugium.* Ego verò, videor mihi in Grobenio divitem illum durum intueri, cujus panis, per importunas mendici preces extortus, aut potius lapidis inſtar, in pauperē jactus, divinæ juſtitiæ lanci impoſitus, plus ponderis ac momenti, quàm omnia, uti proditum eſt literis, peccatorum ipſius onera habuit. Exinde enim ipſe de ſe Grobenius uſurpare quadantenus illud Pauli (b) potuit. *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta. Veruntamen exiſtimo omnia detrimentum eſſe, propter eminentem ſcientiam* Jesu *Chriſti Domini mei; & arbitror ut ſtercora, ut Chriſtum lucrifaciã.* Primùm enim Repub. ac rebus civilibus valere juſſis, Deo ac ſibi vivère, privatamque ac omni pompâ vacuam delegit vitam: &, ne (ſi in patria hæſiſſet) civilibus iterum fluctibus involveretur, ad Ferdinandum II. Imperatorem, ad tempus ſe recepit; cui quemadmodum & ſereniſſimo Regi Poloniæ à Conſiliis fuit. Interea verò Suecico in Pruſſiam exundante bello, in nullius magis, quàm in Grobenii, jam Catholici, fundos atque bona, hoſtilis aut potius hæ-

(a) 4. *Ianuar.* τὰ ὄμματα φώτισον, παρθένε, τῆς καρδίας μου λάμψον μοὶ ἀκτῖνα μετανοίας, σκότους με ῥῦσαι διαιωνίζοντος, πύλη τοῦ φωτὸς, χριστιανῶν πάντων τὸ προσφύγιον. (b) *Phil.* 3. 7.

us hæreticus furor deſæviit. Ampliſſimum illi erat prædium Wicken, ſex Regiomonto leucis Auſtrum versùs ſitum; ex eo omnia pecora per militem abacta, ſupellex omnis expilata; ædes ipſæ flammis deſtinatæ arſiſſentque, atque in favillam reſediſſent, niſi Tribuni Suecici uxor, quæ eum fundum ſibi obventurum, ideoque, quoad liceret, ſartum tectumq; ſervandâ ſpe devorârat, à flammis & incendio maritum arcuiſſet. Atque hunc in modum reipſa expertus eſt *ſectam* quorundam, ut ipſe etjam nobis ſæpius audientibus vocare ſolebat, verè fuiſſe, & eſſe *ſanguinariam*. Vbi verò primùm bellicus ille turbo nonnihil reſedit, citra moram redux in patriam, quantum de ſuo ad Eccleſiam Catholicam reditu, tantundem etjam de reſtituta Linda Mariana, revocatoque Deiparæ cultu publico exultabat: quoad in vicino Lindæ fundo, *Ieſau* dicto, extremâ ſenectute confectus, in Templo Collegii Reſſelienſis Societatis Jesu poſtmodum Anno MDCXLIX. ſepultus eſt. Illud tamen prudentiſſimus vir dedolere nunquam potuit, quod non dudum antè, ad Catholicæ gremium Eccleſiæ ſe recepiſſet; & ipſe ſuo in fundo ſacellum cultumque Deiparæ reſtituiſſet: aut certè, quòd tam diu, ne alii reſtituerent, pervicace obfirmatoque animo obſtitiſſet. Qui ergo neque ſuum Deiparæ fundum jam conſecrare, neque ſacello jam erecto manus admovere ampliùs poterat, quod inſuper poterat, Aram ad Boreale majoris Aræ latus in ſacello, Deo & Deiparæ erexit; quoque id animo fecerit, hâc inſcriptione, quam meâ tunc manu

exaratam eo libentiùs hîc attexo, teſtatum eſſe voluit univerſis.

*Generoſus & nobilis, Otto* von der Gröben/ *S. Caſ. & Regiæ Maieſt. Conſiliarius & Secretarius; ad sereniſſimi Regis, Reginæ, ac Principis Poloniæ ac Sueciæ requiſitionem, locum hunc, ab ipſis fidei Chriſtianæ initiis,* DEO *Deiparæque ſacrum, ad Eccleſiæ Catholicæ cultum reduci conſenſit; & Hæreſi, omnibusq; Novatorum inventis abiuratis, ſeipſum, cum unico filio, in eiusdem Eccleſiæ gremium recepit; atque hoc Monumentum poſuit, Kal. Iun.* MDCXXXVI.

Eidem Aræ, ex S. Auguſtino pleraque inſcribi voluit, tum de cauſis ſui ad Eccleſiam Catholicam reditus; tum de pleriſque ejusdem Eccleſiæ capitibus Novatorum furore impugnari ſolitis. Ac principiò de cauſis, ſui ad Catholicam Eccleſiam receptus, Auguſtinum contra Epiſtolam Fundamenti cap. 4. ita docentem inducit. *Multa ſunt, quæ in Catholicæ gremio Eccleſiæ, me iuſtiſſimè tenent. Tenet conſenſio populorum; tenet authoritas Miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata; tenet ab ipſa ſede Petri, cui paſcendas oves ſuas, poſt Reſurrectionem Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopum, ſucceſſio Sacerdotum. Tenet poſtremò Catholicæ nomen, quod ſola obtinuit.*

De ſalute in ſola Catholica Eccleſia obtinenda, eundem in Epiſtola ad Bonifacium ſcribentem inducit. *Eccleſia Catholica ſola eſt corpus Chriſti. Extra hoc corpus neminem vivificat Spiritus Sanctus.* Et epiſt. 152. *Quisquis ergo ab hac Eccleſia fuerit ſeparatus quantumlibet laudabiliter ſe vivere exiſtimet, hoc ſolo ſcelere, quòd à Chriſti unitate disiunctus eſt, non habebit vitam, ſed ira* DEI *manet ſuper eum.*

De

De ſcripturæ, Traditionum Eccleſiaſticarum, & Eccleſiæ authoritate: ex Epiſtola 118.cap.5. *Si divina ſcriptura praſcribit authoritas, non eſt dubitandum, quin ita facere debeamus, ut legimus. Similiter, ſi quid horum tota per orbem frequentat Eccleſia. Nam hoc, quin ita faciendum ſit, diſputare, inſolentiſſima inſania eſt.* Et contra Epiſt. Fundam. cap.5. *Ego verò Evangelio non crederem, niſi me Catholica Eccleſia commoveret authoritas.* Denique de purgatorio & ſacrificio Miſſæ lib. 20. Civit. cap. 9. *Neque piorum anima mortuorum ſeparantur ab Eccleſia. Alioqui nec ad Altare* DEI *fieret eorum memoria in communicatione corporis Chriſti.*

## CAPUT IV.

Tertius Rudnicii pro Linda Mariana conatus, per ſingularem, cum ſereniſſimo Electore ac Pruſſiæ Duce, amicitiam, atque familiaritatem.

AMicitiam colere, ſemper quidem honeſtum eſt: at cùm amicitia, amicorumque vires & animi in Deum, resque divinas, tanquam in ſcopum diriguntur, ſupra quam dici poteſt honeſtiſſimum. Talis erat Rudnicii, cum ſereniſſimo Electore, atque Pruſſiæ Duce Joanne Sigiſmundo amicitia, quin & familiaritatis neceſſitudinisque uſus; tum initio ſuſceptus, tum procedente tempore firmatus. Extincto, cum morte Georgii Friderici, Domus Franconicæ ſive Anſpachianæ, ad Ducatum Pruſſiæ Feudo, quod ille cum Alberti Friderici, uti diximus, curatela adierat, altera non modò, ut prior, itidem Brandeburgica, ſed inſuper etjam Electoralis apud Marchiam Domus, in Joachimo Friderico, ejusdem Feudi, aut po-

rius curatelæ jus adierat. Sed & Joachimo Friderico Electori, nonniſi triennium ſuperſtiti, cum vita omne ſimul jus intercidit. Succeſſurus igitur patri defuncto, Joannes Sigiſmundus, ſereniſſimus itidem Elector, cùm ſereniſſimus Albertus Fridericus jam triginta circiter annos ita fuiſſet æger, ut nulla ad recuperandam mentis ſanitatem ampliùs ſupereſſet ſpes, Anno MDCIX à ſereniſſimo Rege Sigiſmundo III. & ampliſſimo Poloniæ Regno contendit, ut ſibi poſteriſque ſuis, non curatorio duntaxat, ſed prorſum novo contractu jus Feudi ad Pruſſiæ Ducatum, fas eſſet reprehendere. Et obtinuit, quod prenſabat, Rudnicio Epiſcopo, tanquam vicino Regni Senatore, tum ad acquirendum, tum ad adeundum prehendendumque jus provinciæ, inter cæteros eximiè adjuvante. Ille enim, ut in ipſo quoque libertatum Privilegiorumque Pruſſiæ datorum volumine *(a)* intueri cuivis licet, & in Generali Ordinum Ducatus Pruſſiæ Conventu die XXVI. Maji, Anno MDCIX. celebrato (quo tum Eccleſiaſticæ, tum civiles Ducatus illius leges, adeoque ipſa Provinciæ fundamenta, non leviter jam convulſa, fuerunt in integrum reſtituta) & Anno MDCXII. quo ſereniſſimus Elector Joannes Sigiſmundus poſſeſſionem Ducatus adiit, Regios inter Legatos, principem ſemper locum tenuit: proindeque in rebus tum ipſius Ducatus ac Provinciæ, tum ſereniſſimi Electoris ac Ducis, rite conſtituendis, præcipuam navavit operam. Quâ quidem, uti & plurimis aliis de cauſis, potiſſimùm verò ob ſummas, quæ in illo Præſule elucebant, virtutes, ſereniſ-

(a) *pag. 98. 125. 130. 132.*

reniſſimus Joannes Sigiſmundus Rudnicium, quem ſingulari animi reverentiâ patrem ſuum appellare ſolitus erat, & diligebat, & reverebatur, ut patrem; adeò, ut, cùm moriturus à ſuis rogaretur, quâ tandem in fide ac religione migraturus ex hac vita eſſet, illeque repoſuiſſet, *ſe in fide patris ſui decedere*, multis (qui id, me etjam audiente frequenti tum ſermone celebrabant) dubium reliquerit, utrum in Electoris Joachimi Friderici, quem parentem ſecundùm carnem habuerat, an potius in Epiſcopi Rudnicii, quem ut patrem ſemper coluerat, fide ac religione hinc migrârit? Ac Rudnicius quidem, hujus cum ſereniſſimo Electore amicitiæ fructus, quàm cumulatiſſimos tulit; quos non tam in ſuum, propinquorumvé ſuorum, quàm in rei Catholicæ, & Provinciæ ſuæ uſum vertit. Præterquam enim, quod ſereniſſimus Elector illum, pro ea, quâ colebat, obſervantia, ſubinde Heilsbergæ coràm reviſeret, viciſſimque reviſeretur ab illo; præterquam, quòd utriusque provinciæ ſubditi, ex mutua illa Principum familiaritate ad ſummam inter ſe pacem colendam impulſi ſint: illa inſuper ad utriusque populi uſus conſecuta ſunt; *quòd* (ut Author vitæ Rudnicii (a) ſcribit) *antiquiſſima de limitibus controverſiæ, quæ prædeceſſorum temporibus, non ſine partium ſanguine agitabantur, nominatis utrinque arbitris, cum magna Eccleſiaſticæ utilitatis acceſſione, ſublatæ ſint; & prima poſita fundamenta pacis, quæ hucuſque vicinos inter utriusque provinciæ incolas ſanctè religioſequé obſervatur: hujus familiaritatis privilegio uſus eſt etiam Rudnicius, ad rei Catholicæ propa-*



(a) *pag. D 3.*

*propagationem; moraſq; omnes ſuſtulit, quæ progreſſum votorum ſiſtere poterant. Erectum eſt ergo Regiomonti à fundamentis Templum pro Orthodoxis, perpetuaq; dote inſtructum; data libertas nobilibus erigendi oratoria; ſecuritas proviſa transferentibus Templa ad Catholicos ritus: pœna in eos ſcripta, qui convitiis, aut ſcelere religionem infeſtarent.*

Verum enimvero, cùm hæc, aliaque id genus pluſima, ſub ipſum renovati Feudi initium, vel ſaltem, in illa Anni MDCXII. Legatorum Regiorum transactione per Rudnicium ſint perfecta, vel à ſereniſſimo Electore impetrata; quid eſt, quòd Lindæ Marianæ inſtauratio, quæ nonniſi Anno MDCXVIII. inchoata eſt, neque perfici, neque impetrari potuerit? Haud equidem cenſuerim ſereniſſimum Electorem, qui cætera, vel pro Feudi, vel pro amicitiæ familiaritatisque jure facilè Rudnicio largiebatur, hîc adamantinum potuiſſe habere pectus. Vereor quocirca, ne idem ille Otto à Groben, fundi Lindenſis herus, etiam ſereniſſimo Electore, ut Linda reſtauraretur, cōnivente, aut in gratiam Rudnicii inſuper annuente ac volente, murum ſe Adamantinum, pro ea, quâ erat apud omnes authoritate, aut potius pro inſito erga Lutheri ſectam ſtudio, objecerit. Quod ut ita eſſe mihi perſuadeam, perſuadent illæ, quæ ipſum tandem, ab Aula Regia ſubruerunt, ut jam dicemus, machinæ.

CAPUT

# CAPUT V.

Primus à Regia, pro vindiciis & inſtauratione Tiliæ Marianæ conatus, prorſum irritus.

QVandoquidem neque per Fridericum Berent aut Sadorlcium; neque per ſe, ipſumque ſereniſſimum Pruſſiæ Ducem ac Electorem, quidquam in cauſa ſacrarii fundique Lindenſis Rudnicius Epiſcopus promovit; non ignarus, omnes in unius fundi illius hero ſitas eſſe remoras, majores ac validiores ad perſtringendam hominis pertinaciam, admovit arietes. Perſpectum habebat Rudnicius, quod univerſo orbi Chriſtiano perſpectiſſimum quoque erat, quanto Sigiſmundus III. Poloniæ & Sueciæ Rex, totaque Regis illius Aula, ad promovendum Dei ac Deiparæ cultum arderet ſtudio. Cùm Rege igitur, & iis, qui Regem proximi circumſtabant, anxiè egit, ut ſuam interponerent authoritatem atque operam. Nimirum ſervabatur iſta Tiliæ Marianæ adorea, Regiæ Sigiſmundi III. Domui: ut & ipſe, qui tot, & tanta rerum pro Eccleſia Dei & Repub. Chriſtiana geſtarum ſtatuiſſet Trophæa, & ſereniſſima ejus Conjux Regina Conſtantia, & liberi omnes, pro reſtauranda, augenda, ornandaque Deipara Lindenſi, inter ſe quodammodo de laurea certare viderentur. Quemadmodum enim, uti videbimus, Rex, & Regina, & ſereniſſimus Uladislaus, tunc Princeps, poſtmodum Rex, fundum vindicando, ipſa quaſi fundamenta Lindæ Marianæ jecerunt; ita & ſereniſſimus Joannes Caſimirus Rex, & Joannes Albertus Cardinalis, & Carolus Ferdinandus, & Anna Catharina Con-

ſtantia, ſuis ſive votis ac ſuffragiis, ſive etjam ſingularibus donariis jacta ſemel eductaque in altum fundamenta ornârunt, ac ſtabilierunt. Cæterùm; quia negotium per Sadorſcium inchoatum jam erat, ut extrema cauſæ, ſuo cohærerent capiti. per eundem deinceps viſum eſt etjam ab Regia Grobenium eſſe urgendum. Jam antè, ut vidimus, cum Ottone à Groben egerat Sadorſcius; ſed ille ſive, pro hæretico, quo adhuc turgebat, ſpiritu; ſive etjam pro ingenii, quâ pollebat, dexteritate, ut Sadorſcio fucum faceret, videtur hominem, quemadmodum è Regiis, quas dabimus, literis patebit, ad generum ſuum, Caſparum à Fiſchhauſen, Dunamundenſem in Livonia Præfectum rejeciſſe. Cùm enim illi filiam in matrimonium Grobenius dediſſet, facilè in vim dotis etjam Fundum Lindenſem dediſſe credi poterat. Et videtur crediſſe Sadorſcius, qui Anno MDCXVI. ſereniſſimo Regi ſupplex factus, primas à Regia, non ad Grobenium, ſed ad illius generum Fiſchhauſium, literas in hæc verba impetravit.

*Generoſo Caſparo Fiſchhauſen, Capitaneo noſtro Dunamundenſi, fideliter Nobis dilecto.*

*Generoſe, nobis fideliter dilecte: Generoſus Stephanus Sadorsky Secretarius noſter, fundum quendam Fidelitatis tuæ hereditarium, Linde antiquitus appellatum, ſe acquirere velle, idque ſummopere optare, Nobis expoſuit. Cui cùm propter ſingulare ſuum, de Nobis bene merendi ſtudium optimè faveamus; valde cuperemus eum voti ſui, hoc in negotio, compotem fieri. Quapropter rem gratiſſimam Nobis ſe facturam Fidelitas tua perſuadeat, ſi huic ſecretario noſtro, commendationis noſtræ causâ ſtudium ſuum teſtatum*

*tum reddiderit: ſeque voluntati noſtræ, hac in parte gratificari velle oſtenderit. Non deerit occaſio, quâ Nos huius ſtudii ſui Fidelitas tua gratos eſſe agnoſcet: quam interim bene valere cupimus. Datum Varſaviæ die* XXX. *Menſis Septembris, Anno Domini* MDCXVI. *Regnorum noſtrorum Poloniæ* XXIX. *Sueciæ* XXIII.

SIGISMUNDUS REX.

In caſſum fuiſſe has ſereniſſimi Regis literas datas, Sadorſciumque non in Æneam, ſed in objectam à Grobenio nubem pugnâſſe, vel inde conſtat; quod deinceps, non jam Fiſchhauſio, ſed ipſi Grobenio, plures & vehementiores à Regiis manibus, totaque propè Domo Regia ſtimuli admoti ſint.

## CAPUT VI.

Secundo à Regia conatu adhibito, Area pro erigendo Lindæ Marianæ ſacello obtinetur.

SEcundiores aliquanto videri poſſunt literæ, ſecundo loco ab Aula Regia pro Lindæ Marianæ vindiciis datæ; quandoquidem tantum habuêre ponderis, ut Aream pro reædificanda poſtliminio Deiparæ Ædicula obtinuerint. Cæterùm, ſi tum Regiarum Majeſtatem literarum, tum rei obtentæ magnitudinẽ attendamus, vix illæ quoque literæ prioribus deprehendentur fuiſſe ſecundiores. Quid enim? ad tanti Regis ac Reginæ, ad ſereniſſimi Principis Uladiſlai, & aliorum in Regia Aula procerum literas, vel potius preces, nihil ampliùs, niſi Aream, pedes circiter 40. longam, & 26. latam, obtineri potuiſſe! *Carò emi*, vulgo ajunt, *quod precibus ematur*: quanti igitur hæc Area empta, quæ ſupra preci-

precium à Sadorſcio numeratum, tot, tantis, talibusque ab ipſa Regia precibus fuit emenda! Ac Sigiſmundus quidem Rex III. Non. Feb. Anni MDCXVII. literas, quæ ſequuntur, miſit.

*Generoſo Ottoni à Groben, Capitaneo Schackenſi Ducatus Pruſsiæ Conſiliario terreſtri, fideliter Nobis dilecto*

*Sigiſmundus* III. DEI *gratiâ Rex Poloniæ, &c.*

*GEneroſe, fideliter nobis dilecte. Singularis virtus, promptumque de Nobis & Repub. bene merendi ſtudium, Generoſi Stephani Sadorſcii Secretarii noſtri, ſæpius conteſtatum; facit, ut rebus ipſius commodisq; quàm optimè faveamus. Quapropter, cùm fundum quendam, Fidelitatis tuæ hereditarium,* LINDE *antiquitus appellatum, ſe à Fidelitate tua, acquirere velle nobis expoſuiſſet, idq; literis noſtris adniſus, faciliùs ſe conſecuturum ſperâſſet; dandas has ad Fidelitatem tuam duximus; velit in hoc negotio, non difficilem ſe illi præbere; quin imò voluntati noſtræ gratificari, noſtrasq; has literas ſuum pondus obtinuiſſe declaret. Rem gratiſsimam nobis factura eſt, & benevolentiâ noſtrâ, datâ occaſione, rependendam Fidelitas tua. Quam bene valere cupimus. Datum Varſaviæ die* II. *Menſis Febr. Anno Domini* MDCXVII. *Regnorum noſtrorum Poloniæ* XXX. *Sueciæ vero* XXIII *Anno.*

SIGISMUNDUS REX.

Eâdem ipsâ die, etjam ſereniſſimus Princeps Uladislaus ad eundem Grobenium ſequentem dedit epiſtolam,

*Gene-*

*Generoſo Ottoni à Groben, Capitaneo Schackenſi, Ducatus Pruſſiæ Conſiliario terreſtri, gratè Nobis dilecto*

*Vladislaus Sigiſmundus Poloniæ & Sueciæ Princeps.*

*GEneroſe gratè nobis dilecte. Quo animi affectu omnes bonos complectimur, eodem ſingularem virtutem ac promptum de Regia Maieſtate, ac Nobis bene merendi ſtudium, generoſi Stephani Sadorſcii, Secretarii Regiæ Maieſtatis proſequimur. Cupit is quendam locum Gratitudinis tuæ hereditarium acquirere; &, quò commodiùs id conſequi poßit, noſtram poſtulavit interceßionem. Diligenter itaque à Gratitudine tua poſtulamus; velit, commendationis noſtræ causâ, eum voti ſui compotem facere; atque cùm Nobis, tum illi declarare, noſtram apud Gratitudinem tuam interceßionem, eum, quem ſperavit, effectum habuiſſe. Quo Nos ſibi non mediocriter devinciet Gratitudo tua. Quam bene valere cupimus. Datum Varſaviæ 11. Febr. Anno Domini* MDCXVII.

ULADISLAUS SIGISMUNDUS.

Quid verò hisce Regis ac ſereniſſimi Principis literis perfectum eſt? Illud nimirum, ut cunctante, atque omnes in partes ſeſe adhuc verſante Grobenio, neceſſe fuerit, & ſereniſſimæ Reginæ, & aliorum apud Aulam Regiam Procerum, amicorumque literis, hominem invitum atque obluctantem, ad Regias impelli voluntates. Ac ſereniſſima quidem Regina ad IV. Idus Martias, hoc eſt, plus quàm menſe integro, quo Grobenius ad Regias fuerat literas tergiverſatus, aut potius obluctatus, Epiſtolam, quæ ſubjungitur, miſit.

*Magni-*

*Magnifico Domino Ottoni à Groben, Capitaneo Schackenſi, Ducatus Pruſſiæ Conſiliario terreſtri, ſyncerè & fideliter Nobis dilecto.*

*Conſtantia, DEI gratiâ Regina Poloniæ & Sueciæ, magna Dux Lituaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæque, &c. Nata Archidux Auſtriæ.*

*GEneroſe, fideliter Nobis dilecte. Generoſus Stephanus Sadorsky Regiæ Maieſtatis Secretarius, ob ſingularem ſuam probitatem, promptumque cùm Regiæ Maieſtati, tum Nobis ipſis obſequendi ſtudium, Nobis eſt commendatus. Cuius nomine ſupplicatum Nobis eſt, ut partes noſtras interponeremus; quo is commodius fundum quendam, vulgò* LINDE *appellatum, à Fidelitate tua, acquirere & emere poſſit. Non gravatim ſanè id concedendum, dandasque hasce ad Fidelitatem tuam duximus; ut Nobis hac in parte Fidelitas tua, ſuum teſtetur ſtudium; ipſeque experiatur, noſtram ſibi plurimum profuiſſe interceſſionem. Fecerit nobis rem gratiſſimam Fidelitas tua. Quam optimè valere cupimus. Datum Varſaviæ die* XI. *Menſis Martii, Anno Domini* MDCXVII.

CONSTANTIA REGINA.

Jam verò Amicorum & quorundam apud Aulam Procerum nomine, Jacobus Zadzile (qui tunc magnum Regni Secretarium agebat; & in eodem munere conſtitutus, jam antè in Ducatu Pruſsiæ cum aliis Legatis, multum pro Ducis & omnium Provinciæ Ordinum commodis, in Feudi inſtauratione laborârat; poſtmodum verò ex magno Regni Cancellario, Epiſcopus Cracovienſis deceſsit) pro ea, quam cum Grobenio contraxerat, amicitia, paulò acrioribus literis, non ſua duntaxat in ipſum, verùm & Regis,

gis, & totius Regni in Ducem ac universum Ducatum merita commemorare non dubitavit; ut, vel in unius Lindæ Marianæ restitutione, debitam grati animi testificationem, in uno homine, nomine omnium cæterorum exprimeret. Sic enim ad XIX. Cal. Mart ejusdem Anni ad Grobenium scripsit.

*Magnifico ac Generoso Domino, D. Ottoni von Gröben, Capitaneo Scheckensi, Amico meo charissimo & honorando.*

*Magnifice, ac generose Domine Capitanee,*

*ETsi sciam, literas S.R. Maiestatis, serenissimæ Reginæ, & Principis nostri, sat ponderis habuisse, ut locum quendam* LINDE *dictum, Generoso Domino Stephano Sadorsky. S.R.M. Secretario, ad usum Ecclesiæ Catholicæ cedat; dum S.R. Maiestas, serenissima Regina, & serenissimus Princeps, eo id loco acceptabunt, ac si ipsis factum esset: eoque Dominationem vestram, singulari suâ gratiâ & clementiâ dignum iudicabunt. Attamen cùm magnificam Dominationem vestram cunctari, & difficultates obtendere intelligam; hasce pro singulari nostra amicitia, ad magnificam Dominationem vestram, dare, eique ostendere volui; non sat causæ subesse, cur istud suum obsequendi studium, S.R. Maiestati, & tot serenissimorum intercessionibus denegare voluerit. Est enim res honesta, est res pia, est publicis pactis consentanea. Quæ omnia, etsi ad obsequia facienda per se sufficientissima esse possint; tamen magnificam Dominationem vestram, illud movere ante cætera debet; quantum S.R. Maiest. & Ordines Regni, de illustrissimo Principe Electore, & Ducatu Prussiæ, in primis verò, de nobilitate, juribus, & libertate eorũ, meriti sint; quantũq; adhuc indies novis beneficiis ea cumulare possint; quòd pro his omnibus nihil desideret, nisi ut grata iis memoria exhiberi possit.*

*Cùm*

*Cùm itaq; hoc nomine, tota Reſpub. veſtra, S. R. Maieſtati, & Regno multum debeat, mirarer ſanè, ſi magnifica D. V. quam S. R. Maieſtas, & Regni Ordines propter virtutem & merita ſua in Regnum & patriam, benevolentiâ propenſiſſimaq; voluntate complectuntur, maioriq; gratiâ dignum iudicat, tam exiguum gratitudinis ſtudium, denegare iis velit; quo ipſo & patriæ, & ſibi, ſuiſq;, tantum obeſſe poſſit, ut ſereniſſimi Regis, ſibi hactenus addictiſſimi clementiſſimiq; animum alienationem in poſterum reddere queat. Quod ego, pro mea parte, qui illuſtriſſimo Electori, Ducatui, & Nobilitati, eorumquè Privilegiis, & magnifica D. V. ſemper favi, nunquam evenire cupio; idquè ut magnifica D. V. ſuâ prudentiâ, curâ, & vigilantiâ, etiam præcavere velit, magnopere oro & hortor. Erit hoc non poſtremum, inter cætera ſua in S. R. Maieſtatem, Regnum, & patriam merita, ſi in hoc ſe tot ſereniſſimorum interceſſionibus obſequentem exhibuerit. Nam hoc ipſo, S. R. Maieſtatem, & præcipuos Ordines magis magisquè ſibi devinciet; & ſeipſum omni gratiâ, benignitate, ac remuneratione, apud S. R. Maieſtatem dignum indicabit: Patriæ autem ſuæ, & illuſtritati, tantum proderit, quantum ipſi ſibi polliceri poterunt. Ego verò, & alii Domini Aulæ Officiales, omni benevolentiâ & officiorum teſtificatione, erga magnificam D. V. hoc ipſum compenſare non intermittemus. Quam diu feliciſſimè que valere opto, eiquè mea ſtudia & officia defero. Varſaviæ die XX. menſis Februarii, Anno MDCXVII.*

Magnificæ Dominationis Veſtræ

Amicus ad inſerviendum promptiſſimus

JACOBUS ZADZILE,

Secret. Regni Polon.

Non

Non potuit enimvero, non persentiscere in hisce literis *armatas*, ut vocant, *preces* Grobenius: proinde refragari, aut potius obluctari ampliùs non potuit, quin Aream pro restaurando Deiparæ sacrario, non tam precio per Sadorscium numerato, quàm serenissimorum Regum, Regiique Principis ac Procerum authoritati tandem cederet.

## CAPUT VII.

Tertio à Regia conatu, fundus juxta sacellum Deiparæ situs, acquiritur.

MVltùm sibi videbatur Sadorscio, aut potius Catholicis omnibus tribuisse Otto à Groben, cùm Aream, quantumvis justo precio venditam, pro restauranda Æde sacra attribuit. Neque profectò, aut Sadorscio, aut cuiquam alteri Catholicorum, tenue videri poterat, quod in tantum magnæ DEI Matris cultum, ut erat, certò sperabatur cessurum. At enim, cùm istiusmodi cultus in fundo alieno, & quidem sub hero fundi à religione orthodoxa averso; omnibus Prædicantum, aliorumque sectariorum molitionibus, sannis, atque injuriis, non posset non esse obnoxius; multò ampliùs Sadorscio, quin & ipsi Antistiti Rudnicio connitendum erat, ut & fundus ipse, juxta Aream jam acquisitam positus, compararetur. Quapropter ad Regem Sadorscius, aut potius ipse Rudnicius supplex accedit, & literas, quæ sequuntur III. Non. Mart. Anno MDCXVIII. impetrat.

*Generoso Ottoni à Groben*, &c.

*Sigismundus* III. DEI *gratiâ Rex*, &c.

*GEnerose Nobis fideliter dilecte, gratissimum Nobis accidit, intellexisse, Fidelitatem tuam literis nostris requisitam, Fundum certum,* LINDE *nuncupatum, generoso Stephano Sadorsky Secretario nostro concessisse; atque voluntati nostræ, hac in parte benevolum se exhibuisse. Locus, certè is, multâ antiquitus hominum frequentatione, & prodigiis celebris est. Quapropter idem Secretarius noster, ex mandato nostro, Ædem aliquam divæ Virgini consecratam, in illo loco extruere proposuit. Cùm verò ob angustiam loci, nequaquam æquè commodè, ut res ipsa postularet, Devotio ibidem cultusq; divinus peragi possit; postulandum adhuc à Fidelitate tua duximus, ut ulteriorem suam Nobis testetur benevolentiam: viciniorem que adhuc agrum, qui Fidelitati tuæ, parvo commodo esse potest, adjungere velit. Erit id Nobis ita gratum, ut nihil magis, quàm ut idem studium Fidelitatis tuæ, benevolentiâ nostrâ compensandum existimemus. Cupimus interim Fidelitatem tuam bene valere. Datum Varsaviæ die* V. *Mensis Martii, Anno Domini* MDCXVIII. *Regnorum nostrorum, Poloniæ* XXXII. *Sueciæ verò* XXIV.

SIGISMUNDUS REX.

Bene sit piissimis Sigismundi Regis manibus! qui, ut *locum*, quemadmodum ipse scribit, *antiquitus hominum frequentatione & prodigiis celebrem*, vindicaret, non modò curæ & labori nulli pepercit, verùm & de Regia Majestate sua plurimùm se demisit. Poterat ab homine sub sua constituto potestate, pro imperio, obsequium & parendi alacritatem urgere; at ille

ille, apud hominem sibi subjectum, propè supplex accidit, dum nihil nisi illius in se benevolentiam deprædicat, & benevolentiam iterum atque iterum postulat. Tanta nimirum in Deiparam, & sacram Deiparæ Lindam, ferebatur magnus ille Rex pietate ac religione, ut animo verè Regio, Deiparæ, & supremo in Deiparam Numini, Regiam substerneret Majestatem. Et potuisset illam tanto Regi negare benevolentiam Grobenius, quâ nullam unquam præstantiorem locupletioremvé gazam vel ipse intra domum suam, vel quisquam alius reperire potuisset? Honorificentissimum profectò fuit, atque futuris erit temporibus, benevolentiam à tanto Rege, intra Grobeniorum Domum fuisse propè emendicatam; sed non minus Sigismundo maximo Regi, atque Regiæ ipsius Domui gloriosum est, atque in perpetuum semper erit, Divi ac Deiparæ causâ quadamtenus Mendicabulum induisse. Tametsi enim Sadorscius fundum illum, magno, satis precio, uti oportuit, redemerit; nunquam tamen fundus ille, aut ipsa quoque Ædiculæ Lindensis Area, Sadorscio vel cuiquam obvenisset Catholicorum, nisi Rex Sigismundus Majestatem Regiam, Grobenii benevolentiæ submisisset.

## CAPUT VIII.

Quarto à Regia conatu admoto, Caupona sacello Lindensi adjacens, comparata.

QUi Ottonem à Groben fundo suo Lindensi

decedentem paulò contempletur attentiùs, videbit illum, non tam hereditario fundo, quàm quasi propugnaculo quodam, aut præsidiariâ arce castrové, & quidem nonnisi vi expugnatum, sensim per alios atque alios receptus decedentem. Neque enim ille, ut in contractibus fieri amat, sponte cessionem fecit; sed (ut in obsessis expugnatisque præsidiis arcibusvé solet) ex uno quasi propugnaculo in aliud se recipiendo, secessit. Principiò igitur gravissimâ Sigismundi Regis, Reginæ, & Uladislai Principis authoritate permotus, Areâ sacelli decessit; recepitque se in fundum sacello adjacentem: inde cùm facessendum deinceps esset, receptum invenit geminum; alterum quidem in caupona, in piscaria casa alterum. Et hanc quidem, quia Ædi sacræ divinisque rebus nihil officit, sibi habet etjamnum (nisi quòd casa, quæ olim ad ipsum lacum Denaum, quà rivulus se exonerat, fixa fuerat, nunc verò in collem sacello Occidentem versùs oppositum translata, retentis à Grobenio aliquot agelli jugeribus insideat) illam verò, ut Sadorscio, quemadmodum cætera jam tradiderat, ex æquo & justo traderet, Rudnicius Antistes apud Regem, Rex verò apud Grobenium perfecit. Et verò, non Sadorscio duntaxat, verùm & hominibus cæteris, undique religionis causâ ad locum sacrum tanto numero confluentibus, perincommodum fore videbatur, si caupona (quæ non tam meritoria potatorum taberna, quàm peregrinorum, viatorumque sacrorum diversorium futura erat) ad diversum à sacelli fundique hero spectaret; cùm nemo inficias iverit, satius esse, si unus atque idem pro Aris juxta ac focis caret. Sed, & ad ma-

ad magnæ DEI Matris ( hæc enim magis , quàm vel Sadorſcius, vel Rudnicius, vel ipſe etjam Sigiſmundus Rex , Regiive proceres aut Principes , *terribilis ut caſtrorum acies ordinata*, & hæreſin , & omnia hæreſeon fomenta , amoliri ab illa ſua Lindenſi Regia videri voluiſſe poteſt ) triumphum atque decora pertinebat, ne quid , quod vel ad injuriam ſacrorum , vel ad contumeliam quoquomodo facere poſſet, ſectæ in vicino poſſiderent. Quocirca illa , quæ & Regem, cum tota Regia,ut credi par eſt, & Rudnicium Epiſcopum cum Sadorſcio,cæteriſque piis,ad vindicandam loci Regiæque illius ſuæ poſſeſſionem tacitè ſtimulârat, videtur eoſdem pariter ad vindicandum diverſorium illud, & in peregrinorum ſuorum uſus occupandum aptandumque ſtimulâſſe. Poſtquam igitur Sadorſcius Rudnicium , & hic Regem, ea ſuper re, quantum par erat, edocuit ; Rex Grobenium in Ducatus Ducisque ſui causâ,apud ſe,pro more,verſantem , coram ea de re appellavit : neque ille, quin Regi adpromitteret, committere potuit. Ne tamen iterum ſuo more , moras aliquas interneceret, ſimul atque domum ab Regia fuerat digreſſus,per Epiſtolam Idibus Februar. Anni MDCXIX.datam , eſt iterum à Rege , uti ex adjuncta eadem Epiſtola patet, appellatus.

*Generoſo Ottoni à Groben, &c.*

*Sigiſmundus* III. DEI *gratiâ Rex*,&c.

*GEneroſe , fideliter Nobis dilecte : Exiſtimamus adhuc recenti hærere memoriâ Fidelitati tuæ promiſſum illud, quod Nobis ratione Tabernæ, generoſo Stephano Sa-*

*dorsky Secretario nostro, in possessionem & usum tradendam præstitit; neque dubitamus idem effectu ipso comprobaturam. Cùm tamen ex reverendo in Christo Patre, Domino Episcopo Varmiensi intellexerimus, multùm & ad opportunitatem illius loci, & ad devotionem commodiùs exercendam conducere; si quàm primum Ecclesiæ illi adjungeretur; atque ex ea ratione Ecclesiæ illius securitati indemnitatiquè, sublatis omnibus impedimentis prospiceretur; dandas hasce iterum ad Fidelitatem tuam duximus; velit hac in parte memorato Secretario nostro gratificari, reque ipsâ declarare, spem nostram de promisso à Fidelitate tua præstando, non inanem fuisse. Non deerunt quoque occasiones, quibus Nos studii hujus Fidelitatis tuæ gratos esse, exhibebimus. Quam de cætero bene valere cupimus. Datum Varsaviæ die* XIII. *mensis Februarii Anno Domini* MDCXIX, *Regnorum nostrorum Poloniæ* XXXII. *Sueciæ verò* XXV. *Anno.*

SIGISMUNDUS REX.

Nequaquam potuit ampliùs sive promisso suo, sive potius Regiæ voluntati authoritatique Grobenius adversari, quin etjam Taberna illa cederet; potuit tamen Sadorscium, ut aliam sibi, Lindensis loco, alibi procuraret, adigere. Et adegit sanè; vix enim circumactis aliquot mensibus, exhibuit illi Sadorscius Cauponam aliam, trans Heilsbergam unius circiter horæ intervallo in *Raunau* sitam; non sine aliquot, quæ Sadorscium premerent, jam antè adjectis superiore anno conditionibus. Super quibus, tabulæ inter eos III. Non. Decemb. Anni MDCXVIII. conscriptæ ac signatæ in Tabulario Lindensi hujuscemodi extant.

*Hodie*

*Hodie conventum est, ut contractus permutationis pro Capella Lindensi, & Taberna cerevisiaria, antea inter nos initus, nunc etiam secundùm vigorem literæ, in omnibus punctis firmus esse & manere debeat. Cuius causâ ego Stephanus Sadorsky S. R. M. Secretarius, magnifico Domino Ottoni à Groben, Capitaneo Schackensi, Tabernam in Raunau, illustrissimi Episcopi consensu à me emptam, simul cum horto hodie tradidi; efficiamq; ut Tabernator debitos census & operas, illustrissimo Domino Episcopo ex istis mansis præstet; ne, quidquam mensæ episcopali decedat. Et si posthac prædictus Dominus Capitaneus Tabernam potius vendere, quàm iure suo uti voluerit, tum ego idoneum emptorem ipsi procurabo. Quòd si etiam præsens inhabitator Tabernæ, pro cerevisia ei non satisfecerit, & sic in æs suum incurrerit, tum promitto, me eius nomine, quidquid abhinc intra octo septimanas, pro debito ei ratione cerevisiæ restiterit, solutionem facturum. Procuius rei fide hanc obligationem, manibus & sigillis nostris communivimus. Sislaky* III. *Decemb. Anno* MDCXVIII.

| | |
|---|---|
| (L.S.) | (L.S.) |
| Otto à Groben, Capitaneus Schackensis mp. | Stephanus Sadorsky, S. R. M. Secretarius mp. |



Digitized by Google

# CAPUT IX.

Areâ, pro futura facelli fabrica, magno operarum labore purgatâ, ipsoque Præsentationis B.V. die apertâ, numismata & Altare in eadem reperta.

ILluxit tandem aliquando desideratissima, & tot tantisque piorum votis expetita diutissimè dies; qua restaurando Lindæ Marianæ sacello manus admoverentur. Simul enim atq; Sadorscius, Sigismundi Regis, Regiæque Domus & Aulæ ope atque operâ, Lindæ possessionem adiit, ad futuram sacelli fabricam, quantâ maximè potuit, celeritate se accinxit. Neque Rudnicius Antistes, qui ad vindicandam Lindam primum præcipuumque admoverat laborem, ad inchoandam promovendamque fabricam deesse potuit. Placuerat, non aliò, quàm quo olim steterat, loco, recens postliminio sacrarium collocare; adeoque iisdem, si fortè adhuc extarent ac reperiri possent, superstruere fundamentis; ut non tam novum, quàm Phœnicis adinstar, illud ipsum, quod diu antè viguerat, videretur resurgere ac renasci: Ipse lapidum ruderumque acervus ingens, quo primùm loco Deiparæ Ædes posita fuisset, spectantibus facilè monstrabat; sed idem ipse acervus, quò magis in tantam assurrexerat molem, eò & fundamenta vetera, & ipsam sacelli plantam, quasi sepultam, magis occulebat. Eruderandus proinde ante omnia erat locus; &, purgata ab imo area, producenda in lucem prima illa vetustissimaque sacrarii fundamenta. Verùm *hic labor, hoc opus erat*. Præter enim residua prioris sacelli rudera, & aggesta undique saxa, tantum à sacrilegis icono-

iconomachorum manibus, de colle juxta posito, in excisi aream facelli affusum erat arenæ, aggestumque lectarum undiq; sordium ac purgamentorum, ut unde primùm operæ aggrederentur opus, aut quâ tandem parte manus admoverent, difficilè etiam Sadorscio præsenti constaret. Non pauciores triginta, ligonibus, bipaliis, sarculis, aliisque fossoriis ad opus instrumentis probè armatas, principio admovit operas; neque operæ segnius operi, quàm decebat, manus admoverunt: sed quò magis incumbunt, eò videbantur promovere minùs; ut post gravissimum prioris diei laborem, non infectâ modò, verùm & desperatâ propè re abierint. Sed, non Sadorscius perinde atque operæ, despondere animum potuit; quippe qui in Deiparæ auxilio spem fiduciamque omnem ita defixerat, ut qui priorum tot laborum ac votorum tantopere esset compos factus, de posterioribus nefas sibi, vel tantillum, ambigere duceret. Itaque postero die, iterum operas, ut antè operi admovet; sed non alio, quàm antè, conatu; quin majore, quàm antè tum fastidio tum dolore, aut potius desperatione. Instabat proximus Deiparæ, in Templo præsentatæ dies, qui in IX Kal. Decemb. incidit; quò majore spe animoque erectus Sadorscius, de purganda in illum diem Area, omnes curas cogitationesque suas confixit; minimè dubius, eò magis affuturam singulari auxilio Deiparam, purgandæ illâ die Ædis suæ Areæ, quò plus in eadem Area, quod purgaretur, esset repertum; ut jam tum, quasi cum instaurata sui in Templo præsentatione, sui apud Lindam Templi possessionem adiret. Quocirca ubi pri-

mùm diluxit, operi vixdum inchoato, tertiùm instare alacriùs jubet. Res mira, ac prodigio similis omnibus visa, adeoque jam ante à Ciaritio annalibus hunc in modum prodita. *Tantam arenæ ac ruderum molem, ex illius loci area, per homines triginta, intra medii diei spatium, egestum fuit, quantum aliàs trecenti vix biduò egessissent.* Quocirca omnes inde sibi mutuum gratulari, juxta, ac gaudere; sed præ omnibus, ipse Sadoiscius triumphare ac propè exilire gaudio: tantoque majoribus, melioribusque spei ac fiduciæ auris vela implere, quò majora divinæ in ea causa benignitatis ac providentiæ monumenta, quasi manu jam tenebat. Nam & illud, quantum omnibus in commune gaudium fiduciamque attulit, quòd, ubi paulò altiùs effossa est humus, ipsum diruti olim sacelli pavimentum, & statumen coctili lapide tot ante secula stratum, oculis se spectandum objecit? Cujus sub adspectum, dum animosiùs operæ instant, numismata quædam inter rudera, gratum oculis spectaculum acciderunt: quæ quidem cùm nonnisi in ipso ruderum fundo patuissent, simul inde etjam animus patuit, illa haud nuper, sed sub ipsum excidii tempus jactata à piis, & postmodum superaggestâ arenâ ruderibusque fuisse obruta. Neque enim pietas religioque hominum, quæ tam diu apud omnes eminebat, subrui ita potuit, quin per denariolos etjam intra rudera jactatos, aliquod sui vestigium loco religioso imprimeret. Sed & ipsis operis egestioni animosè instantibus, non modicam impresserunt alacritatem, ut eò magis connitendo opus

opus promoverent. Quod dum faciunt, præter omnium ſpem, atque exſpectationem, Altare, quod cum ſacello ſubrutum unà fuerat, inter rudera propè integrum repertum eſt. Hîc verò univerſi, Sadorſcio præeunte, in gratiarum actionem laudesque DEO agendas, effuſi iterum ſunt. Tametſi enim Altare illud, ob ſitum, infra terram integro ſeculo contractum, ampliùs uſui eſſe non poſſet; exhibebat tamen omnibus manifeſta vetuſtæ Catholicæque pietatis monumenta. Sed & aperta eodem tempore, veteris ſacelli fundamenta plurimum addiderunt lætitiæ & alacritatis. Licet enim, quà parte ſupra terram fuerant educta, tum ab aggeſta deſuper humo, tum multò magis à frequentibus integro ſeculo imbribus, pluviis, nivibus, & id genus tempeſtatibus, vitii nonnihil contraxerant; facilè tamen repurgari ac refici, proinde & ad accelerandam ſuo tempore fabricam, maximo poterant eſſe uſui. Super omnia verò, gaudium univerſis accumulavit, ipſa præſentatæ eo die Virginis in Templo Hieroſolymitano memoria. Perſuadebant enim ſibi, quemadmodum ipſa Deipara, die illâ, uti ſanctus Damaſcenus (a) ſcribit, *adducta in Templum, plantata in domo Domini, & impinguata Spiritu, veluti Oliva fructifera, omnis virtutis habitaculum facta eſt; cùm ab omni ſeculari vita, & carnali concupiſcentiâ mentem abduxiſſet; & ſic virgineum animum, ſimul & corpus conſervâſſet, ut decebat eam, quæ in ſinu* DEUM *ſuſceptura erat*: ita in illo Deiparæ ſacello, non ſecus atque olim, ſuper-

(a) *lib.4 orthod.cap.15.*

superstite Tiliâ, quod jam alio loco advertimus, Deiparam instar semper florentis ac vigentis virentisque Tiliæ, & frondibus, & floribus, & umbrâ, & omnibus erga mortales benignitatis, beneficentiæ, patrociniique officiis certaturam: eò fortassè magis, quò iterum Linda Mariana, à seculi istius potestate exempta, illiusque concupiscentiis minus jam obnoxia, Dominæ ac Patronæ suæ cælestis, intaminatam ac perpetuam imitari deinceps videretur possè Virginitatem.

## CAPUT X.

Sacellum intra anni spatium reædificatum, atque eximio splendori restitutum.

QVo tempore repurgandæ in fundo Lindensi Areæ intendebat Sadorscius, eodem cùm ille quoque, tum ipsemet Rudnicius Episcopus materiem futuro operi fabricæque strenuè apparabat. Neque apparabat solùm, sed etjam, cùm per hibernas nives, carpentaria, ut vocant, via non leviter jam strata, trahis sive chamulcis commodam, ultro citroque commeandi occasionem jam dedisset, undique curabat deportari. Ac ligna quidem è vicinioribus Resselio silvis, uti & saxa ex agris vecta sunt; at laterculi coctiles, uti & calx, & ferrumen cæmentorum, non tantùm Resselio, verùm & vicinis ex oppidis, potissimùm verò Bistenio, Bisburgo, Seeburgo, atq; Heilsbergâ deportari oportuit; ut & hæc oppida, unde de restaurato Lindensi sacrario gloriari jure possint, abundè habeant. Quæ hieme perfecta cùm essent, appetente primùm vere, ut fabri cæmentarii murum quàm

Digitized by Google

quàm citissimè educerent, Sadorscius omnes curas cogitationesque intendit Et tanta fuit, cùm illius vigilantia, tum alacritas contentioque structorum, non pactam magis mercedem, quàm Dei & Deiparæ gloriam, ob oculos sibi positam assiduè habentium; ut anno vixdum circumacto & parietes, & tectum, imbricibus solidè excoctis munitum, tantò majore omnium gaudio, quantò minore præconceptâ spe, constiterint. Et tectum quidem, non, ut ante excidionem fertur fuisse, cum compluvio, sed (quandoquidem Tilia quæ Tecti vicem ex parte suppleret, nulla jam erat) integrum, & quidem pectinatum, sive displuviatum, cum suggrundiis austrum & boream versùs porrectis, statui oportuit; gemino Orientem occidentemque versùs culmine seu pteromate, non ad firmitatem solùm, verùm & ad elegantiam pulcherrimè fastigiato. Cui egregiâ structorum operâ atque dexteritate, adinstar cælaturæ cujusdam variis discriminato projecturis, ne quid elegantiæ decorisque deesset; aut potius ne eorum, qui in vindicanda restaurandaq; Linda Mariana plurimùm adjuvissent, memoria subitò intercideret, adhibitâ pictorum operâ Sadorscius providit. Ac medium quidem locum dedit serenissimorum Poloniæ Regum insignibus quia eorum maximè operâ, authoritate, atque studio Linda vindicata est: tum deinde dextrum serenissimorum Prussiæ Ducum, uti & sinistrum illustrissimi Episcopi Rudnicii signis; quia, ut istius summâ contentione atque impendiis, ita illorum æquitate juxta ac authoritate est restaurata, & contra malignorum insultus æternùm stabilita. Ad eandem sacræ

cræ Ædis elegantiam, vel potius ad excitandam populi adventantis pietatem, adjecit Sadorſcius epigrammata ipſis ſuggrundiis Latinâ Germanicaq; linguâ proximè inſcripta, commodiſſimeque ex ſacris literis ſumpta. Septentionem & Occidentem versùs inſcriptus eſt locus ex 2. Paralipomen. libris (a) *Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco iſto oraverit. Elegi enim, & ſanctificavi locum iſtum, ut ſit nomen meum ibi in ſempiternum, & permaneant oculi mei & cor meum, ibi cunctis diebus.* Ad Auſtrum, occupat locum verſus ex eodem libro (b) *Aperi oculos tuos, ſuper domum iſtam diebus ac noctibus: ſuper locum, ſuper quo pollicitus es, ut invocaretur nomen tuum.* Denique ad Orientem ex alio ejusdem libri loco (c) *Audivi orationem tuam, & elegi locum iſtum mihi in domum ſacrificii.* Cæterùm ut illa, quæ olim à Tilia, ſacellum tectumque ſacelli egreſſa, adeoque Tecti vicem obeunte, ſive majeſtas, ſive elegantia, non magnopere deſiderari apud Lindenſem Ædem poſſet, variis tecto ornamentis additis compenſavit Sadorſcius. Nam & in ſupremo pinnaculi vertice Occidentem versùs ſpectante, quaſi coronidis loco, Angeli ſtatuam affabrè cælatam, Chriſtique de Cruce pendentis effigiem manu utrâque præferentis, non ſine raro & gratiſſimo intuentium ſpectaculo poſuit: & in Orientali pinnaculo, Turriculam pro ære campano, è muro lateritio eduxit, tectoque hexagonâ figurâ in apicem deſinente eandem coronavit; & ad extremum alterâ itidem turriculâ quadrato te-

(a) *cap.* 7. 15. (b) 2. *Paral. cap.* 6. 20. (c) *cap.* 7. 12.

to tecto, pyramidis instar, in altum assurgente, machinæque ad horas indicandas suo tempore construendæ usui futurâ, medium sacelli tectum exornavit.

Jam verò intra sacellum ipsum, majore etjam cultu atque elegantia Sadorscius ornare pleraque aggressus; lacunar quidem è ligno & asseribus posuit, sed nequaquam rudi operâ. Nam & asseres infra tigna atque trabes, non modò runcinâ examussim politi arctissimeque sibi commissi, verùm & intertigniis, areolarum in morem variè distinctis, & rosis nitidissimè sculptis auroque litis, ad areolarumque extima ubique decenter intersertis, tabulatum aspectu gratissimum reddunt.; & ipsæ tabulati areolæ (quæ sculptis itidem, auroque vel argento perlitis sertis undique clausæ, varias Christi passi, Deiparæque imagines, coloribus accuratè expressas includunt) pietatem ac religionem, amænitati mixtam referunt; ut intuentibus jure liceat illud S. Paulini in VI. Natali usurpare.

*Ecce vides, quantus splendor, velut Æde renatâ*
*Rideat, insculptum camerâ crispante lacunar!*

Quibus S. Paulini versibus, qua amœbæum respondet carmen, majori Ædis nostræ Aræ inscriptum:

*Vernascit Tiliæ decus immortale renatæ.*

Porrò Ara major, quæ sola initio posita erat, pro illius temporis usu, etjam vulgarem artis censum supergressa, principe loco magnæ DEI Matris effigiem, ad modum Romanæ (quam à sancto Luca pictam, vulgo *maiorem* appellant) conti-

continebat expreſſam; cujus tamen loco, quia loci religioniſque dignitati, non ſatis ex æquo videbatur reſpondere, Patres Societatis, ſimul atque Lindæ Marianæ curam ſuſceperunt, aliam (quæ hodieque, magna cum Majeſtate & populi veneratione, Aram Ædemque exornat) curârunt, manu Bartholomæi Pens pictoris Belgæ; qui captâ à Sueco Elbingâ, Vilnam uſque commigrârat, præclarè effictam. Ad latera ejusdem Aræ, ſuper ipſas, quibus Ara claudi ſolet, valvas curavit idem Sadorſcius, hinc quidem S. Stephanum Protomartyrem, inde verò S. Ignatium Societatis Jesu Fundatorem pingi; utrumque Patronum ſingularem ſuum: nam & illius nomine, ab ipſo ſacro lavacro, initiatus erat; & hujus Societati Lindam, quemadmodum ſuo tempore evenit, jam tum (quò videlicet uberiores in peregrinorum aliorumque omnium Lindam frequentantium provenirent fructus) animo deſtinârat. Verùm dum Aram, aliaque ſacelli ornamenta, quæ percenſere operoſum eſſet, Sadorſcius, pro ſua pietate induſtriaque maturat, majore etjam curâ, cætera, quæ ad ſacram divini ſacrificii in Ara faciendi ſupellectilem attinebant, procurabat: quæ quidem, ſive calices, ſive ſacram veſtem ſpectes, plerarumque Eccleſiarum aliarum, quæ diutiſſimè antè in Pruſſia, alibique viguerunt, ſupellectilem abundè ſuperabant.

Etſi verò tum ea, quæ diximus, tum multa inſuper alia; ad inſtaurationem ſacelli, domuſque in uſus ſacerdotum ipſi ſacello adjunctæ neceſſaria, per ſe ipſemet Sadorſcius agebat; plurimùm tamen etjam aliorum, præſertim Reſſelienſium civium conſilio & o-

operâ

perâ adjutus eſt. Quos inter ſtrenuam cum omni familia ſua navavit operam Joannes Ageiſon; qui non modò nomina ac rationes omnes in adverſaria referebat, ideoque fabrûm aliarumque operarum præcipuam gerebat curam; verùm & ſuis quoque impendiis, quæ apud ſuperſtitem ejus viduam ipſe vidi, non pauca in reſtaurandæ Lindæ uſum faciebat. Erat Joannes patriâ Danus, literis & Philoſophiæ quoque ſtudiis, in quibus Artium Magiſter creatus erat, præclarè inſtructus: religione verò Catholicâ, quam cum literis apud Patres Societatis Jesu hauſerat, majore etjam cum laude, ad promovendam aliorum ſalutem incitatus. Proinde, in patriam Lutheranâ ubique hæreſi laborantem redux, ductâ uxore & ad Eccleſiam Catholicam feliciter reductâ, literarium ludum, magna cum nominis fama, aperuit: juventus enim non ſcholam modò verùm & menſam præcipua frequentavit; parentibus aut propinquis id enixè ab eo flagitantibus; eò quod illius commiſſos diſciplinæ, non literis ſolùm, verùm & moribus egregiè viderent omnes perpoliri. At ille, quemadmodum fixum animo apud ſe habebat, juvenibus, quos idoneos advertebat, Catholicæ fidem Eccleſiæ moresque ſenſim inſtillare, & ad divinæ ludum ſapientiæ, quâ valebat induſtriâ, eosdem promovere. Neque minimum conſtitit operæ precium. Non pauci adoleſcentum ad Eccleſiam reducti, aut ut mox reducerentur, ad ſcholas Societatis Jesu plerumque ab eo Brunsbergam directi, ad ſuam aliorumque ſalutem gnaviter formabantur. Non potuit tanta Joannis virtus ad extremum latere: incurrit in aliorum, & maxi-

mè ipſorum Prædicantum oculos: qui, cùm per alias quasdam quaſi rimas, tum maximè per libros( quos illi adoleſcentes Brunsbergæ atque alibi ſcriptos, ut aliis quoque contribulibus ſuis, Catholicæ lumen veritatis exhiberent, ſtudio quàm exitu meliore, in patriam ſubmittebant)illam veræ fidei lucem, à Joannis promicare ædibus tandem agnoverunt. Quocirca lymphaticorum in morem, omnia Regis ac Regni tribunalia in Joannem ita armant, ut ille ſe, ac familiam ſuam, immani juxta ac ſubitæ tempeſtati ſubducere vix potuerit. Subduxit tamen, conſcensâ feliciter tot inter pericula navi; ac DEO duce primùm Brunsbergam, inde ad Rudnicium Epiſcopum Heilsbergam appulit: à quo humaniſſimè paterneque acceptus, Reſſelii demum ( coëmptis Friderici Berent, de quo aliàs diximus, ædibus)ſedem fixit; vel eò non infelix, quòd inſtar Abrahæ, *de domo & cognatione ſua egreſſus*, non modò in terra, ad quam DEO duce venerat, eidem DEO, qui illi in divina ad Catholicam Eccleſiam vocatione apparuerat, Altarę(dum ad Lindæ Marianæ inſtaurationem juvat) erexit (a) verùm & filium ſuum Gorgonium, *ſuper unum* tot religioſorum in Eccleſia Catholica *montium*, tanquam alterum Iſaac, in Societate JESU obtulit: in quo, & per quem, divinam accepiſſe credendi ſunt benedictionem, non ii duntaxat, qui ſub tanto in Academia Vilnenſi, Theologiæ jurisque Canonici Profeſſore atque Doctore, literis ſublimioribus ac omni pietate hactenus ſunt imbuti, verùm & ii, qui per eosdem eorumque poſteros, futuris imbuentur temporibus.

CAPUT

(a) *Gen.* 12. 7.

# CAPUT XI.

Sacellum Lindense à Rudnicio Episcopo consecratur, & B.V.MARIÆ summâ animi exultatione dedicatur.

INstaurato Lindensi sacello, unum illud, quod omnibus sacris Ædibus, quasi sacræ cujusdam coronidis loco addi solet, adhuc deerat, Consecratio videlicet atque Dedicatio. Obtinuit enim non in vetere duntaxat Testamento, verùm & in ipsa à Christo Domino instituta Ecclesia, jam inde à primis Christiani nominis temporibus, constantissimus usus, atque consuetudo; ut & recèns extructorum, & restauratorum postliminio Templorum Encænia, non sine maxima populi Christiani lætitia atque exultatione agitarentur. Libet vel unicum ex omni antiquitate exemplum, quod Eusebius ad causam nostram peraccommodum refert (a) hoc loco memorare. Posteaquam enim recensuit, quo pacto à Maximini aliorumque Tyrannorum obitu, Pax Christianis, vel potius, ut Eusebius ipse loquitur, *lux solis Ecclesiis, ac Templis illustrior affulsit*; continuò addit; *Ex quo aderat cunctis, velut divino munere infusa lætitia, maximè videntibus ea loca, quæ paulò antè impiis Tyrannorum machinis fuerant destructa, redivivâ constructione clariora & celsiora consurgere; Templaque excelsa præ humilibus conventiculis elevari.* Deinde, & de ipsa Ecclesiarum consecratione ita scribit; *Festivitates à nostris frequentissimæ agebantur cum omni lætitia & exultatione, dedicationibus Ecclesiarum per urbes & loca singula celebratis.* Magnopere quoque Lindensis Ædis dedicationi prælusit ac præluxit

(a) *lib.4.hist.c.10.*

exemplum Machabæorum longè illustrissimum. Ibi Templum à gentilibus, hîc ab hæreticis dirutum, & in profanos usus conversum est: ibi à Juda Machabæo *electi sacerdotes, qui mundarent sancta* (a) hic Regiâ, ut vidimus, authoritate, magnus sacerdos Rudnicius, manum cum suis, repurgando admovit loco. Ibi *ædificaverunt sancta, & quæ intra domum erant intrinsecus; & Ædem, & Atria sanctificaverunt* (b) hîc omnibus intra Ædem sacram restitutis, unica defuit Consecratio atq; Dedicatio; quam idē Pontifex, per se tandem absolvit. Ibi *facta est lætitia magna in populo, & aversum est opprobrium gentium* (c) hîc Dedicatio maximâ omnium orthodoxorum gratulatione peracta est, aversumque opprobrium sectariorum. Ibi statutum est, *ut agatur dies Dedicationis ab anno in annum per dies octo, cum lætitia & gaudio* (d) qui dies festus accepit nomen *Encænia*, quod etjam in Evangelio retinet (*e*) aliàs, teste Josepho (*f*) festivitas luminum, vel etjam lumina dictus; *Vocamus*, inquit ille, *hanc festivitatem luminum, opinor ideo, quòd ex insperato illuxerit nobis tanta fælicitas*: hîc non tam annua, quàm perennis ac perpetua quædam, à populis undique indies confluentibus festivitas agitur; quæ etjam festivitas luminum dici possit; quia per hæc Encænia (quæ juxta Redanum (*g*) *Initialia* sive *Renovalia*, si liceret, appellari possent) & loco prisca religio atque dignitas iterum affulsit; & populis in Cimmeria sectarum caligine juxta degentibus, Catholicæ lux verita-

(a) 1.*Mach*.4.*v*.42 (b) *v*.48. (c) *v*.58. (d) *v*. 59. (e) *Ioann* 10.22. (f) *lib*.12.*antiq.cap*.11. (g) *ad* 1. *Mach*.4.§.83.*& seq*.

Digitized by Google

ritatis, quasi è Pharo quadam accendi atque lucere cœpit. Denique & à singulari, quæ in animis piorum repente emicuit, gaudii lætitiæque luce, festivitas illa luminum fuit. Quæ quidem lætitiæ lux, etsi communis omnibus fuerit, Rudnicius tamen Episcopus illam sibi præ omnibus singularem expertus est; aut certè reliquis omnibus præripuisse visus est. *Vnum hoc*, inquit de eo Ciaritius (a) *antequam universæ carnis viam ingrederetur, ille summo desiderio optabat; post receptum jam & expiatum Elbingense Templum, cultumq; orthodoxæ pietatis in illud postliminio reductum: post Regiomontanum Romanæ Religionis exercitium procuratum; ut Marianæ Tiliæ Oratorium cerneret restitutum. Vidit, antequam Spiritum cælo redderet, & immensè lætatus est; cygneumq; illud ac divinum acroama, in quod Simeon quondam, viso contrectatoq; in infantilibus* DEO *proruperat, exultante spiritu pius Antistes cecinit, ex mortalis vitæ ærumnis petens dimitti. Et satis se ad eam diem vixisse rebatur, vir immortali vitâ dignus, cùm non solùm, B.V. Oratorium eleganter reædificatum intueri; sed etiam illud* DEO *Opt. Max. solennibus ceremoniis sacrare, & sacratissimæ Virgini Mariæ, Christiano ritu addicere, divino munere illi concessum fuisset.*

## CAPUT XII.

Rudnicii, succedentiumque deinceps Episcoporum Varmiensium, in B.V. Lindensem, religio, pietas, ac munificentia.

DEfunctus longâ & diuturnâ jactatione Rudnicius, restaurato & dedicato jam Lindensi sacello, in portu securus ac hilaris jam stabat votorum;



(a) *pag. B 5.*

poteratq; quando, & quoties libebat, suæ erga Lindam Marianam pietati laxare vota. Et laxavit sanè, quoad reliquum vitæ superfuit. Nam, quoties ille supplex quovis anno illuc accessit? quoties vota sua gaudio, agendisque gratiis mista geminavit? Non erat opus, ut eum, quemadmodum plerosque, aut morbus, aut necessitas aliqua, casusvé eò cogeret; ultro, ac libens, volensque identidem accurrebat; ut deliciis suis, & quidem tam diu, tantaque contentione quæsitis, tandemque partis coram frueretur. Si enim prius quàm sacellum restauraretur, aut ipse locus sacer vindicaretur, committere non potuit, quin eo animi sensu, ac pietate, qualem Claritius oculatus interdum testis descripsit, identidem accederet; quid censemus deinceps ab eo factum? *Non celanda hoc loco videtur*, inquit Claritius, *in sacrum hunc locum, reverendissimi olim & pientissimi Præsulis Varmiensis Simonis Rudnicii, dum viveret, affectio. Ardescebat perpetuò, flammantis illius pectoris, erga eius solitudinem devotio, pietas exundabat. Solitus erat proinde quotannis, comitante universâ familiâ, senili provectâq; ætate nequaquam retardante, ad sacratissimam Virginem eò loci venerandam, pedestre iter aliquoties instituere. Inter viam profundum, quod divina decet, silentium; elevatio mentis in Deum longè à terrenis semota; interdum precatoriarum sphærularum versatio adhibebatur; interdum voce* DEUS, *voce Mater Virgo celebrabatur, pio antistite sacri chori duce præeunte. Postquam verò locum sacrum attigisset, senilia membra honorabilis Præsul terra illidebat: ex imis cordis latebris, suspirabundi erumpebant gemitus, singultus geminaban-*

*nabantur: oculi stillantes lacrymis liquescebant, & ubertim desertum locum rigabant. Arcanas hic iungebat preces, crebra condensabat suspiria; Deum ad misericordiam adversùm se, adversùm alios provocantum; & supernisâ abundantiùs consolatione superfusus, votorum certus, alacer se domum recipiebat.*

Rudnicium secuti deinceps Antistites, pressa ab illo vestigia ad Lindam Marianam constantissimè triverunt. Primus, qui ab ejus obitu Episcopam Varmiensem tenuit, fuit serenissimus Princeps Joannes Albertus, Sigismundi III. Regis filius: qui, quemadmodum cæteris in virtutibus, ita & in insita Domui Regiæ erga B.V. Lindensem pietate, minimè degener, inter plura, quæ pro maximo suo in eam studio, animo destinârat, unum quoque opere ipso præstitit, & quidem plurimi æstimandum: quando sacellum Deiparæ Lindensis, unà cum adjuncta ædicula Societati JESU Collegii Resseliensis donatum, pro ea, quâ pollebat authoritate, non modò confirmavit, verùm & immunitati libertatibusque ecclesiasticis utrumque adscribendo, locum, quem Iconoclastæ tam diu profanum reddiderant, sacratiorem effecit; & à seculi hujus jugo ad ecclesiasticæ libertatis amplitudinem dignitatemque provexit. Quibus de rebus, neminem magis, quàm ipsum in diplomate, quod diligenter asservatur, loquentem audire juverit.

*Ioannes Albertus*, DEI *gratiâ Poloniæ & Sueciæ Princeps, Episcopus Varmiensis.*

CUm & muneris noſtri, divinâ voluntate ad nos delati, rationes, & laudatiſſimorum majorum noſtrorum quotidiana fere exempla poſtulent, ut nihil magis quàm cultus divini propagationem & augmentum ubique ſed vel præcipuè in Epiſcopatu, curæ noſtræ commiſſo, in votis habeamus; non poſſumus non mirificè complecti piorum vota, liberalitatem & largitiones, quibus ceu validiſſimis fulcris idem cultus Numinis divini non tantùm firmiter ſuſtineatur, verùm etjam magis ac magis in dies non vulgari fidelium conſolatione feliciſſimè promoveatur. Proinde cùm diebus proximè elapſis & Commiſſariorum noſtrorum, non ita pridem ex Epiſcopatu noſtro reverſorum relatu intellexiſſemus, & ex Authenticis documentum percepiſſemus Nobilem Stephanum Sadorsky Capellam muratam Lindenſem B. mæ Virg. Mariæ prope Reſſelium in Ducatu Pruſſiæ ad fines Provinciales ſitam unà cum domo eidem Capellæ vicina religioſis Patribus Soc. JESU jure culmen perpetuo & irrevocabili dediſſe, donâſſe, atque ad Acta ſive coram officio noſtro Heilsbergæ die 7. Maji Anno proximè elapſo MDCXXXI. inſcripſiſſe, & in perpetuum judicialiter reſignâſſe, eandemque ſimul inſcriptionem & reſignationem nomine eorundem religioſorum Patrum Soc. JESU, ab ipſismet Patribus tum præſentibus acceptatam atque iisdem Archivis noſtris inſertam & munitam eſſe, ſummopere recreamur, vel eo præſertim

tim quòd isti Religioni sive ordini locus is celeberrimus cesserit, cujus sana & salutaris doctrina nec non sancta exempla uti multas alias provincias & regna, ita Episcopatum quoque erexerint, confirmârint, illustrârint, & nunc etjam feliciter faventibus superis sustineant & illustrent. Ut itaque præmissa omnia robur & firmitatem debitam obtineant, non solùm petitioni & precibus eorundem reverendorum Patrum benignè annuendo, verùm etjam pro debito muneris nostri augendi cultus divini studio, & erga eosdem Patres singulari animi nostri propensionem superiùs expressam donationē, inscriptionem, resignationem & cætera omnia in præmissis facta Authentica nostra ordinaria confirmanda esse duximus, uti quidem in DEI nomine ratificamus, confirmamus, eandemque Capellam unà cum fundo, in quo consistit, & domo vicina immunitati Ecclesiasticæ adscribimus harum testimonio literarum, quas robur perpetuæ & irrevocabilis firmitatis habere volumus. In majorem omnium præmissorum fidem præsentes manu nostrâ subscriptas sigillo nostro muniri jussimus. Actum & datum Varsaviæ die 6. mensis Junii Anno MDCXXXII.

*Ioannes Albertus*

(L.S.)

*Iacobus VVierzbienta Doruchorosky.*

Eâdem planè tempestate, quâ serenissimus Princeps Joannes Albertus Episcopatum obtinebat, illustrissimus D. Michaël Dzialynsky, hoc quidem Camenecensis, illo verò tempore Hipponensis Episcopus, unaque suffraganeus & Canonicus Varmiensis, vices Principis, divinis potissimùm in officiis, ita supplebat, ut tamen in cultu ac pietate erga Deiparam Lindensem suas quoque partes strenuè obiret: neque enim solùm adire locum sacrum per occasionem, verùm & præclaris ornare donis in usu habebat. Extat adhuc Calix argenteus pro facienda re divina ab eo datus; plerisque multùm acceptus, ac præ reliquis adhiberi solitus, sive quod inter primos fuerit Deiparæ Lindensi oblatus; sive etjam quod ad usum sacrificii, præ cæteris, videatur accommodatior.

Principi Joanni Alberto in eadem juxta Provincia Varmiensi, atque in singulari erga B.V. Lindensem pietate, successit illustrissimus D. Nicolaus Szyszkowsky: qui, sicut pro officii sui ratione ac dignitate, verissimè cum Regio vate, *dilexit decorem Domus* DEI; ita cùm cæteras omnes, in tota Diœcesi, Ecclesias, beneficiis, muneribusque cumulâsset suis, ut propè nullum sit Templum vel Ædes sacra, quam ille vel Calice, vel Pyxide, vel Cruce, vel alio ex auro, argento, vestibusvé sacris, etjam precii majoris, munere non ornârit; in Lindensem tamen Deiparæ Ædem singulari ferretur studio, atq; beneficentiâ. Tametsi enim ad fundandum, & ab imo struendum Societati JESU, tum Templum, tum Collegium Resselii animum curamq; omnem addixisset; destinârat tamen animo, in ornanda augendaq; Linda Maria-

na, su-

na, futuro majori operi ante quasi proludere: fecisletque, uti destinârat, nisi quorundam (nescio, quid Lindæ intra fines Acatholicorum sitæ, haud satis prudenter metuentium) consilio & suasu ad novam Ædem, rotundâ figurâ, in deserto, juxta villam Springborn loco, ædificandam, manus animumque vertisset. Neq; tamen sic à Linda Mariana, quàm frequentissimè quotannis revisebat, liberalissimas potuit subtrahere manus, quin supra frequentes ex ære suo largitiones, quarum ego admodum conscius sum, Lindensi sacello, pro sacratissimo Eucharistiæ sacramento asservando, Pyxidem argenteam auro undiq; inductam, juxtaque precio ac magnitudine excellentem dicaret.

Nicolao Szyszkovio, non sine plurimorum dolore, rebus humanis exempto, occupaturus jam sedem erat, cujus & Regum Poloniæ & Summi Pontificis anctoritate jus adierat, illustrissimus Dominus à Konopat, Konopatius: sed fatis antè concessit, quàm suam, in sua quoque Prussia, Varmiam prehendisset. Non pauca & ille, tum in Collegium Resseliense, tum in Lindam Marianam, apud animum suum consignârat beneficia; quæ etjam R. P. Georgio Leyer, uti fidissimo in peregrinatione Gallicana socio, sæpius coram exprompserat; sed piissimam optimi Præsulis, quanquam necdum ad coronidem ipso opere promotam voluntatem, gloria non hujus seculi, quæ plerumque aliquo vanæ gloriæ fumo deflorari solet, sed illius beatioris, uti spes est, excepit.

Decedentis Konopatii provinciam, ut & studium in Lindam Marianam propensissimũ, occupavit illustrissi-

ſtriſſimus Wenceslaus Comes à Leszno; cujus etjamnum divinâ gratiâ ſuperſtitis, uti & reverendiſſimi ejusdem ſuffraganei D. Alberti Pilchowitz Epiſcopi Hipponenſis, Vicarii inſuper, atque Canonici Varmienſis, non addecet hoc tempore ac loco, auribus quidquam dare. Nihilo tamen minus, & munera, quæ illuſtriſſimus Princeps jam obtulit; & peregrinationes, quas, cùm intra provinciam eſt, non raras ad B. V. Lindenſem obit; & lignorum, quæ ad laxanda peregrinorum hoſpitia non modò donavit, verùm & deportari ad locum curavit, acervus ſat magnus, etjam me tacente, ipſius in B. V. Lindenſem loquuntur, & futuris deinceps temporibus loquentur pietatem ac liberalitatem. Si enim ſummo Pontifici Paulo III. Turſellino (*a*) teſte, magnæ fuit laudi; quòd ad ſacram Ædem Lauretanam, accipiendis etjam Regibus, principibusque peregrinis, idoneas ſtruxiſſet & Pontificâ quoque magnificentiâ dignas ædes; non poterit citra Leſcinii Pontificis laudem aut prædicari, aut etjam ſpectari diverſorium, quod accipiendis commodè peregrinis, ejus potiſſimùm beneficentia Lindæ jam aſſurgit. Quanquam & nos, cùm ſuo loco votorum illius rationes & votivæ Tabulæ cauſas enarrabimus, tacere nequaquam debebimus, tanti Præſulis virtutem, ac pietatem. (*b*)

CAPUT

(a) *lib. 4. cap. 10.* (b) *lib. 4. cap. 6. & 31.*

# CAPUT XIII.

Sigiſmundus III. & alii ſereniſſimi Poloniæ Reges, Patrocinium Lindæ Marianæ, & jus patronatus ejusdem ſacelli, in ſe recipiunt.

TAntam eſſe humanæ vim atque furorem impietatis, ut etjam cælo inferre manus auſit, docuit jam olim veterum de Gigantibus Philoſophia: ut proinde ſolicitus de reſtaurata ab ſe Linda Sadorſcius, nullum omiſerit, quoad vixit, adversùs eandem impietatem, quærere & advocare præſidium. Quoniam verò nullum in terris majus atq; firmius, quàm in ſereniſſimorum Poloniæ Regum Majeſtate, præſidium reperiri poſſe vidit, tantò ſe majore fiduciâ eò contulit, quantò ſe in vindicando ſacro loco, ab eadem Regia benignitate atque authoritate magis adjutum meminerat. Quapropter ſupplex iterum Sigiſmundo Regi, totiq́ue Regiæ Domui advolvitur; &, ut tum ſacellum ab ſe reædificatum, tum univerſim fundum ad Lindam attinentem, Regio patrocinio non indignum arbitrari, communire authoritate Regiâ, & contra omnes adverſariorum machinas atque vim tueri ac protegere dignentur; quàm ſubmiſſiſſimè obſecrat. Sigiſmundus Rex, pro ea, quâ ſemper in Deiparam ferebatur pietate ac religione, proq́ue incredibili, quo rem Catholicam ubique cupiebat propagatam, ſtudio atque contentione, omnia, quàm rogabatur, cumulatiùs præſtitit: nam & ſe, ſereniſſimosq́ue heredes ſuos; & futuros deinceps Poloniæ Reges, ſacro Lindenſi loco, perpetuum fore patronos profeſſus eſt. Qua de re ipſe Sadorſcius in

Teſta-

Digitized by Google

Testamenti tabulis Anno MDCXXIV. confectis, quæ in Collegio Resselienſi aſſervantur, *Ius, inquit, patronatus & protectionem ſacelli & Fundi Lindenſis, uti ſacræ Regiæ Maieſtati & Regno inſcripſi, atque ſacra Regia Maieſtas, Dominus meus clementiſſimus in ſe, ac pro ſucceſſoribus ſuis recepit benigniſſimè; ita & hiſce nunc literis ſacræ Reg. Maieſtati & Regno inſcribo, in perpetuum; quatenus eo tutius in loco iſto ſacro, religio & exercitium Catholicæ Romanæ fidei, perpetuis temporibus peragi ac vigere poſſit.* Neque hîc tanti Regis pietas quievit; ſingulares inſuper literas ad ſereniſſimum Electorem ac Pruſſiæ Ducem, in cujus ditione Linda Mariana ſita eſt, perſcriptas dedit; atque ut is quoque, ſuo locum ſacrum patrocinio foveret pro ea, quâ pollebat authoritate, cohortatus eſt. Juvat eas literas, quæ in Tabulario noſtro Reſſelii aſſervantur, hoc loco referri, non modò ut tanti Regis in Deiparam remque Catholicam ſtudium, verùm etjam ut ſereniſſimorum Electorum ac Pruſſiæ Ducum (quorum non minimâ utique curâ ac providentiâ, locus ille ſacer tot jam annis illibatus viget ac floret) in ſereniſſimos Poloniæ Reges obſervantiâ, fiant manifeſta. Sic igitur ad IV. Cal. April. Anno MDCXVIII. Rex.

*Sigiſmundus III.* DEI *gratiâ Rex Poloniæ magnus Dux Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſoviæ, Samogitiæ, Livoniæq; nec non Suecorum, Gothorum, Vandalorumquê hereditarius Rex.*

*Illuſtriſſimo Principi, Domino Ioanni Sigiſmundo Marchioni Brandeburgenſi, Sac. Rom. Imp. Archicamerario & Electori, Pruſſiæ, Iuliæ, Cliviæ, Montium, Stetini, Pome-*

*Pomeranorum, Caſſuborum, Sclavorum, nec non Crosnæ Carnoviæque in Sleſia Duci, Burggrabio Norimbergenſi, ac Rugiæ Principi; Amico, Affini, uti filio noſtro cariſſimo, ſalutem & mutui amoris continuum incrementum.*

*ILluſtriſſime Princeps, Amice, affinis, uti Fili noſter cariſſime. Pium generoſi Stephani Sadorsky Secretarii noſtri inſtitutum, reſtituendi & readificandi Oratorii, in fundo Linde, quòd priſcâ religione ſemper floruit, ita comprobamus, ut locum hunc ſub Patrocinio noſtro, majora incrementa ſumere deſideremus. Quamobrem, amanter ab Illuſtritate veſtra poſtulamus, ut noſtrâ causâ, favere quoque velit optimo propagandi cultus divini ſtudio eius Secretarii noſtri; atque ita negotium iſtud promovere, ut nos reipsâ experiamur, Illuſtritatem veſtram, quidquid nos valde velle intellexerit, eò Illuſtritatem veſtram libenter ſtudium voluntatemque ſuam accommodare. Cui diuturnam valetudinem à* DEO *precamur. Datâ Varſaviæ die* XXVII. *menſis Martii Anno Domini* MDCXVIII. *Regnorum noſtrorum Poloniæ* XXXI. *Sueciæ* XXV. *Anno.*

SIGISMUNDUS REX.

Quantum literæ iſtæ ponderis habuerint, atq; etjamnũ habeant, ex ipſa, quæ in loco ſacro pax, quies, tranquillitas, & ſecuritas hactenus viguit, patere cuivis poteſt. Septimus jam ſupra triceſimum, à reſtaurato ſacello, decurrit annus; & (ſi privatorum, ac de fece populi quorundam excipias petulantiam, aut potiùs amentiam) nulla loco ſacro, nulla cuiquam perc-

peregrinorum vis, aut contumelia illata. Quòd ego quidem ſereniſſimorum Electorum ac Pruſſiæ Ducum curæ ac providentiæ, minimè dubitem in acceptis, ſecundùm Deum, referre. Tanta ſiquidem eſt ſereniſſimorum Brandeburgicæ Domûs Electorum, in Reges Regnumque Poloniæ obſervantia, ut eorum voluntatem atque nutum, pro imperio reputent; neque poſſint non habere magnam tum ſacelli, tum ipſius Lindenſis fundi ſolicitudinem, quorum tantam vident ſereniſſimis Poloniæ Regibus inſixam curam, atque ſtudium patrocinandi. Expertus eſt, cùm ſuperſtes eſſet Sadorſcius, experimur & nos cæterique omnes, non omnino caſſum fuiſſe Sigiſmundi Regis votum, ac deſiderium; quo à ſereniſſimis Pruſſiæ Ducibus *iſtud* circa Lindam Marianam *negotium ita promoveri* cupiebat, ut & ipſe, & cæteri omnes intelligerent, ſereniſſimos Pruſſiæ Duces ac Electores, quidquid ſereniſſimos Poloniæ Reges *valde velle intellexiſſent, eò quoq; libenter ſtudium voluntatemq; ſuam accommodare.*

Qua in cauſa, non decet Sadorſcii laudem, quam illi jure Ciaritius attribuit, prætetire. *Non reſpexit hîc,* inquit ille, *carnem aut ſanguinem Sadorſcius; ſed ſepoſito omni affectu, cunctas ſanguinis neceſſitudines à bonis Lindenſibus excluſit: maluitq; poteſtate regiâ & Regni robore, B. V. Lindenſis incolumitati conſulere, quàm conſanguineos, illius fundi acceſſione, locupletiores exiſtere. Hoc plurimùm veritus, ne temporum lapſu, cui obnoxia ſunt humana, ex illorum poſſeſſione exiens, in eorum, quorum ipſe maximè nollet, manus iteratò relaberetur, & ludibrioſa ſortis atrocia arbitria ſubiret.*

CAPUT

## CAPUT XIV.

Cum reſtaurata Linda Mariana, reſtaurata, imò magis etjam aucta in Deiparam religio; non ſine hæreticorum contabeſcentium invidia, hæreſeonque ad ruinam inclinatione.

NUnquam equidem, etjam cum exciſo extinctoque Lindenſi ſacello, extingui aut exſcindi potuit mortalium ad B.V. Lindenſem pietas atque religio, uti aliàs docuimus: veruntamen, uti

*Segnius irritant animum demiſſa per aures,*
*Quàm, quæ ſunt oculis ſubjecta fidelibus;*

ita, cùm non animus duntaxat verùm & oculi & aures, ſua habent ad pietatem quaſi irritamenta, tantò facilius exardeſcit ille pietatis in animis mortalium igniculus, quantò pluribus vel excitatur, vel etjam nutritur fomentis. Tametſi igitur magnus ſemper fuerit hominum ad B.V. Lindenſem undique accurſus, etjam dum ſacellum exciſum, locusque prorſum deſertus eſſet; tamen ubi poſtliminio reſtauratum vidêre, vel etjam audivêre populi, mirum, quantum ubique in omnium animis ſit auctum erga Lindam Marianam ſtudium! Tunc enim, & peregrinationes, longiſſimè quoque diſſitorum, crebreſcere; & populi, atque integræ urbes, non modò ſacellum verùm & vicinas ſacello valles atque lucos, per Proceſſiones, confertiſſimasque ſupplicantium pompas, inundare; & rei votorum cum ſuis anathematis variisque donis, undique locum ſacrum, quovis propè die frequentare. Quæ cùm ſpectare, ac coram fruendo venerari multo ſit æquius atque antiquius, non eſt, quòd eorum ſcribendo deteramus gratiam.

Verùm hîc Deiparæ juxta ac Eccleſiæ Catholicæ hoſtes, præſertim verò, qui in contermino ſtabulantur Ducatu Lutheri Popæ; dum tantam Deiparæ gloriam, vident, vehementer invident; &, quod in proverbio eſt, *Matrea belluam alunt*. Alunt enimvero belluam, quia ex rebus Eccleſiæ Catholicæ ſecundis ac Deiparæ cælitumque honore; quaſi venenum de floribus ſorbendo, invidiâ atque odio contabeſcunt, & Polypi adinſtar (ſi tamen id Plinius (*a*) admittat) carnes ſuas vorant. *Sciendum enim*, ut S. Gregorii oratione utamur (*b*) *quia, quamvis per omne vitium, quod perpetratur, humano cordi antiqui hoſtis virus infunditur, in hac tamen invidiæ nequitia, tota ſua viſcera ſerpens concutit, & omnem peſtem evomit: unde ſcriptum eſt*, INVIDIA DIABOLI MORS INTRAVIT IN ORBEM TERRARUM. *Nam cùm devictum cor, livoris putredo corruperit, ipſa quoque exteriora indicant, quàm graviter animum veſania inſtigat. Color quippe pallore afficitur, oculi deprimuntur, mens accenditur, & membra frigeſcunt. Fit in cogitatione rabies, in dentibus ſtridor, in conſcientia vulnus.* Liberné hîc vel unicum de reſtaurata Linda Mariana, & DEIPARÆ cultu tabeſcentem, ideoque in conſcientia vulnus, in dentibus ſtridorem, rabiem in cogitatione alentem, quaſi coram ſpectare? Is verò erit, non rarò alias hîc ſpectatus Mislenta; qui ſub finem Manualis, de Quinto Eccleſiarum in Pruſſia ſtatu, ſive de ſectæ Lutheranæ, ad ruinam inclinatione differens, non pauciora quàm octo ejus inclinationis promit indicia; quæ quidem inter, tertio loco memorat

(a) *lib.9.cap.29.* (b) *5.moral.cap.33. & 39.*

morat *introductionem hæreſeon* (ſic enim illi placuit ſcribere) *antehac ex Ducatu exterminatarum, inprimisque Papiſticæ, vel Romano-Catholicæ.* Unde verò eam Papiſticæ religionis introductionem deducit? Tribus potiſſimùm ex argumentis: quorum prius eſt, Templum Catholicum, *magnis*, ut ille ait, *impendiis* Regiomonti extructum: alterum eſt, Catholica Religio Auguſtanæ Confeſſioni, etjam in Ducatu Pruſſiæ præpoſita, ac primas ubique ſibi vendicans, liberumque ejus exercitium, *cuivis*, ut ille quoque ait, *per omnia, ubivis locorum conceſſum*: Tertium denique Lindæ Marianæ reſtauratio. De qua tanquam hujus loci propriâ, lubet nigrum iſtum cygnum, tanquam funeris ſui haud longè ſecuturi, jamque tandem ſecuti præcentorem, iterum audire exululantem. *Loca*, inquit ille (a) *idololatrica antehac abrogata & abſoluta, nunc, prô dolor! inſtaurantur, & redintegrantur paſſim. Sic Tiliæ illius, ante centum fere annos, ſacellum ab illuſtriſſimo Duce Alberto dirutum, ac ſolo æquatum, à Pontificiis patronis iam inſtauratum, officina idololatriæ abominanda evaſit; peregrinis è longinquo, ac è propinquo, eò ſuperſtitionis causâ confluentibus, & impunè quidem, quibus olim præmii loco, patibulum erat deſignatum.* O quàm verè hîc locum invenit juxta Caſſianum (b) illud Jeremiæ (c) *Ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio; & mordebunt vos!* Rectè, ut ait Caſſianus, *invidia Baſiliſco comparatur; quia ſicut Baſiliſcus mordens perit, ſic invidens, prius*



(a) *pag.* 2, 6. (b) *Collat.* 18. *cap.* 17. (c) *cap.* 8.

*quàm in hominem, cui invidet, mortu virus effundat, ipſe ſe perdidit.*

Verùm nos ad cygneam illam Mislentæ vocem oportet reverti, qua cùm ille, non antè ad Cereris generum abiit, quàm & Movio & aliis plurimis, maximè autem Drejero & Drejeranis eum, quaſi *intonando*, concentum eſt exorſus, qui non facilè ad finem, vel (ut cum vulgo Muſicorum loquamur) *ad finale* decurrat. Ut tamen alacriùs & conſtantiùs conatur, proderit hisce cantoribus reliqua inclinati ad ruinam Lutheraniſmi indicia, & eodem præcentore, quàm pauciſſimis hîc retuliſſe. Primum ille ait Magiſtratus, animis à Lutherana ſecta, alieniores. Secundum, *totalem Ordinis eccleſiaſtici*, ut ille ait, *abrogationem*: Tertium, Catholicæ religionis introductionem: Quartum, manifeſtum Lutheraniſmi, in ipſo quoque Ducatu, contemptum & faſtidium: Quintum Theologorum, ut ille ait, verbique Miniſtrorum contemptū; nec modò contemptum, ſed, ut ille ſexto indicio ſcribit, *quæ multifariam accidit, Theologorum ac Miniſtrorum preſſuram, videlicet ex tenuitate, quin & ſubtractione ſalarii; ex denegatione honeſti domicilii; ex occulta & aperta Politicorum perſecutione.* Septimum, rei literariæ & literatorum contemptum: Denique octavum, ſtudium partium ad Catholicam Eccleſiam non leviter inclinantium. Quæ omnia, ſi vera ſunt, uti quidem non longè à vero abeſſe videntur, habent ſanè cantores noſtri, unde & Mislentæ præcentori gratias agant, & ipſi ſeſe, quàm diutiſſimè canendo, utcunque reficiant. Ego interim, dum iſta, aliaque id genus canuntur, atque aguntur, qua par eſt pie-

eſt pietate, quin & gratulandi ſtudio, Deiparæ Lindenſi, ſolenne illud, cum Eccleſia Catholica, Epinicion ingemino; *Gaude* MARIA *Virgo! cunctas Hæreſes ſola interemiſti, in univerſo mundo.*

## CAPUT XV.

### Beneficia divina, quæ apud Lindam Marianam cumulatiſſimè conferuntur, quanti æſtimanda?

FIeri nequaquam poteſt, ut liberalitas divina, quantiscunque mortalium obſequiis vel officiis, ſuperari unquam poſſit. Si enim, ut ex mente Philoſophi Doctor Angelicus præclarè diſſerit (a) *liberalis hominis eſt, ſuperabundare in datione; quanto magis* DEI? Eſſe porrò in DEO *liberalitatem, etiam propriè dictam, & quidem maximam*, inde Leſſius demonſtrat (b) *quòd* DEUS *propenſiſſimus ſit ad erogandum, & quidem copioſè, ac merè gratis.* Unde non ſolùm in futuro, verùm & in præſente ſeculo habet locum illud Apoſtoli (c) *Momentaneum & leve tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate, æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Ut enim in futura vita *Pondus gloriæ*, ita & in præſenti, *divinæ pondus gratiæ*, ſi cum meritis, obſequiis, officiisque noſtris ad bilancem veniat, immensùm ſuperat; præſertim ſi illud Chriſti (d) ſicut eſt omnino veriſſimum, nos quoque verum in nobis reipſa experiamur; *Iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve*: credamusque S. Auguſtino in Pſalmum 59. ita diſſerenti: *Alia ſarcina premit & aggravat te; Chriſti autem ſarcina ſublevat te: alia ſarcina pondus habet, Chriſti ſarcina pennas ha-*



(a) 2.2.q.117.a.6. (b) *de Iure & Iuſtit. lib. 2. cap. 47. dub. 8.* (c) 2. Cor. 4. 17. (d) *Matth. 11.*

*nas habet. Nam & Avi, ſi pennas detrahas, quaſi onus tollis; & , quò magis onus abſtuliſti, eo magis in terra remanebit: reddas onus, & volat. Talis eſt Chriſti ſarcina.* Verùm ſit ſanè Chriſti ſarcina , non tam penna, quàm ſarcina; ſit onus, ſit pondus: nunquid aliud quàm leve & momentaneum erit? Et tamen in *momentaneo hoc*, ut loquitur Bernardus (a) *latet æternitas; in levi, pondus ſublime, & ſupra modum.* Sublime enim & ſupra modum eſt pondus, non tantùm gloriæ, ſed etjam, quæ in præſenti vita divinitus confertur, Gratiæ. Franciſcus Aſſiſias, ille in carne mortali immortalis Seraphin, quod divinitus erat edoctus, ſuos quoq; docere ſolitus erat, minimum nō tantùm gloriæ ſed etjam gratiæ divinæ gradum; qui operi quantumvis exili reſpondet, pluris eſſe mundo univerſo; etjam, ſi terra omnis in aurum, & lapides omnes in gemmas, & Oceanus totus in balſamum verteretur. Quid verò, quod liberalitas divina, uti promiſit (b) *quærentibus primùm regnum* DEI, *alia adjiciat*? Nunquid, ut plurimos alios mittamus, Rudolpho Habſpurgi Comiti, & primo Romanorum ex Auſtriacis Imperatori adjecit? Verè ille Comes erat, qui, quamvis ſub Euchariſticarum nube ſpecierum peregrinantem comitatus eſt Dominum: nec minùs verè hic Dominus, qui Comiti ſuo Orbis univerſi contulit Dominium, deſcendentemque ex equo, ad Imperii Romani erexit ſolium; ut, dum quaſi ex æquo certare videtur, hinc quidem Auſtriaca pietas & religio; inde verò divina liberalitas ac munificentia, breve illud, imò *momentaneum ac leve* officii obſequiique meritum,

(a) *ſerm. 17. in Pſalm.* Qui habitat. (b) *Matt. 6. 33.*

ritum, quodammodo æternum gloriæ pondus, in hoc quoque ſeculo operatum ſit; quando, ut Spondanus quoque ait, *& ipſi Rudolpho, & ipſius poſteris, tantum, ad hunc uſque diem, acquiſivit Imperium.* Quamvis autem non omnes, qui ad DEI & Deiparæ laudem, ſeſe Lindam recipiunt, aut Imperia aut Regna in terris recipiant; recipiunt tamen plerique, præter futuras gloriæ, præſentesque gratiæ divinæ opes, eas curationum ſanitatumque gratias, quas, ſi optio detur, vix, aut ne vix quidem regnis atque imperiis permutarent. De quibus quidem curationum gratiis, cùm jam deinceps agendum nobis ſit, ita pleraque, quæ decem vel octo circiter annorum ſpatio evenerunt, hoc eſt, quæ ab Anno MDCXVIII. quo ſacellum reſtaurari cæpit, ad Annum MDCXXVI. quo ob belli Suecici turbinem, nemo quæ aliis deinceps annis geſta ſunt, conſignavit, ad exitum hujus libri percenſebimus, ut non tam ſuccedentium ſibi annorum temporiſque ſeriem, quàm ipſorum beneficiorum, certa in genera claſſeſque tributorum (quod ipſum ſequente quoque libro facturi ſumus) rationem habeamus, ordinemque ſequamur.

## CAPUT XVI.

Cæcitas, & alia oculorum vitia, Deiparæ Lindenſis ope, depulſa.

OMnium quidem calamitatum, &, cùm animi tum corporis morborum, reperiuntur apud Lindam Marianam remedia atq; alexipharmaca; in primis tamẽ videntur oculis parata eximiè, & præſentia adeſſe

medicamina. Nam, & primùm ſub ipſam Marianæ Lindæ originem, uti aliàs vidimus (a) Miraculum, cæci reſtitutio fuit; & à reſtituta poſtmodum Linda reſtauratoque ſacello, inter morbos corporis, cæcitatem potiſſimùm fuiſſe depulſam, exempla, quæ ex Ciaritio jam percenſebimus, docebunt.

I.

Figulus Allenſteinenſis à cæcitate curatus.

*Allenſteinii*, inquit Ciaritius, *quod oppidum ſpectat ad venerabile Capitulum Eccleſiæ Varmienſis, Figulus quiſpiam contracto oculorum dolore, excæcatus fuit: & in hac cæcitatis calamitate ſeptennium exegit.* DEI *clementiam poſt multa expoſcens, & B. M. Virginis interventionem implorans beatam Virginem Lindenſem, ſe quotannis, quàm diu viveret, viſitaturum conſtituit; Vix preces exorſus fuerat, vixq́ votum verbis peregerat; cum ſubito oculis lumen refuſum eſt. Atque ille, quod pollicitus fuerat, ſingulis annis, quoad vixit, religiosè executus eſt.*

II.

Oculi incidentibus oſſium ſegminibus uſque ad cæcitatem læſi, ex voto Lindam concepto, reſtituti.

*Anno* MDCXXII. inquit idem, *ſancti Martini feſto, Matthæus Toxius ruſticus in* Arensdorff (eſt vicus hic in Vormditenſi municipio, leucâ unâ à civitate Auſtrum versùs disjunctus) *adſtante uxore carnem cædebat: oſſicula quædam in oculos inſiluerunt; quæ uſque ad Bacchanalia nihil vidit. Tandem vovet, & revaleſcit; ſecundâ Iulii votum ſolvit.*

III. Vir

(a) *lib. 1. cap. 16.*

## III.

### Vir inter Allenſteinenſes primarius, viſum ope B. V. Lindenſis ſibi reſtitutum, oblatâ imagine, beneficii indice, conteſtatur.

Notus mihi etjamnum adoleſcenti is vir erat; quippe qui è peregrinatione, quam ad pleraſque Europæ provincias ſuſceperat, domum reverſus facilè omnium in ſe oculos convertit: notior tamen Curioni ſuo Michaëli Ciaritio, qui hæc, quæ jam recenſebo, de illo prodidit.

*Ioannes Henrici, è numero Scabinorum Allenſteinenſium vir ſpectabilis; bene longo tempore ex oculis laborans, illorum uſu penitus privatus fuit. Invocatâ itaque Virgine* MARIA, *votivum ſe iter ad ejusdem Ædem ſuſcepturum, ſolenni pollicitatione firmavit, Quod ubi factum, ſtatim dolor reſedit, & oculi, ad intuendam lucem, reparati ſunt. Nihil idcirco cunctando, ad Oratorium glorioſæ Virginis ſe contulit; & votum, quàm potuit, pientiſſimè ſolvit. Grati animi pignus imaginem non inelegantem, in parietibus ſacelli fixit.* Ex *ipſius, quâ appicta eſt, effigie, quo habitu Virginis* Filio, *ipſique Virgini Matri, pro avertenda, jam propemodum incurſa cæcitate, ſupplicet, res maniſeſtius ſpectari poteſt. Fiebat Anno* MDCXXII. *die* XV. *Auguſti.*

## IV.

### Adoleſcentula, voto Lindam facto, à gravi oculorum dolore curata.

*Brigitta adoleſcentula,* inquit idem Author, *ex pago Lauternhagen* (municipii Heilsbergenſis pagus is eſt) *tanto ardore oculos inflammatos habebat, ut iis ad intuendam lucem ægerrimè uti poſſet; &, ſi quid cerneret, nonniſi caliginosè admodum perciperet. Itaque ad B.* MARIAM

*Lindenſem profecturam ſe, & munus delaturam vovit. Statim ab oculis, omnis illa infeſtantis ardoris vehementia diſparuit, caligo fugata eſt, & oculi ad capiendam lucem vegetiores redditi. Votum piè ſolvit Anno* MDCXXIII.

V.

Juvenis, periculoſâ oculos caligine ſuffuſus, voto Lindam facto perſanatur.

Quo loco, ac fere tempore Lindenſem hiſtoriam Claritius ſcribebat, id, quod ipſe refert, accidit; ut fortaſſe oculatus, poſſit videri teſtis. Biſteni enim res accidit pridie Cal. Majas Anni MDCXXIII. & ille, Biſtenii itidem ipſis Martii Calendis Anni MDCXXVI. Regi Sigiſmundo hiſtoriam ab ſe ſcriptam dicavit. Rem porrò, de qua agimus, ita perſtrinxit. *Iuvenis quidam Brunsbergenſis, ſutoris manceps, dum Biſchoffſteinii Sutrinæ dat operam, inſperatò illi oculi caligine, obfuſcantur; ita ut duarum ſeptimanarum intervallo viderit omnino nihil, & perpetuam timuerit cæcitatem. Quamprimum verò ad Marianam Lindam votum præſtitit, mox integerrimè viſum recepit; beneque oculis ſanus votum reddidit* XXX. *April.* MDCXXIII.

## CAPUT XVII.

Idem beneficium, etjam à Catholica Eccleſia alienis, per B.V. Lindenſem, præſtitum.

ATque hæc, aliaque id genus beneficia, Catholicis à Deipara fuiſſe conceſſa, haud ſanè mirum videri poſſit; quid enim filiis Mater benigniſſima negare queat? Illud fortaſſe mirum videatur, quòd eadem alienis quoque exhibeat. Quidni enim ab illa alieni, qui

qui à Catholica Filii ipſius Eccleſia ita ſejuncti? Neque tamen iſtos piiſſima miſericordiarum parens deſpicit; quò & ipſi aliquando ſemetipſos reſpiciant, & ad veræ lumen Eccleſiæ tandem recipiant; neque externis duntaxat, verùm & interioribus animi oculis ritè deinceps fungantur; eveniatque illud, quod à Deipara precari Eccleſia ſolet, *ſolve vincla reis, profer lumen cæcis.* Quidni verò Deipara, ad Filii ſui exemplum, omnibus omnia, in imaginibus quoque ſuis fiat? Jam olim, quemadmodum Baronius ad Annum 870. memorat. *Prope Damaſcum imago B. Virginis in ligno picta diu ſtetit: denique evaneſcentibus paulatim coloribus, ſucceſſit caro: ita ut imago carnea ſimul & lignea eſſet, vel certè incarnatum lignum. Inſuper oleum balſamo fragrantius manus imaginis dedit, non Chriſtianis modò, ſed & Hebræis, Mauris, & Saracenis ſalubre.* Idea Atlantis Mariani pag. 120.

I.

Puer voto à matre, ad B. V. Lindenſem edito, lucem ſimul & vitam, propè amiſſam, recipit.

Narratur id à Claritio hunc in modum: *Laboraverat lethali ægritudine, Georgius, Friderici Serige filiolus in Zandersdorff coloni, qui pagus ad Hoſpitale Landspergenſe ſpectat: cui iam ante immodica ſuffuſio ſanguinis, lumen oculorum eripuerat, & immaturâ morte luctum parentibus reliquerat. Iuſtina mater deploratam ſalutem filii videns, ad vota convertitur, filiumque, ſi reviviſcat, ad B. V. Lindenſem laturam, & munus ſolenne addituram, quâ maximè poteſt pietate, ſpondet. Inter*

hanc

*hanc maternam votorum curam, cœperunt artus pueri, morte iam frigentes, vitali calore denuò impleri, & animari: ipſe moveri, oſcitare & integris oculis lucem rurſus contueri, ad vitam perfectè revocatus. Exiliit gaudio mater recepto filio vivo, & ſano; vota* DEO, *ac B. V.* MARIÆ *facta, læta ſine mora ſolvit.*

## II.

## Mulier ad extremam fere cæcitatem perducta, voto ad B. V. Lindenſem concepto, ſanata.

*Anno* MDCXXII. inquit Ciaritius, XVIII. *Auguſti, Margareta mulier vidua ex pago Coia, libertinorum Territorii Drenckfurtenſis, hîc votum ſolvit. Fatebatur (quod & pater illius, qui unà venerat, vir provectæ ætatis conſtanter aſſerebat) ſe diuturno ac vehemēti capitis dolore, ad extremas fere oculorum tenebras perductam fuiſſe. Voto B.* MARIÆ *Virgini ad Tiliam facto, dolorem omnem ceſſâſſe; oculos cæcutire omnino deſiiſſe: & ad B. V. Lindenſem, nullo utens ductore, ſine quo nuſpiam antè progredi poterat, veniſſe teſtabatur.* DEO, *beatiſſimaquê Virgini* MARIÆ, *demiſſè gratiis actis, gratulabunda domum remeavit.*

## III.

## Textor Sileſius, à gravi oculorum dolore, & ipsâ propemodum cæcitate, curatur.

*Matthias Hoffman, Textor Sileſius,* ut idem Author narrat, *domicilium habens in Kamionka pago. Anno exeunte* MDCXXII. *tetro oculorum dolore correptus, in ipſam propemodum incurrerat cæcitatem; ita ut trium hebdomadarum ſpatio, ne ex propinquo quidem, vel videre, vel liquidò diſcernere quidquam potuerit. Demum, ut calamitoſorum mos eſt, ad vota confugit; & ſe Oratorium B.*

MA-

MARIÆ *Virginis Lindenſis viſitaturum promiſit.* Nec *fruſtranea fuit votiva promiſſio, rediit enim ſubitò oculorum lumen. Voti nexibus ſe expedivit* MDCXXIII. *die* XVI. *Aprilis.*

## IV.

## Homo, ex profano Cingarorum genere, Lindam à ſuis deductus, lumen, quod amiſerat, ſubitò recepit.

*Ex vagabundo illo hominum genere*, ſic enim rem Ciaritius percenſet, *qui ſe Cyngaros, ſeu Cyrenaos falsò appellant, quidā non poſtrema nota, per acutâ oculorū vexatione eò redactus fuerat, ut de iis retinendis omnino deſperaret. Tandem poſt varia, nihilque iuvantia adhibita medicamenta, aut ſuâ ſponte incitatus, aut à quibusdam piis hominibus ſubmonitus, ad B. Virginis hoc Oratorium, grandi cum Cereo, ſe profecturum devovit. Ducitur igitur à turma Cingarorum ad locum ſacrum, diem non videns, & deductorem ſequens. Suſcepit* JESUS, *per Matris glorioſa interventionem, hominis votum precesque. Confeſtim enim priſtina oculorum ſanitas illi reddita eſt. Ille* DEUM *ſuppliciter adorat, B. V.* MARIÆ *humiles agit gratias, lætus diſcedit. Certè non levia Cyngarus hic videbatur pii, & grati animi ſigna edere; ut & cæteri illius comites, qui copioſâ ſtipe in eleëmoſynarium ſtipitem iniectâ, frequenter ſe S. locum adituros, & gloriam* DEI, *qui in eo mira operatur, ubique locorum deprædicaturos affirmârunt. Accidit* MDCXXII. *Iidem et homines Anno* MDCXXIV. *velum inſigne è Serica contextum, ad ſacrum Oratorium venerabundi detulerunt.*

CAPUT

# CAPUT XVIII.

Claudi beneficio B.V. Lindenſis curati.

JOanni Baptiſtæ, illi magno altiſſimi Prophetæ & Anteambuloni, per diſcipulos ad Chriſtum Dominum ablegatos interroganti: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* primum veri Meſſiæ, ejusdemque adventus indicium dedit Chriſtus, *cæci vident*; alterum verò, *claudi ambulant* (a) Si quis de præſente Deiparæ Virginis, ejusdem veri Meſſiæ, ter maximæ Matris, apud Lindam patrocinio præſidioque curiosè diſquiſierit, habebit primum ejus rei indicium, quia, ut vidimus, *cæci vident*. Nunquid verò & *claudi ambulant?* Ita prorſum. Non enim minus quàm apud Jobum illud hîc locum inveniat, *oculus fui cæco, pes claudo* (b) Quem ad locum Origenes in Catena, *Uſurpatus eſt*, inquit, *oculus tanquam dux viæ ad intelligendum; Pes autem, quaſi dux morum.* Quid enim (ut utrumque beneficium hoc ad animi ſalutem referamus) magnopere profuerit, oculorum pollere uſu, niſi & pedum, & aliorum membrorum, ad promovendam ſalutem, accedat uſus? Radulphus Commentario in Leviticum, S. Gregorium (c) ſecutus, *claudum* appellat, qui viam vitæ, quam videt, per infirmitatem mentis, tenere non vult: utpote ob pravam conſuetudinem ad virtutis ſtatum nunquam probè erectus. Divo Cyrillo *claudus* dicitur, qui ad perfe-

(a) *Matth.* 11. 3. *ſeqq. Luc.* 7. 22. (b) *cap.* 29. 15. (c) *Paſtor. parte* 2.

perfectè incedendum parum firmus, circa res agendas, fractus & debilis eſt: Procopio verò, qui non promptè opera legis exercet. Verùm ut omnis quidem iniquus claudus ſit, maximè tamen tales ſunt Pſeudopolitici, & quos D. Paulus (a) *in fide fluctuantes parvulos* appellat: quibus profectò non alius, quàm ipſe Elias illud ſuum (b) inclamet: *Vſquequo claudicatis in duas partes*? Veruntamen & his, & aliis claudis, paratum eſt apud B.V.Lindenſem, dummodo non reſpuant, remedium. Nam & ibi locum habet illud Iſaiæ (c) *Tunc ſaliet, ſicut cervus, claudus*. Quo quidem Chriſtus D. in ſuo ad legatos Joannis reſponſo, quaſi digito intendens, multos (ut S. Auguſtinus apud Cornelium loco citato cenſuit) claudos, cæcos, ſurdos curavit, ut eis ſimul ſpiritale lumen, auditum & greſſum mentis reſtitueret. Unde & nos, jam ad claudorum apud B.V.Lindenſem curatorum exempla, par eſt gradum promovere.

## I.

### Colonus quidam, pedum morbo levatus, in reddendo voto negligentior, cranii dolore accedente, ſimul voto, ſimul utroque morbo levatur.

Anno MDCXXIII. pridie Cal. Majas voti reddendi causâ, acceſſit Lindam Georgius quidam agricola; cui nuncupandi primum voti causâ fuit ſiniſtrum crus ita affectum, ut non modò claudicare hominem cogeret, verùm & ulceribus ac tabe undique ſcaten-

(a) *Epheſ.* 4. (b) 3. *Reg.* 18. 21. (c) *cap.* 35. 6.

*gini Matri satisfecit. Spe bonâ secundioris & constantioris valetudinis domum rediit; non sine gratiarum actione, beneficii memor factum narravit.*

III.

Mulier gravissimè pedes affecta, interposito ad B.V. Lindensem voto, sanatur.

Helenam fuisse, Joannis Martini cujusdam uxorem Ciaritius (a) ait. Incertum, qua ex causa gravissimè pedibus affecta esset; cumque remedium dolori nullum superesset, eò, ubi deesse non posset, remedii causâ se vertit. Votum ad DEIPARAM Lindensem, quâ potest animi religione, concipit, & confestim à voto facto, sanitatem recipit. Simul igitur ac pedum usum recepit, celeritate magnâ usa, Lindam ipso die visitantis Deiparæ sacro adiit, ac votum, quod nuncupârat, reddidit, Anno MDCXXIII.

IV.

Juvenis, pedem ac manum contractus, simul ac votum ad B.V. Lindensem fecit, restitutus, iterum atque iterum, beneficii memor gratias Lindæ agit.

Quod jam referemus, è P. Simonis Hein commentariolo sumptum est. Juvenis erat, manum juxta ac pedem ita contractus, ut nullius usu frui posset. Accedebat dolor, qui & pedem & manum sævissimè exagitabat, ut nulli manum operi vel tantillum liceret admovere, aut pedem loco movere. Commovit tamen animum dolor, ut ad sublimiora hominem raperet. *Votum igitur*, ut author inquit, *ad sanctissimam Virginem Lindensem fecit, & statim levamen sensit. Die divo Baptistæ sacrâ Anni* MDCXXIX. *venit ad sacram Ti-*

(a) *num. 33.*

*liam: ubi confeſſus, & ſacrâ Synaxi refectus hæc mihi recenſuit. Anno etiam ſequenti, memor accepti beneficii, idipſum fecit.*

## CAPUT XIX.

Idem beneficium Acatholicis à B.V. Lindenſi exhibitum.

SI ego hoc loco illud regii vatis uſurpem, *Filii alieni inveterati ſunt, & claudicaverunt à ſemitis ſuis* (a) haud ab re abludam. *Illi enim*, ut cum Græca expoſitione apud Corderium loquar, QUI FILII *appellati, atque in filiorum ordinem relati ſunt, alienos ſe reddiderunt, cùm beneficiis ingrati extiterint; & circa fidem claudicaverint, & piam ſemitam dereliquerint.* Quid ſi enim cum Auguſtino ad eundem locum dicerem. *Filii non mei, ſed potius alieni; quibus dicitur, vos ex patre diabolo eſtis* (b) Neque tamen iſtis quoque, quantumvis alienis, nec minùs à fide, quàm à recto greſſuum tramite claudicantibus, benigniſſima apud ſuam Lindam Mater DEI, ſolet deeſſe; ut, quæ aliorum pedes erigit ad mores, iſtorum erigat ad fidem; quorum plerique tandem, cum eodem vate regio canere poſſint: *Eduxit me de lacu miſeriæ, & de luto fæcis, & ſtatuit ſupra petram pedes meos, & direxit greſſus meos* (c) *A lacu miſeriæ* (ut Didymus in Catena ait) *hoc eſt pravæ idololatria* (quidni & hæreticæ infidelitatis) *& luto fæcis, id eſt, ſordidâ vivendi ratione, me erexit; & ſtatuit ſupra petram, inconcuſſam ſcilicet & conſtantem fidei confeßionem.*

I. Puel-

(a) *Pſalm.* 17. 46. περὶ τὴν πίςιν χωλάνανlες. (b) *Ioann.* 8. 44. (c) *Pſalm.* 39. 3.

## I.

## Puella ad annum ætatis decimum quintum humi reptans, apud B. V. Lindenſem repentè ſanata.

Quo id anno evenerit, nō prodidit Ciaritius; rem tamen ipſam, uti evenit, ex fide hunc in modum (*a*) prodidit. *Barbara puella, ex Viderino pago, qui milliari circiter diſtat Lindâ, à tenera ætate, caſu gravi afflicta, clauda effecta ad annum decimum quintum uſq;, humi potius repebat, quàm incedebat. Poſt longa tandem & acerba membrorum tormenta, quorundam ſuaſu, voto ritè emiſſo, ad hunc locum ſe contulit. Et quæ ſcipioni grallíſque innixa venerat, voto ſoluto, ſolidatis pedibus, DEO ac Virgini MARIÆ gratias agens, nullo adminiculo opus habens, domum reverſa eſt.*

## II.

## Puella incurabili fiſtulâ affectum habens pedem, voto ad B. V. Lindenſem facto, curata.

Quod Lucillo Epiſcopo Synicenſi, divinitus obtigiſſe memorat S. Auguſtinus (*b*) nimirum ut piâ Reliquiarum S. Stephani Protomartyris ſarcinæ vectatione atque ipſarum attactu reliquiarum à fiſtula, quâ diu graviſſimeque afflictus erat, extemplo liberaretur; idipſum propè, ex nuncupato ad B. V. Lindenſem voto, evenit Hedwigi puellæ ex oppidulo Widimin, octo circiter leucas Lindâ diſſito oriundæ, ad x. Calend. Novemb. Anni MDCXXII. Degebat ea, ut Ciaritius memorat, in pago Ruſticaimenſi, Bartenſtenienſis coloniæ, & pedem ſiniſtrum incurabili fiſtulâ diu graviterque affectum habebat. Mu-



(a) *num. 13.* (b) *lib. 22. civit. cap. 8.*

Mulier quædam, haud ignara beneficiorum, quæ apud Lindam Marianam divinitus affatim obveniunt, consilium miseræ dat, ut ad idem se præsidium reciperet. Audiit probè monentem, & votum adeundæ Lindæ nuncupavit; neque diu pòst sanitati pristinæ est restituta.

## CAPUT XX.

### Epilepsia ope Deiparæ Lindensis curata.

EPilepsia sive sacer morbus, aliàs etjam sonticus dici solitus, & comitialis) eò quòd Comitia apud Romanos, si quem interea morbo illo corripi contigisset, dissolvi necesse esset) vulgo *caducus* appellatur. Qui in sacra Evangeliorum historia, eo morbi genere affecti leguntur, *lunatici* appellantur (*a*) eò, quòd morbus ille, sive ad ipsius Lunæ mutationes, sive (ut Origenes, Chrysostomus & Hieronymus ad eandem Evangelii historiam commentantur) ad dæmonum, lunæ mutationibus abutentium operam, suas vires atque incrementa sumat. Luna enim phlegmaticos ac melancholicos, quibus ipsa dominatur, cerebri humores ac spiritus, plenilunio ac novilunio maximè commovet: qui quidem, aut per sese, aut malignorum concursu spirituum, cerebrum turbant; spumas & totius corporis agitationes collisionesque cient. Genus morbi difficillimum curatu, adeò ut hinc etjam *Herculeus* à Medicis vocetur; non quidem idcirco, quòd ut, vulgus censet, Hercules eo laboravit; sed potius quòd, ut Medici ipsi loquuntur, Herculeis ad ejus curationem viribus atque industriâ opus sit. Cæterùm Deiparæ Lindensi, hujus quoque morbi cura-

(a) *Matth.* 17.15.

tio

tio difficilis non eſt: ut, quemadmodum in aliorum curatione morborum facit, etjam hîc à corporis epilepſia, ad eam, quæ animum ſpiritumque exagitat, curandam homines adjuvet. Lunatici enim ſpiritu, ut Beda ad eum locum diſſerit, ſunt ii, qui *ut luna mutantur. Qui ſpumant, cum ſtultitia tabeſcunt (ſtultorum namq; eſt ſpumas & ſalivam ex ore dimittere) ſtrident verò dentibus, cùm iracundia furore flammeſcunt.*

I.

Puer, ex voto à matre ad B.V. Lindenſem nuncupato, à morbo comitiali ſimul & ab amentia, liberatus.

Quo Anno id evenerit, non memorat Ciaritius; conſtat tamen eveniſſe ſub initia ſacelli jam inſtaurati. Sic enim ſcribit: *Puer quidam in pago Henrichsdorfferſi, phreneſi graviter vexabatur; & acceſſerat non minùs infeſta epilepſia, quâ miſellus per intervalla temporum graviter exagitabatur. Videbatur mater, dira hac tormenta pati in filio: & malum nullo ſuccurſu pelli poterat. Deo itaq; ſuppliciter provolvitur; beatiſſimamq; Virginem ad interceſſionem adhibet, ut puero cæleſtem medelam impetret; illumq; ad Ædem Marianam, cum munere ſiſtendum demiſsè vovet. Vix illa votum perſolverat; confeſtim videt filium ab omni infeſtatione morbi liberum, ſanitatem recepiſſe. Detulit incunctanter filium cum promiſſo munere;* DEO & B. MARIÆ *Virgini enixè gratias agens; inſignemq; Paropſidem ſtanneam, celeris ſibi praſtiti auxilii in filio, Mariano Oratorio obtulit.*

## II.

### Virgo religiosa, vi fulminis usque ad comitialis morbi exagitationem consternata, voto per parentes ad B. V. Lindensem nuncupato, statim revalescit.

Quantum in restauranda Linda Mariana operæ posuerit, inclytus Catholicæ fidei causâ, è Dania exul D. Joannes Ageison, jam alio loco (a) spectavimus: quantum verò ejus operæ precium tulerit, argumento id, quod nunc memorabitur, inter multa erit. Susceperat inter alios liberos, etjam Elisabetham filiam, quam piissimâ fæminâ conjuge suâ Evâ adjuvante, ita ad pietatem formârat à teneris, ut jam adultior seculo vale fecerit; &, cùm nullum in proximo claustralium virginum esset cænobium, in Resselienſium se receperit conventum. Jam aliàs earum virginum mentio à nobis facta; quarum instituti vivendique ratio Brunsbergæ, à Regina Protmania, prudentiæ pietatisq; laude (qua cum Anno MDCXIII. decessit) excellente Virgine triginta & aliquot ante annos exordium cæpit. Patritio inter suos loco, nata erat Regina, & nuptias juxta ac seculum in seculo fugitans, totam se Deo rebusque divinis addixerat; ita ut majorem diei partem in Templo, vel oratione, domesticos intra parietes fusâ, contereret: & quovis Dominico ac festo die ad sacrosanctum Domini epulum se conferret. Non potuit *lucerna* hæc, uti Dominus ait, *latere sub modio*: facileq; & illa pietatis lux singularis, in oculos incurrit; & ille virtutum Christianarum odor, ad se plures pellexit, aut potius traxit. Ita sub Annum Domini MDLXXX. aggregatis nonnullis,

(a) *lib. 3. cap. 10.*

lis, ejusdem animi pietatisque virginibus, eodem tecto, iisdem vestibus, iisdemque instituti legibus (quas P. Engelbertus è Soc. Jesu tanquam conscientiæ earundem arbiter, & P. Paulus Boxa, ille tot annorum in Provinciis Regni Poloniæ Soc. Jesu moderator, potissimùm condidêre, illustrissimi verò Antistites Varmiensis ad hancusque diem omnes probavêre) cœperunt uti; crescenteque in dies numero, ad alias Varmiæ civitates Vormditum nempe, Heilsbergam & Resselium coloniæ ductæ. In hac igitur Kesselieusi colonia, Templo admodum vicina, & Turri Templi propè contigua, virgo Ageisonia, repentino juxta ac horribili fulminis ictu, quo eadem Turris percussa, tecto tenus conflagravit, vehementissimè, ut è propinquo solet, perculsa usque ad consequentem inde epilepsiam est; quâ, cùm sæpiùs & gravissimè exagitaretur, novo quasi fulmine, cùm cæteras instituti sui socias, tum verò potissimùm ipsos parentes suos perculit. Haud equidem ambigam, socias omnes varia adhibuisse malo remedia; parentes nihilominus omnium invenerunt optimum. Ad Marianam nempe Lindam, quam suâ quoq; operâ non mediocriter provexerant, & contra fulmen, non jam lauri, pro veterum more, sed plus quàm aureum Sibyllæ ramũ è Tilia Mariana carpsisse visi sunt; quando voto ad B. V. Lindensem facto, eundem capiti filiæ ramum prætexuerũt. Simul enim ac votum, uti Claritius scribit, *incunctanter reddiderunt, illa bene volente* Deo, *& B.mæ Virgine suffragante, integerrimè convaluit; ita ut in posterum, eo morbi genere nunquam sit impetita, & sana adhuc vivat.* Viventem, & quanquam nõ admodum validâ,

ſatis tamen commodâ utentem valetudine, ego quoque pluribus deinceps annis ſpectavi. Quæ ante viginti circiter annos defuncta, Matri ſuæ Evæ, cujus potiſſimùm conſilio deſponſa fuit Chriſto, videtur de annis ſuis aliquid a dmenſa. Ad hunc enim MDCLV. annum pia illa matrona, tot perſecutionum in Dania, exilii in Pruſſia laboribus calamitatibusque exercita, cùm vix pelle & oſſibus conſtare poſſet, ſuperſtes fuit.

III.

Infans gravi epilepſiâ correptus, voto ad B.V. Lindenſem per matrem facto ſanatus.

Si fortè comitialis morbus, ad vulgi ſenſum Herculeus idcirco dici poſſit, quòd Herculem in ipſis quoque cunis, magis, quàm gemini illi ab eo eliſi angues, fortaſſe invaſerit, poterit eodem ſanè ſenſu ſacer morbus idcirco fortaſſe dici, quòd hominem aliquando ſacrum religioſè futurum, in ipſis quoq; adortus ſit cunis. Erat is Vormditi, honeſtiſſimo inter ſuos loco natus, qui etjamnum quinquagenario major in Societate JESU quatuor vota profeſſus agit P. Georgius Erenſt. Reverſus ille è Grodnenſi Societatis JESU domicilio (quod triennium ſuperior gubernârat) poſtliminio in patriam; cùm hiſtoriam Lindenſem condi à me cognoviſſet, ultro, beneficii divini memor, & nomen, & gratum erga DEUM ac Deiparam animum, III. Cal. Aug. Anni MDCLIV. apud me profeſſus eſt. Sextum vitæ menſem vixdum attigerat, quando illo conflictari malo cæpit. Mater, quæ non lacte magis, quàm pietate imbuendum ſuſceperat filiolum, Deiparæ ita afflictum obtulit, & voto Lindam

dam nuncupato, eidem Deiparæ coram stitit; neque segnius Deiparæ, tanti vim mali stitit in infante. Ab eo temporis momento, sanus domum rediit, Parochum Laubichium, egregium virum, super beneficii divini magnitudine vehementer attonitum, coëgit exclamare: Puer iste, olim doctus juxta, ac magnus in domo DEI vir erit.

## IV.

Puella quadrima, toto vitæ tempore sacro morbo afflicta, Deiparæ Lindensis ope curata.

Placet in præsentiarum, iterum narrantem audire Ciaritium. *Stanislaus Zach Novogrodensis ex Podlachia, uxorque Helena, habebant filiolam quadriennem, Magdalenam nomine: quæ toto eo fere tempore, quo vixerat, dirum illum morbum, quem comitialem vocant, vel caducum, passa fuerat. Hanc parentes attulerant Resselium, ut eam ad Altare S. Valentini admoverent, & meritis precibusq; Martyris, filiolæ salutem impetrarent. Videbaturq; morbus remisisse aliquantulum; sed paulò pòst vehementiùs incruduerat. Quare cujusdam matronæ Resseliensis suasu inducti parentes, ut pro filia votum ad hoc Oratorium facerent. Dictum, factum; & puella ampliùs ab ea diritate infestata non est. Voti religionem expleverunt* XXX. *Iunii Anno* MDCXXIII.

## V.

Puer octennis, voto parentum, quamvis non Catholicorum ad B. V. Lindensem emisso, à sontico morbo liberatus.

Placet & hîc Ciaritio narranti aures dare. *Stanislaus Iastrzembski habitans in villa Gura, districtus Angerburgensis, adduxerat ad hoc Lindense Oratorium anno*

 MDCXXIII.

MDCXXIII. *die* XVII. *Iunii, filium Casparum, puerum octennem; quem referebat ex terrore atri canis à se tantùm visi, in Epilepsiam incidisse: & sex annis, certis temporum conversionibus, & maximè noviluniis eo morbi genere divexatum fuisse. Tandem cujusdam senis monitu persuasus parens, & avia pueri, illum ad gloriosissimæ Virginis* MARIÆ *Oratorium Lindense ducendum aut gestandum voverunt. Statim ab emisso voto, pestiferi humoris effervescentia sedata; puer in posterum eâ peste nunquam ampliùs tactus est.*

## CAPUT XXI.

A pestilentiæ lue, vel maleficiis ope B.V. Lindensis servati, vel erepti.

IAm aliàs (*a*) Ciaritio, experientiaque testibus diximus, ipsum Lindæ Marianæ locum, etjamsi pestilens aër in vicino undique grassaretur, ab omni pestilitatis contagione fuisse immunem. Sed & ii, qui eo alibi malo vel septi, vel affecti, animo supplicibusque votis ad eam Tiliæ Marianæ umbram sese recepêre, non rarò DEI, ac Deiparæ sospitatricem experti sunt manum.

### I.

Præfectus arcis Heilsbergensis undique pestilente aurâ septus, voto B. V. Lindensi facto, cum omnibus suis incolumis servatur.

Loquitur id tum per se, tum per adjectam inscriptionem insignis argentea tabula, ab eodem Præfecto voti reo XIV. Calend. Majas Anni MDCXXI Lindensi Deiparæ oblata. Nam, uti Ciaritius quoque memorat, *cùm Anno* MDCXX. *pestis in Episcopatu Varmien-*

(a) *lib.* I. *cap.* 25.

*miensi, immaniter plerúque in locis, maximè verò Heilsberga grassaretur, multosque tolleret, generosus Ioannes Gonsiorovvsky Burggrabius Heilsbergensis, contagionis periculo, undequaque cinctus, in Arce consistens, author fuit reliquis, qui cum illo remanserant, ut se communi voto B.* MARIÆ *V. ad Lindam obstringerent. Quod, ut factum fuit, ipse cum omnibus incolumis servatus est. Voto, pari pietatis religione satisfactum Anno* MDCXXI. *die* XVIII. *April.* Idipsum testatur epigraphe Tabulæ addita, quæ hujusmodi est:

*D.O.M. in periculis vindici, ad gloriam: divæ Genitrici ob singularem tutelam, ad honorem: Ioannes Gonsiorovvsky Burggrabius Heilsberg. in Arce ibidem cum suis, à peste undique grassante servatus incolumis; gratitudinis ergo, humillimè ex voto posuit, Anno* MDCXXI. *die* XVIII. *April.*

II.

Familia & domus tota primarii civis Heilsbergensis, voto Lindam facto, à peste liberata.

Eodem prorsum tempore ac loco, primarii inter Heilsbergenses viri domus Deiparæ Lindensis beneficium affatim experta est. Erat is D. Nicolaus Hagnau dignitate & opibus inter suos spectabilis; ut pietas quoque magis spectabilem redderet, communę pestilentis auræ quasi incendium fecit. Jam domum ejus flamma involverat & pedissequarum altera vi pestilentiæ extincta; altera ne malum serperet latius, aliò deducta; simulque ubi è tantis vestigiis malum innotuit, votum ad Deiparam Lindensem factum: neque salus domui segniùs reddita. Ab eo momento, quasi è medio

medio flammæ omnes erepti incolumes evasêre. Quod tum quidem admirabundus juxta ac gratulabundus corâm ſpectavit, & nunc magna cum gratiarum actione III. Non. Majas Anni MDCLV. apud Lindam Marianam, quò cum denſo civitatis ſupplicantis agmine venit, dicti D. Nicolai & Emerentianæ ſuperſtes filius, D. Simon Hœgnau Conſul Reſſelienſis, mihi ex fide recenſuit. Recenſerent fortaſſe idipſum germani fratres ejus, ſi corâm adeſſent, tum Georgius, tum Chriſtophorus, uterque Societatis noſtræ ſacerdos, & ille hoc ipſo tempore Collegii Gedanenſis Rector.

## III.

Puer ſupra graſſantis peſtilentiæ ſævitiem, morbo graviſſimo afflictus, voto à parentibus ad B. V. Lindenſem nuncupato, ſanatus.

Loquitur & hocipſum altera inſignis Tabella argentea Anno MDCXXVI. oblata. & inſcriptum illi Polonicâ linguâ epigramma, quod Latinè hîc reddimus. *Ioannes Pexin de la Baſtil Gallus, S.R. Maieſtatis Cruſtularius, unà cum Catharina ſua conſorte, memores, quo pacto filius noſter Petrus, tempore peſtilentiæ, graviſſimo fuiſſet morbo depoſitus, & à nobis in eo morbo ſanctiſſimæ Virgini* MARIÆ *apud Lindam oblatus, citra omnem moram, priori incolumitati fuerit reſtitutus. Quocirca in perpetuam accepti beneficii memoriam, Tabellam hanc dicamus. Quod ad maiorem ſanctiſſimæ Virginis gloriam & honorem cedat* XV. *Decembris Anno Domini* MDCXXVI.

IV. Vir-

## IV.

### Virgo maleficio Dæmonis, omnium usu membrorum privata, per Deiparam Lindensem pristinæ incolumitati restituta.

Patria Virgini erat Lauternhagen, coloniæ Heilsbergensis pagus; nomen verò Walpurgis. Incertum quibusdam fuit, qua tandem ex causa morbum prorsus incurabilem contraxisset; at ipsi certum omnino videbatur, ex maleficio Dæmonis fuisse contractum. & ipso temporis intervallo, quod quidem non breve fuit, auctum potius quàm quæsitum: ita ut *membrorum omnium motu usuque privata*, quemadmodum Ciaritius rem absolvit, *immensos diu dolores toleraverit. Nec reperiebatur quisquam, qui aut membris mederetur, aut dolorem pelleret. Succurrit illi post omnia, B. V. MARIA Lindensis. Votum idcirco ad illam concipit; & continuò omnia membra, ac si nunquam morbo laborâssent, ad consueta operum munia, apta reddita sunt. Ipsa verò bene valida satisfecit Anno* MDCXXIII. *mense April.*

## V.

### Puella quadrima, cùm ne quidem maleficæ operâ curari à morbo posset, DEIPARÆ Lindensis ope curata est.

Tanta est sive vis veritatis, sive DEI imperantis potestas, ut ipsi quoque Dæmones, & qui à dæmonum obsequiis sunt, magi, sagæ, aliique id genus tenebrarum ministri, DEO & veritati gloriam dare cogantur. Quanquam enim *beneficia Dæmonis*, ut S. Leo ait (*a*) *omnibus sunt nocentiora vulneribus*; quia ut S. Augustinus docuit (*b*) *dum beneficia præstat, magis nocet*; inter-

(a) *serm. 19. de Passione.* (b) *lib. 8. civit. 24.*

Digitized by Google

interdum tamen Deo adigente, è ſcorpio illo, quaſi ſcorpiacon quoddam habere mortales ſolent. Si enim Bedæ, Hugoni aliiſque(a) credimus; Pythoniſſa illa, vel potius, qui illam poſſederat, ſpiritus malignus, adactus eſt, Pauli & Silæ panægyriſten agere, & exclamare: *Iſti homines, ſervi* Dei *excelſi ſunt.* Non igitur mirum videri debet, ſi malefica, quæ in curando puellæ quadrimæ, qua de agimus, morbo, omne ſuum robur nequidquam conſumpſerat, Deo & Deiparæ Lindenſi, ad cujus opem ultro, aut potius coacta ægram remiſerat, gloriam dare coacta ſit. Rem è P. Simonis Hein (qui à parentibus puellæ acceperat) commentariolo paucis accipe. Anno MDCXXIX. colonus quidam in pago, à ſacra Linda haud longè diſſitus, filiolæ circiter quadrimæ, alia nequidquam remedia adhibuerat: ad veneficam ergo iterum ac tertiò recurrit; quæ etjam tertium de pellendo morbo vires omnes & carmina adhibuit: ſed ſemper in caſſum; ut palàm fateretur, curari ab ſe non poſſe; ſed, ſi parentes curatam vellent, ad B. Virginem Lindenſem, quæ curare poſſit, recurrerent. Agnoverunt parentes, non ſine pudore ſuo, in maleficæ ore, ipſius veritatis, per adactam loquentis maleficam vocem: & voto ſtatim religiosè concepto, relictâ domi puellâ in viam ſeſe dant. Et jam voto defuncti, jamque domum appropinquantes, filiolam, quam lecto affixam reliquerant, extra lectulum domumque progreſſam, quin & ſanam, & aliis coævis alacriter colludentem repererunt!

CAPUT

(a) *apud Cœnobium in Act. 16. 17.*

# CAPUT XXII.

A manifesto mortis periculo, vel gravioribus morbis, Deiparæ Lindensis ope eruti.

ARgutè nec minus piè, uti solet, ac verè Græca Ecclesia in Menæis (*a*) beatissimam Virginem per obitum suum asserit Mundum vivificare; sive per *obdormitionem suam omnibus, usque ad ipsos fines terræ vitam largiri.* Quòd cùm in Templis sibi dicatis plerumque faciat (illa enim sunt Officinæ medicæ ægris omnibus expositæ gratis, uti eadem Ecclesia Græca (*b*) docet) nihil cuiquam sit mirum, si & in Lindæ suæ sacello medicam aperuerit officinam etjam iis, qui cum morte interdum magis, quàm cum morbo luctantur.

## I.

### Ipsemet historiæ Lindensis scriptor per Deiparam Lindensem, propè ab ipsis portis reductus mortis.

Vix dum finierat historiam B. V. Lindensis, qui primus illam hoc ævo (superiorum enim seculorum altissimum de scripta historia silentium est) concinnare erat aggressus Michaël Ciaritius, cùm unà & vitam, nisi eadem Deipara produxisset, propè finivisset. Anno MDCXXVI. Cal. Mart. finitam ab se historiam magno Regi Sigismundo dicavit; at XVI. Cal. Febr. ejusdem anni, productam sibi à Deipara vitam, Tabellâ argenteâ, egregio sanè opere effictâ, eidem cum hac inscriptione dedicata his verbis est professus.

Calo-

(a) *Apud VVagnereckium num.* 456. χαῖρε, ἡ τὰ πέρατα τῇ κοιμήσει ζωώσασα. (b) *Ibidem num.* 407. ἰατρεῖον ἄμισθον τοῖς ἀσθενοῦσιν ὑπάρχει ὁ ναός.

*Cœlorum, Maris, Terræ Regina*
*Cape fave; promove preces, Reo ſalutem.*
*Audi* JESU, *precantem Matrem, & veni ſalutifer Amen.*
*Sacratiſsimæ Virgini* MARIÆ, *ad Tiliam ſacram*
*Matri magnæ, Matri miſericordiæ Opt. Max. Patronæ*
*Peccator ſupplex ſervulus, Michaël Fridericus Ciaritius*
*de VVartemburgo P. L. Presbyter Varmienſis*
*à portis fere mortis ſoſpitati reſtitutus*
*ex voto, gratè & humiliter S.*
*Anno* 1626. *Ian.* 17.

Et erat ille profectò ſanitati reſtitutus, quia ab eo tempore duodecim circiter annos vitam produxit; quæ etſi poſterioribus aliquot annis calamitoſa & morbis tanquam ſentibus fuerit implexa, credide-rim has etjam ſpinas ſingulari Deiparæ clementiâ illius clienti oblatas, ut futura in vita, coronam ſine omni ſpina illi redderet.

Cæterùm qua ex cauſa non modò ſimili opere perfectam, ſimilique fere epigrammate inſcriptam, ſed & eodem planè tempore oblatam dicârit B. V. nobiliſſimus vir & totius Varmiæ Judex Ludovicus à Seegat Stanislawsky, mihi quidem necdum ſatis liquet. Satis igitur nunc officio defungar, ſi vel ipſam duntaxat additam operi inſcriptionem, ut ex argumenti affinitate de cauſarum quoque affinitate cuivis ſit divinandi facultas, in medium produxero. Ad ipſum igitur Tabulæ limbum, circum B. V. effigiem fabertimè ex argento cuſam, ſcriptum eſt.

Cœlo-

*Cælorum, maris, terræ Regina,*
*Cape, fave, preces promove, Reo salutem.*
*Audi Iesu precantem Matrem, & veni salutifer.*

Iam verò à tergo ejusdem tabulæ, affixa nova itidem argentea tabella scriptum habet.

*Ludovicus Stanislavvsky à Seegut Heros in Molditten, advocatus Varmiensis, unà cum conjuge sua Sybilla à Schedlin ad honorem & gloriam Dei ter Opt. Max. Virginisque Deiparæ Mariæ laudem hanc iconculam fieri, & in locum sacrum Lindam deferri curavit, Anno 1626. die 15. Ianuarii.*

II.

Illust. Castellanus Siradiensis, à gravissimo mortis periculo, B. V. Lindensis ope, ereptus.

Decebat primum historiæ Lindensis, uti memoravimus, conditorem beneficiorum Deiparæ Lindensis non esse exortem; nec minùs decebat, ad eum beneficiorum cumulum admitti eum, qui primus restauratæ Lindæ fuit author Rudnicius Varmiensis Episcopus. Admissus est, & quidem eodem fere, quo Linda restaurata, anno. Eodem enim tempore, cum frater ejus natu major, Castellanus Siradiensis, longè gratissimus advenisset hospes multò deinceps gratior fuit, quando Deiparæ Lind ope, ab ipsa prope morte revocatus, restitutus fratri fuit Accipe rei seriem à manu & calamo Ciaritii, oculati, ut ego quidem arbitror, testis. *Venerat Heilsbergam, Illust. ac magnificus D. Ioannes Rudnicky Castellanus Siradiensis, ut Reverendissimum ac illustrissimum Episcopum Varmiens. Simonem, fratrem germanum inviseret. Præter spem verò in gravissimum mortis periculum, ex ardente febri inciderat. Respuebat vis morbi omnem Medi-*

*corum opem: ab illisque pro desperato ac deposito habitus, animam agebat. Accurrit ad fratrem ægrum, vehementi dolore perculsus Episcopus, videtque cuncta præsidia humana in conservanda fratris vita, nullius esse momenti. Ad cælestia igitur se convertit, fratremque Beatissimæ Deiparæ Virgini, & lacrymis & precibus diligenter commendans, votum nuncupat fratris nomine ad sacrum hoc oratorium, si convalescat, ab ipso persolvendum. Mirum dictu! continuò æger, morbo sontico levatur, pristinum virium robur recipit; & eodem die votum, quod sui causâ factum fuisse intellexerat, exequi statuit. Prohibitus autem à fratre Episcopo, post triduum octuagenarius senex, huc cum Episcopo è contul t. & summâ, id pietate præstitit. Reliquit devotè in Oratorio argenteam laminam, restitutæ sibi sanitatis, Virginis gloriosæ interventu, testem, Anno 1619.* Atque hæc Ciaritius: at verò argentea, cujus ille meminit, tabula rem paucis ita signatam præfert.

*Illust. & magnificus D. Ioan. Radnicky Castellanus Siradiensis gravissimo mortis periculo, ex voto Illustrissimi ac Reverendissimi Principis & Episcopi Varmiensis, fratris sui germani liberatus, Beatissimæ Deiparæ Virgini ad Tiliam sive Linde, monumentum hoc devotissimè posuit, Anno* MDCXIX.

III.

Adolescentulus nobili genere ortus, ab immani & periculosissima anastomosi, tum aqua Lindam præterlabente tum multò magis cælesti Deiparæ Lindensis ope curatus.

Anno circiter MDCXIX. Brunsbergæ literis operam dabat, Matthias Raab nobili genere adolescentulus

tulus; & necdum fundendo generosè sanguini satis idoneus, immani sanguinis sputatione, præter spem accedente, propè etjam animam fudit. Credi vix potest, quantum è tantillo adolescentuli corpusculo manârit sanguinis profluvium, quod Biennium integrum tenuit; medicis nequidquam, aut potius etjam noxiè amantibus. Prostrata jam omnino erat tum salus, tum spes quoque salutis: cùm pia mater, è nobili & pervetusta Biloniorum domo Elisabetha apud Divæ Virginis Lindensis domum, filio medicinam invenit. Voto enim nuncupato, filium magis rapit, quàm ducit, simul autem atque votum matris ore prolatum erat, revalescere filius utcunq; cæpit: simul verò atque Lindam attigit, & aquâ, quæ mediam convallem lambendo præterlabitur, sese perluit, præclarè revaluit, Mater non alienam à promovenda salute aquam illâ rata, hydriâ ejus secum deportat. Neq; vana fuit, etjam in ipsa Lindam præterlabente aquâ, sedes aut fiducia. Idem enim filiolus, ut domi priore sanguinis fluxu penitus repentè caruerit, non tamen caruit succedente, cum tempore periculosissima intra fauces anginâ quam, ut eâdem Deiparæ Lindensis ope abigeret, eandem eluendo gutturi aquam identidem adhibuit; & brevi procedente tempore, ita revaluit, ut ad hanc diem, Dei gratiâ sanus, & Lindæ vicinus nunquam desistat Dei, ac Deiparæ beneficentiam prædicare.

## IV.

## Varii morbis variis levati gratum erga Deiparam Lindensem animum tabellis argenteis contestantur.

SI omnes, qui non jam tacitis animorum votis ac precibus, sed etjam anathematis è cerâ effictis vel alijs donariolis gratum erga DEUM, & B. V. Lindensem animum contestati sunt, percenseri aut etjam sciri possent, immanè quantâ vel voluminum mole, vel temporis spatio ad exigendos calculos opus esset. Pauculos ex iis, qui argenteis tabellis, vel nomina vel accepti beneficii memoriam inscripserunt, necesse est non præterire: nam alios plurimos, qui argenteas quoque tabellas sine ullo vel beneficii accepti vel nominis indicio attulerunt, quis cognoverit, ne dicam, recensuerit? Anno MDCXXI. generosus Dominus Ioannes Henchen, Dni Eustachii Placidi Canonici Varmiensis germanus frater, Burggrabius Varmditensis, & in Elditen hereditarius Dominus egregiam obtulit tabellam cum hac epigraphe, quam è germanico traductam damus. *Ego Ioannes Henchen, unà cum carissima Thori consorte Anna Protmania, effigiem hanc sanctissimæ Dei Genitricis, ad Dei gloriam fieri curavimus; quandoquidem gratiam & suffragium eiusdem Dei Genitricis experti sumus Anno* MDCXXI. *die* XX. *Aprilis.* Quid porrò beneficii aut gratiæ singularis experti sint, propinquus eorum de societate Iesu sacerdos censet fuisse, impetratos à Deo per Deiparæ suffragium liberos, quos inito matrimonio nullos longo tempore susceperant.

Et fortasse eadem, aut simili de causâ ab ipsis, vel ab

ab eorum filiolo Alberto, post exactos quinque ab eo tempore annos, altera itidem argentea tabella oblata est cum hac inscriptione, *Anno* MDCXXVI. *die* XXI. *Maji Albertus Henchen.*

Anno MDCXXII. Matthias Hoffman, ubi suum votum oculorum causâ susceptum explevit, dum rei seriem, uti Ciaritius scribit, *referret, addit, in; uxorem quoque suam Barbaram, longo capitis dolore præter modum afflictatam, votum ad eandem B.V. Mariam fecisse: & levamentum cœpisse; brevi adfuturam, ut voto satisfaciat.*

## CAPUT XXII.

Supplicia divinitus accelerata iis, qui Deiparam in restauratæ Lindæ loco, contumeliâ vel injuriâ affecerunt.

QVod divinus vates Isa. (*a*) *peccatum quasi vinculum plaustri trahi*, docuit, & S Cyrill. ad eos transtulit, qui, peccatis, quasi vinculis plaustralibus innexi, pœnas & supplicia, peccatis ex æquo respondentia, quasi plaustra non tam ducunt, quem impetu quodam in se devolvunt; id ita verum quandoque est, ut S. Augustinus in eo, quam de vitâ Christianâ, ad sororem perscripsit libro (*b*) non dubitarit eodem illud divinum Oraculum, *subitò venit ira ejus*, eâ in causa usurpare, quin, cùm id in plerisque impleri (*quibus ob nimia peccata & in præsenti ira Dei supervenit, & in futuro servatur*) tum verbis tum exemplis adstruxisset, tandem propè exclamando subjicit: *Dicat mihi quis, si quem sacrilegum, sanguinarium, rapacem, falsarium, homicidam, furem, fraudulentum, adulterum, cæterorumque criminum reum, vel in præsenti potuit videre lon-*



(a) *cap.* 5. 18. (b) *cap.* 2.

*longævum?* Nos *enim plurimorum habemus exempla, per quæ probare sufficimus, sceleratos & impios, peccatorum suorum fine completo, etjam hoc tempore judicari; & præsentem eis vitam negari, non minùs quàm futuram.* Non negat Aug. differri sæpè impiorum supplicia, tum ut longâ Dei patientiâ, humano generi consulatur; tum ne Deus judicetur impatiens, si illico voluerit damnare peccantes; præsertim cū nec justos de peccatoribus haberemus, si confestim Deus vellet punire, qui peccant: tamen, & justitiæ Dei suum relinquit locum, quæ interdum exigit, ut impius vel dum è portu solvit, vel dum medium impietatis suæ Oceanum ingressus est, naufragium faciat, & quam exorsus fuerat scelerum telam, sub ipsum abrumpat exordium. Atque inde quoque fit, ut ad illud Lindæ Marianæ Asylum (quo peccatoribus quantumvis impiis, tutissimus est receptus, si redire ad saniora velint) plerisque, qui saniora consilia respuunt, sua non raro adsit Nemesis, ut exempla nō minùs quàm apud Tursellinum de Æde Lauretana *(a)* quorundam docebunt.

I.

**Sub ipsum instaurandæ Lindæ exordium mulier, cereos è loco sacro auferens, divinitus plexa.**

Si ii, qui è sacrosanctâ Æde Lauretanâ aliquid, etjam pietatis ergo raptum asservabant, divinitus sunt castigati (qualis fuit tum vir ille nobilis, de quo Tursell. lib 3. *(b)* tum Ioan. Soar. Episc. Conimbricensis, de quo idem *(c)* tum alii, de quibus lib. 5. *(d)* quidni ma-

(a) *lib. 2. cap. 23. & lib. 3 cap. 29.* (b) *cap. 30.* (c) *lib. 4. cap. 3.* (d) *cap. 8. & 15.*

majore videantur castigandi jure, qui ex eadem vel alia sacrâ D. Virgini Æde, citra contumeliam non tamen citra contemptum aliquem, ad usus minimè pios tollunt? *Cùm sacrosanctum hoc* (inquit de Lindensi Ciaritius) *Sacellum, à Sadorscio instaurari ceptum esset, accidit, ut Michaelis Brodovii, fabri murarii uxor, cereos non paucos è sacro loco raperet, in chartarum lusu exurendos. At diu furto lætata non est. Continuò enim pedes illius tantæ debilitatis languore corripiuntur, ut consistere omnino non potuerit. Perterrita hoc malo, irreligiosa mulier (viro, cæterisquè, qui aderant, causam facti ignorantibus, in stuporem versis) ultro scelus fassa est. Restituit itaque loco sacro surreptos cereos, ceramquè aliam decuplo ferè augmento superaddidit; & absq; dilatione ulla, pristinam pedum sanitatem recuperavit; salutaremquè terrorem aliis incußit, ut locum sacrum religiosius venerarentur.*

## II.

## Vir nobilis in Deiparam Lindensem contumeliosus, ab arbore firmis nixa radicibus, subitò vix non obrutus.

Prius quàm id, quod Ciaritius (*a*) memorat, hoc loco referam, subit planè mentem id, quod in bucolico divinæ suæ poeseos carmine, sponsi ac sponsæ nomine Salomon canit de Christo & B. Virgine (*b*) *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias: sicut malus inter ligna silvarum, sic dilectus meus inter filios.* Quo pacto Deipara Virgo, ut etjam ad ejus Lindam respiciamus, fuerit & sit lilium inter spinas, præclare ut solet, Abbas Tuitiensis, apud Cornelium ipsum inducens Christum Deiparam alloquentem, ita explicat,



(a) n. 17. (b) Cant. 12.

plicat. *Itaque hæ spinæ & filiæ, blasphemiæ sunt Iudæorum, sectæ sunt hæreticorum. Verùm sicut ego spinas pertuli quidem, sed exsuperavi; ita & de te veraciter prædicabitur, quia cunctas hæreses interemisti.* Qua verò ratione Christus sit & fuerit malus inter ligna silvarum, alii alibi docuerunt apud Lindam verò Marianam, videtur aspectabilis malus arbor fuisse, quæ impudens & blasphemum os hæretici obtudit. *Præteribat*, ut inquit Claritius, *curru vectus Marianum hoc Oratorium, Vir quidam nobilis; & ad illud, non pietate, sed scelesto more videndi sacra stimulatus, deflexit. Ingressus igitur, non pepercit verbis in Deum, Virginemq́ Matrem contumeliis. Ad hæc sancto altari insidens, omne, quod potuit, dehonestamentum loco sacro inferre non intermisit. Postquam verò inde se recepisset, & montem proximum conscendere pararet, pomus Arbor, ad declive latus profundioris viæ sita, firma radicibus, & floribus tum induta, repente prolapsa, & in temonẽ, inter equos currumq́ incidens, illos stitit; parumq́ abfuit, quin hominem sacrilegum oppresserit. Ille quidem scelerate; rem tam mirandam, magicis incantationibus, imputavit; cæterum omnibus constitit, qui aderant nonnisi vi divina arborem altis fundatam radicibus momento corruisse; misericordi tamen benignitate Dei caput contumeliosi hominis non obtrivisse; & hoc tam stupendo casu, Beatissimæ Virginis honorem fuisse vindicatum.*

### III.

### Impius verbi Luterani minister, de Deiparâ & Lindensi illius Æde ludos sibi faciens, gravissimas impietatis suæ pœnas luit.

Mitius fortasse plexus videri potest is, de quo proximè egimus, nobilis vir, præ quodam Luteri Popa,

Popa, de quo Ciaritius (*a*) fortasse idcirco, quia minus videri potest facinus illius, qui Ministris ita docentibus didicit, &, quod didicerat, magis ipsorum quàm suâ impietate exeruit, certe Popa ille, non modò par nobili viro facinus patravit, sed etjam, pro more munereque suo, de Cathedrâ pestilentiæ illud prædicando docuit, nam ut Chrysologus inquit (*b*) *docens impietatem, pestilentia residet in cathedra; & sermone mellito*(qualis utique prædicantium esse solet) *virus doctrinæ letalis audientibus effundit*. Sed jam Ciaritium audiamus. *Alter quidam minister verbi ad Rhein oppidum inferioris Prussiæ, dum iter faceret ad hoc Oratorium, ingressus, in risus ludosq; profanos effusus, coronasque cereas capiti imponens, insano motu subsultans choreas duxit. At diu non divina vindicta morata est. Tantus enim illum dolor stuporque opprimit, ut ægre ex Oratorio efferri, & ægrius domũ perferri potuerit. Ita, etjã nunc toto corpore affectus perhibetur, ut per se nec rectè ingredi, nec firmiter consistere queat; & in ostentum mortalibus pœnam suam omnibus membris invalidus circumferat. Remi erat is statim uxorem, cum denariolis quibusdam ad sacrum Oratorium & tegmina crurum fasciasque in loco sacro suspendi curaverat; ut essent religionis violatæ, & suæ pænitudinis signum. Res ab omnibus cantatur, & signa quandoque illi etjam, quibus recentius evangelium est amabilius, videre optant. At non supersunt.*



(a) *num.* 8. (b) *Serm.* 44.

IV.

Consul Resselienſis ob non ſolutum, quod Deiparæ Lindenſi nuncupârat, votum, purgatorijs ignibus expiatur.

Etjam leviores in Deiparæ cultu noxas, haud impune abire, vel à ſuo quoque obitu docuit Dominus Ioannes Schultz, Perilluſtris & adm. R. D. Laurentii Schultz. Canonici Pultovienſis & præpoſiti Viſnenſis (qui hæc manu quoque ſuâ prodidit, quiq; jam aliàs (a) luculentus nobis adfuit teſtis) qua pietate, quà primis inter ſuos honoribus ſpectabilis parens. Agebat is Conſulem Reſſelii, cum ſub Anni MDCXIV. exitum in morbum incidit; &, ſive pro reſtauranda ſanitate ſive pro felici ex hac mortalitate abitu, candelam ceream Deiparæ Lindenſi promiſit. Promiſſi memoriam aliqua fortaſſe negligentia ademerat ægro, ita ut voti reus ad plures hinc emigrarit. Vix triduum inde abierat, cùm ſuperſtiti uxori Eſtheræ Ditlofranæ per ſomnium ſe offert ſpectandum, & de præſtando Deiparæ voto admonet, illud adjiciens, ſe quidem viam ſalutis feliciter ingreſſum eſſe, progredi tamen nequaquam poſſe, niſi voto, quo Deiparæ Lindenſi obſtrictus eſſet, abſolvatur. Dictum, factum Pia enim conjux, voto citra omnem prorſus moram præſtito, etjam quoddam quaſi fœnus adjecit; quia ſodalitati B. V. Annunciatæ, quæ in collegio Lomzenſi, recèns tum ſocietati Ieſu erecto, unà aſſurgebat, grandius ex argento ſigillum, quo ad hanc uſque diem ſodalitas illa fruitur, donavit.

LIBER

(a, *lib. 2. cap. 16.*

# LIBER IV.

## *De Lindâ Marianâ, curæ societatis Iesu commissa, & rebus à MDCXXX. Anno gestis.*

### CAPVT I.

Primi, qui de societate Iesu ad Lindæ Marianæ curam admoti sunt, fuerunt e collegio Brunsbergensi exules.

QVi ad ipsum Lindæ sacelliique exortum retroactis seculis, divinarum rerum curam gesserint sacerdotes, haud facilè est conjicere; nisi quòd Ioannes à Tieffen Ordinis Theutonici supremus moderator (uti libro I. cap. VI. vidimus) innuat, partim ex illius Ordinis sacerdotibus, partim ex aliis Cleri, ut vocant, secularis Presbyteris, Lindæ curam habuisse solitos. Posteaquam Sadorscius postliminio sacellum restituit, ut Dei ac Deiparæ cultum unà restitueret, nihil habuit antiquius, quàm ut societatis Iesu presbyteris curam sacelli, laboremque circa promovendam animarum salutem committeret. Præterquam enim, quòd rebus divinis, & peregrinorum commodis, quàm maximè vellet consultum, eâ insuper erat in societatē Iesu jam à teneris voluntate ac studio, ut si quâ posset, fundare societatem Resselii dudum ante satageret: Egerat quocirca sæpe cum moderatoribus societatis, ut in desertū Eremitarum Ordinis S. Aug. monasterium (quod & Illustrissimi Varmiensis Episcopi, & serenissimi Poloniæ Regis gratiâ facilè obti-

obtinuerat, ſanctæque ſedis Apoſtolicæ authoritate poſſeſſioné firmaturus erat) commigrare ne detre-ctarent. Quâ causâ ſocietaté, in teſtamenti ſui tabulis, Anno MDCXXIV conditis & ſignatis (quæ in tabulario noſtro Reſſelij aſſervantur) bonorum ex aſſe heredem ſcripſit; *vt*, quemadmodum ille ait, *Patres ſocietatis quantocyus ad Monaſterium Reſſelienſe introducantur & Collegium-iſthic reſtituatur*. Eaſdem teſtamenti tabulas cùm Anno MDCXXVI die 28. Iulii inſtauraſſet, *Hæredes*, inquit, *bonorum omnium, Reverendos Patres Societatis Ieſu conſtituo (uti in priori meo teſtamento, ante annum à me conſcripto, conſignato, & ab admodum R. P. Philippo Friſio Rectore Brunsbergenſe ſubſcripto, cum ſubſcriptionibus in formâ teſtamenti concredito conſtitui, & Societati Ieſu, pro fundatione Reſidentiæ Reſſelienſis inſcripſi) & eiſdem bona omnia lego tam in Epiſcopatu, quàm in Ducatu; nimirum Furſtenau pagum, cum aulâ, prædio, pecoribus, &c. ſimiliter molam in Schulen, &c.* Verùm nō ea tum aut tempora, aut ſocietatis rationes erant, ut ſocietas (quæ nullam cæteroqui anſam, Deiparæ cultum promovendi non arripit) vel in ipſo Lindæ Marianæ loco, vel intra deſertas Monaſterii parietinas Reſſelii figeret ſedem. Quocirca Sadorſcius, qui de pellicienda Reſſelium ſocietate nondum omnem projecerat ſpem, apud Deiparæ Lind. Ædem aliorum miniſteria comparare interim eſt coactus; quibus eodem ipſo tempore, quantumvis haud magnam, ſatis tamen accommodam juxta ſacellum, ad habitandū extruxerat domum. Et navabant ſtrenuam pro virili operam, terni circiter ſacerdotes, intra annos fere octo ſibi ordine ſuccedentes. Sed

cùm

cùm neque illis, qui ad ſolitariam illam vitam nuſquam aſſuevíſſent, aut aſſueſcere unquam animum induxiſſent; neque tot populis undique occurrentibus, ab uno, quantumvis gnavo operario ſatisfieri commodè poſſet; Sadorſcius tantò vehementiùs ſocietatis operas deſiderare, ambire, requirere. Et, ô miras providentiæ divinæ rationes! Eadem prorſum tempeſtate, ſextus ſupra viceſimum hujus ſeculi annus vertebatur, cùm ille ab Aquilone belli turbo qui Pruſſiam pervaſit, capta Brunsberga etjam Collegium ſocietatis diſſipavit. Occaſus Brunsbergenſis Collegii (quæ Dei benignitas in ſocietatem eſſe ſolet) Reſidentiæ, & futuri aliquando Reſſelienſis Collegii, ortus fuiſſe videtur; ut CollegiumBrunsbergenſe, è ſuis quaſi cineribus, inſtar Phœnicis, in hac ſua quaſi ſobole revixiſſe; vel certè ex illius quaſi ruderibus, nova ſocietati ſedes, quæ alio, qui ſalvo illo Collegio ſperari vix poterat, poſita fuiſſe videri queat; adeoque ſocietas geminum intra Varmiam domicilium iam poſſideat. Illo ergo belli turbine ſex omnino ſociis Brunsbergæ involutis, & aliis aliò disjectis, P. Simon Hein, qui ſe non tam adventanti hoſti ſubduxerat; quàm è præſentis propè manibus Dei beneficio evolverat, cum Socio Reſſelii ſubſtitit; partim ut civitati ad ipſos Sectariorum fines poſitæ operam navaret; partim ut è vicinâ quaſi ſpeculâ Brunsbergenſis Collegii ſtatum; &(ut quorundam tum vanæ ſpes erant) occaſionem brevi redeundi opperiretur. Commodam hîc occaſionem nactus Sadorſcius, Patrem enixè orat, ut difficillimis temporibus ſacram Lindæ Ædem aliis de-

deferentibus, ipſe ne deſerat. Neque Pater ſegnius operam ſuam, quoad quidem potuit, addixit. Evenerat enim illi, ut, qui Scyllam evitâſſet, in Charybdim propè inciderit. Nam qui fœdam illam belli tempeſtatem à tergo reliquerat, à fronte, præter ejusdem belli longè lateque ſerpentis metum, in graſſantem peſtilentiæ luem incurrit. In qua cùm civitati, quâ erat in afflictos caritate, ſtrenuè deſervit, Georgium Buſiacium, gnavum in Collegio Brunsbergenſi rerum temporalium, per multos annos adminiſtrum, Reſſelii verò, & totius exilii atque calamitatis fidiſſimum ſocium, illâ peſtilentiæ lue afflatum paulò poſt amiſit. Solus igitur civibus intra mœnia cum morte in horas conflictantibus ita adfuit, ut tamen Lindam identidem excurreret; &, tum Peregrinis, tum Catholicis in vicino poſitis, à ſacris quà ſacrificiis, quà confeſſionibus, aliisque ſacramentis eſſet. Paucis ante quàm nuper decederet è vita diebus (deceſſit pridie Cal. Maj. Anni MDCLIV. annum ætatis octuagesimum quartum ſupergreſſus) quemadmodũ & alias referre jucundè ſolitus erat, quanto ſibi in illa belli peſtisque calamitate fuiſſet ſolatium, illud ad Deiparam Lindenſem perfugium. Tametſi enim perſæpe vix ea, quæ ad faciendam rem divinam requiruntur, in illa rerum temporumque difficultate, acquiri poſſent, tantum abeſt, ut cætera affluerent; jucundum tamen erat frui illâ facultate, quâ ad maternum quaſi Deiparæ ſinum clientulo recurrere, & apud Lindenſem ipſius Regiam, tum ſuas, tum univerſæ ſocietatis vices liceret defungi.

CAPUT

# CAPUT II.

Societati per Sigiſmundum III. Regem evocatæ Reſſelium, Sadorſcius Lindenſe ſacellum, & domum ſacello adjacentem attribuit.

NOndum vel Reſſelii, vel etjam Lindæ ſocietas pedem fixerat, etſi per ſuos operarios, Deo & proximis non contemnendam utrobique navaret operam: cùm, ut utrobique figeret, votiſque Sadorſcii tandem annueret, sereniſſimi Regis Sigiſmundi III. voluntas juxta, ac provinciæ totius neceſſitas coëgit. Succeſſerat in defuncti Rudnicii locum, Anno MDCXXI. Sereniſſimus Joannes Albertus Poloniæ & Sueciæ Princeps, perpetuus Epiſcopatus Varmienſis Adminiſtrator; magnoque & Provinciæ & Eccleſiæ commodo, Regiæ ſuæ dignitatis luce Varmiam ornabat: cùm interim captâ primo Suecorum incurſu Brunsberga, Collegioque ſocietatis proſtrato, omnia in pejus ruere, ac retro ſublapſa referri. Jacebant proſtratæ, unà cum illis Pruſſiæ Athenis, literæ; neque erat, ubi juventus catholicis præſertim orta parentibus, vel ad virtutem, vel ad eruditionem, everſa illa pietatis literarumque palæſtra, fingeretur. Sacerdotes non pauci, qui ſe è præſente belli incendio, vel exilio ſubduxerant voluntariè, vel morte erepti jam erant, deſertas in pagis atq; oppidis Eccleſias relinquebant, ſed & ſcholæ ac Magiſtratus civitatum, doctrina pariter ac juris doctis ſenſim deficientibus, vaſtitatem atque horrorem quondam minabantur. Igitur tantam Eccleſiæ Reipub. ſolitudinem cùm viderent, ac majorem etjam indies

Digitized by Google

indies vererentur iis, quibus rerum adminiſtratio, difficillimis ſanè temporibus erat commiſſa (potiſſimùm verò prudentiſſimis illis viris, quibus Collegium illud apud Cathedram Varmienſem inclytum ſemper abundat, vehementer adnitentibus) ad ſereniſſimum Principem ſuum Joannem Albertum, atque adeò ad ipſum Regem Sigiſmundum ultro adeunt; præſentes patriæ neceſſitates explicant, implorant auxilium. Propè omnium vota eo maximè ſpectabant, ut Patres ſocietatis Varmiam poſtliminiò revocati, præſentibus, quin & futuris Eccleſiæ Reipub. incommodis mederentur; hoc eſt, ut fixis alicubi ſedibus, Gymnaſium, in quo juventus diu neglecta, ad præſentes futurosq; patriæ uſus formaretur, quamprimum aperirent. Rex pro ſummo in rem Catholicam, minimamque Jeſu Societatem ſtudio, haud gravatè poſtulatis annuit; idoneumq; Gymnaſio locum deligi extemplo imperavit. Non deerant, qui anguſtiis civitatis Reſſelienſis moti, Heilsbergam, Allenſtenium, Gutſtadium, aliumvé locum, ob majorem populi ædiumque frequentiam, tanquam futuro Gymnaſio magis opportunum præferrent. Enimvero Sadorſcius occaſione utendum ratus, omnem movere lapidem, ut veteri ſuo deſiderio, cùm Reſſelium cæteris præferendum perſuaſiſſet, tandem faceret ſatis. Itaque literas Idibus ipſis Aprilis Anni MDCXXX. ad Sigiſmundum Regem, ad P. Pompilium Lambertengum, ſocietatis tum in Provincia Lituaniæ viſitatorem, ad P. Joannem Iamiethorosky ejusdem provinciæ Præpoſitū, ad P. Jacobū Marquard, & P. Valentinum Seidelium, quorū alter

Regi,

Regi, Reginæ alter à sacro tribunali erat, magno studio adornat. Ea fuit literarum vis, ut obtento facilè omnium consensu, & Rex ipse maturandum opus censeret; & R. P. Provincialis, ad explorandam loci commoditatem, Resselium, nullâ interpositâ morâ excurreret. Cùm verò is omnia probâsset, Varsaviam reversus, literas, ut vocant, *intromissionis*, à Rege datas Sadorscio transmisit; adjunctis aliis ejusdem serenissimi Regis literis, ad præfectum Resseliensem Ericum Guldenstern datis; quibus mandabatur, ut traditâ Sadorscio Monasterii possessione, rudera aliaque impedimenta, quibus Monasterii parietinæ, frequens incendium jam olim perpessæ, ad horrorem usque squalebant, quantocyus repurgarentur. Hîc verò plenus gaudii Sadorscius, eâ ipsâ die, quâ literas acceperat, Resselium profectus, aditâ Monasterii possessione, materiem & operas ad futuram fabricam perquirere; rudera atque veteres inquilinos, qui fixis ubique intra parietinas gurgustiis omnia complêrant, amoliri; manus denique ipse admovere; urgere operas, cæteraque omnia conari, ut in proximè venturas D. Joannis Baptistæ ferias (huic enim Templum jam olim dicatum erat) res divina fieri in sacello Templi posset. Et sanè cessit ad vota negotium. Ipso enim D. Baptistæ Natali, prima hostia, tanquam futuræ restaurationis pignus, Deo immortali est litata: tantâ populi frequentiâ, ut locus multitudinem non caperet; tanto bonorum omnium gaudio, ut lacrymæ ubertim plerisque manarent; quibus id, quod dudum ex animo optâssent, et jam oculis usurpare divinitus esset concessum. Posteaquam igitur Societas

Reſſelii ſedem fixit,ut Lindæ quoque figeret Sadorſcius anno proximè conſequente, ad ipſas Nonas Majas, qua die R.P.Nicolao Lancicio Provinciali, & R.P.Andreæ Klinger,conſtitutæ jam Reſſelii Reſidentiæ ſuperiori,Lindæ Marianæ poſſeſſionem tradiderat, cumulatè perfecit. Juvat è publicis tabulis, ea ſuper re confectis, quæ in rem præſentem faciunt, producere.

*Michaël Dziatynsky, DEI gratiâ Epiſcopus Hipponenſis, Abbas Mogelnenſis, Suffraganeus, Adminiſtrator Varmienſis, S.R.M.Secretarius; Notum facio, quorum intereſt, aut futuris temporibus, quomodolibet intereſſe poterit, univerſis & ſingulis: Quòd coram officio meo,perſonaliter comparens generoſus Dominus Stephanus Sadorsky, ſacræ regiæ Majeſtatis Secretarius, hæres in Firſtenau; ſanus mente & corpore,non compulſus,nec coactus,maturâ deliberatione præhabitâ,ſpontè,liberè,palàm,publicè verbiſque expreſſis recognovit, & faſſus eſt: Quia ipſe Capellam muratam Lindenſem beatiſſimæ Virginis Mariæ cum adiunctâ domuncula, prope Reſſelium in Ducatu Pruſsiæ, ad fines provinciales ſitam; religioſis Patribus Societatis JESU, iure Culmenſi perpetuò & irrevocabili dedit,donavit,& inſcripſit; & in perpetuum iudicialiter reſignavit; pro ut,ex nunc dat,donat,inſcribit, & in perpetuum reſignat. Quam quidem donationem,inſcriptionem, reſignationem, nomine Societatis præfatæ: Reverendi Patres Nicolaus Lancicius Præpoſitus Provincialis eiusdem Societatis in provincia Lituaniæ,& Andreas Klinger Superior Reſidentiæ Reſelienſis præſentes acceptârunt. Intendit præterea idem generoſus Dominus Sadorsky, cùm iidem dicti Patres Societatis JEsu devenerint, in realem & actualem poſſeſſionem bonorum,*

*rum, ad dictam Capellam spectantium, ipsis quando placuerit eidem Domino Sadorsky resignandorum & tradendorum, ut annuatim ex iisdem bonis dent, & consignent Venerabili Capitulo Cathedralis Ecclesiæ Varmiensis, quinquaginta marcas Pruthenicales usualis monetæ, grossis viginti in marcam computatis; videlicet pro anniversario ipsius Domini Sadorsky viginti marcas, triginta verò marcas pro patrocinio, seu defensione dictæ Capellæ; quod quidem patrocinium & defensionem ille singulariter venerabili Capitulo præfato, cumprimis autem serenissimo Principi, reverendissimo Domino Ioanni Alberto,* DEI *gratiâ Poloniæ, & Sueciæ Principi, Episcopo Varmiensi Domino suo clementissimo, & eius successoribus humillimè commendat. Actum in Castro Heilsbergensi: die septimâ Maij Anno Domini* MDCXXXI. *Præsentibus admodum reverendo Michaële Schambogen, Canonico Varmiensi Archipresbytero Heilsbergensi; nobili Iacobo Roscikevvsky Stabuli Præfecto, Andrea Marquart Proconsule Heilsbergensi, & Cancellariæ Heilsbergensis Notario, aliisque pluribus testibus ad hoc rogatis, & requisitis. In quorum fidem, præsentes manu propriâ subscriptas, officii mei sigillo feci roborari.*

Michaël Dziatynsky
Suffrag. Adminift. mp.

(L.S.)

Andreas Marquart Secret. & Not. Cancellariæ Heilsberg. mp.

# CAPUT III.

Donationem ſacelli, & Domus Lindenſis Societati à Sadorſcio factam, ſereniſſimus Poloniæ & Sueciæ Princeps Varmienſis Epiſcopus, & illuſtriſſimus Nuntius Apoſtolicus confirmant.

NOn poterat ſereniſſimus Joannes Albertus Poloniæ & Sueciæ Princeps Epiſcopus Varmienſis, non magnopere lætari, ſimul atque poſſeſſionem tum Monaſterii Reſſelienſis, tum ſacelli domuſque Lindenſis à Societate jam aditam intellexit: præſertim, cùm & Eccleſiæ Provinciæque ſuæ, & unà ipſi quoque Societati, ea in re proſpectum ſatis intelligeret. Ut enim Provinciæ Eccleſiæque ſuæ proſpiceret, paſtoralis muneris ratio poſtulabat; ut verò Societati quoque proſpectum vellet, amor & ſtudium, quod in eam, cum lacte materno ſuxerat, eò uſque incitabant, ut etjam paucis poſt annis, ſupra alia beneficia, domicilio Reſſelienſi, aliquot nummûm aureorum millia, pro futura Collegii fundatione addixerit, ac ſupremis Teſtamenti codicillis firmârit: quaſi jam tum divinâſſet, Fundationem, quam ipſe inchoârat, à ſereniſſimo Fratre ſuo JOANNE CASIMIRO Rege (quemadmodum hiſce annis, DEI gratiâ, factum vidimus) abſolvendam. Neque verò leviter, ad abſolvendam fundationem illa ſereniſſimi Principis liberalitas conduxit: nam & è cenſibus ad Annum MDCXL. illâ ex ſummâ provenientibus, prædiolum Lindæ vicinum, *Skatnich* in Ducatu ſitum fuit emptum: & nunc ipſa ſors, quæ potiſſimùm apud Domino

nos Creutzios super fundum Hausdorfensem erat sita, unà cum residuis censibus vindicata, ad comparandi alterius prædii usum faciet. Cæterùm, ut serenissimus Princeps, Deiparæ quoque Lindensis cultum, per Societatis operas promoveret, serenissimorum parentum, totiusque regiæ domus, exempla provocabant. Obversabantur illi ob oculos, quæ serenissimi Parentes, quæ serenissimus Frater Uladislaus, uti libro superiore vidimus, in causa Augustæ Virginis Lindensis egissent, ut locum sacrum vindicarent; non poterat quocirca non adniti, ut quæ illi tanto studio atque industria vindicâssent, ipse sarta tecta conservaret. Quod cùm operâ Societatis non leviter fieri posse consideret, Donationem Societati à Sadorscio factam, non ratam modò atque gratam habuit, verùm & literis publicis, quas libro quoque superiore produximus, stabilivit. Ne quid porrò ad causæ firmitatem, secuturis præsertim temporibus, desiderari posset, accessit per illustrissimum Nuntium, ad eam donationem Societati factam, sedis Apostolicæ robur atque authoritas. Operæ precium est literas eam in rem publicè datas, è Tabulario nostro hîc producere.

*Marius Philonardus, DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ, Episcopus Avenionensis & Princeps, sanctissimi D. N. Vrbani VIII. Prælatus domesticus & assistens, nec non eiusdem sanctissimi, & sedis prædictæ, ad Vladislaum IV. serenissimum Poloniarum & Sueciæ Regem, cum facultatibus de latere Nuntius Apostolicus.*

*Universis & singulis, præsentes literas inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Ex commissi nobis desuper ab Apostolica sede, cuius authoritate in hac parte fungimur, officii debito; Ecclesiarum quarumlibet utilitati favorabiliter intendentes, ut, ea quæ piè facta esse, noscuntur, firma, perpetua, & illibata persistant, libenter Apostolico munimine roboramus. Exponi siquidem nobis fecerunt dilecti in Christo Patres Societatis* JESU *Residentiæ Resseliensis: qualiter generosus Dominus Stephanus Sadorsky S. R. Maiestatis Secretarius hæres in Firstenau, Capellam muratam Lindensis B. Virginis, cum adiuncta domuncula ipsis perpetuò & irrevocabili iure, dedit, donavit, inscripsit, & iudicialiter resignavit; prout in instrumento desuper expedito pleniùs continetur, cuius quidem instrumenti tenor sequitur, & est talis.*

*Michaël Dzialinsky* DEI *gratia Episcopus, &c.*

&c, quæ insuper eo instrumento contenta, à nobis capite proximè præcedente, inde allata sunt.

*Cùm autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicti exponentes cupiant instrumentum prædictum, pro illius firmiori subsistentia, Apostolico munimine roborari; Nos supplicationibus, pro parte dictorum Patrum Societatis* JESU

*Resi-*

*Residentiæ Resselienſis, nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati; ac ipſius utilitati opportunè conſulentes, inſtrumentum prædictum, & omnia in eo contenta & deſcripta, Apoſtolicâ authoritate, tenore præſentium approbamus, confirmamus, eisque Apoſtolicæ firmitatis robur adiicimus, ac tam Patres Societatis* JESU, *quàm dictum D. Stephanum Sadersky, ad illius obſervationem teneri, & obligatos fore, & eſſe, prout iuris, reſpectivè decernimus. Datum Varſaviæ decima Februarii; Anno Domini milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo.*

Si cauſa fundi Lindenſis, ad ſola Catholicorum tribunalia pertineret, ſatis illi hactenus, ne quid pateretur detrimenti, proſpectum videri poterat: ſed quia fundus ille, intra Ducatus Pruſſiæ limites poſitus, aliorum quoque judiciis obnoxius eſt, Sadorſcius, qui non minùs ingenio, quàm longo uſu atque exercitatione, maximam jurium Pruſſiæ ſcientiam aſſecutus erat, huc quoque oculos intendit; &, ut futuris quoque periculis, quoad poſſet, occurreret, venerabili Capitulo Varmienſi, cui ad retundendos quorumvis adverſariorum impetus atque molitiones, ſatis noverat & virium eſſe, & ſapientiæ, patrocinium atque ius Lindæ commiſit. At venerabile Capitulum, patrocinii jure ſibi retento, dominii uſum Societati, uti jam narrandum eſt, conceſſit.

# CAPUT IV.

**Venerabile Capitulum Varmiense, prævio Sedis Apostolicæ consensu, pro suo quoque iure, Fundum sacello Lindensi adjacentem, Societati attribuit.**

QUantopere in vindicanda, stabilienda, atque ornanda Linda Mariana certâsse inter se visi sint, tùm serenissimi Poloniarum Reges atque Principes, tum illustrissimi Episcopi Varmienses, satis jam antè spectatum fuit. Ad certamen ita pium, pro eo, quo in Deiparam semper fuerunt studio, atque pietate, perillustres, reverendissimi, & admodum reverendi Domini, Prælati, atque Canonici Varmienses, non postremi ita accesserunt, ut simul illud, quo minimam JESU Societatem perpetuò complexi sunt, studium, benevolentiam, atque beneficentiam unà testarentur. Ferebatur vulgi famâ, quasi nonnulli ea, quæ Sadorscius jam Societati contulerat, intervertere molirentur. Id ubi ad R.P. Jacobum Lachowsky Provincialem, & per illum, ad venerabile Capitulum est perlatum, continuò hisce ad eum literis, exaggeratæ, ut semper, in Societatem voluntatis plenissimis, ad XIV. Cal. Majas, Anni MDCXXXVI. datis est responsum.

*Admodum reverende in Christo Pater,*
*Pater observandissime.*

*PRius quàm literis admodum reverendæ Paternitatis vestræ moneremur, jam firmiter apud nos decrevimus, nihil contra inscriptionem Societati, semel à generoso Domino Secretario Sadorsky factam attentare velle, nec jure posse.*

*posse. Deterrent quin etiam nos, tam praeclara & salutaria, de hoc Episcopatu ejusdem Societatis merita; ita, ut ingrati omnino essemus, si nō ampliora eidem incrementa optemus; nedum ut tam tenuem accessionem invideamus. Vt porrò & generosus Dominus Secretarius accommodetur, & certi tandem aliquid, de ipsius voluntate constet, expediemus Heilsbergam in certo negotio, ad diem* XXVI. *Aprilis admodum reverendos Dominos, Dominum Praepositum, & D. German; quibus pariter jam commisimus, ut eadem operâ memoratum D. Secretarium conveniant, ac omnia planent. Illis, ut admodum R.P.V. comitem se faciat, consultum nobis videtur; neque enim de felici dubitamus effectu, cui studia nostra impensè deferimus. Varmiae* 18. *April.* 1637.

*Adm. R.P.V.*

*Observantissimi*

*Praelati & Canonici*
*Ecclesiae Cathedralis*
*Varmiens.*

Neque secus venerabile Capitulum, ac literis scriptis promiserat, reapse fecit. Fundum enim universum Lindensi adjunctum sacello, quem Sadorscius memoratas ob causas (tum Regiomontana Anni MDCXXXVI. die VII. Sept. tum Seeburgensi die XVIII. Decemb. transactione) illi addixerat; Societati perpetuis temporibus utendum fruendumque attribuit quàm liberalissimè; palàm ac disertis prorsum verbis profitendo, *non posse se, pietatis alienae fidei commissum tueri melius, quàm si divini Numinis gloriae, & cultui propagando ab se reddatur.* Quam quidem eximiam ven.

Capituli benevolentiam atque beneficentiam, non modò illustrissimus Episcopus Varmiensis Nicolaus Szyszkowsky, verùm & sanctissimus Pontifex Urbanus VIII. pro sua quisque authoritate, singularibus diplomatis stabilivit. Præstaret literas, universam hanc causam concernentes, quæ intra reliqua Lindæ monumenta sanctè asservantur, hoc loco proferre, nisi moles præsentis operis plus æquo augenda intercederet. Satis igitur fuerit summi Pontificis literas (quæ, quemadmodum cæteris omnibus vim addunt quàm maximam, ita seriem quoque illarum compendio retexunt) duntaxat recitare.

*Vrbanus Episcopus, servus servorum* DEI, *dilecto filio Officiali; venerabilis fratris nostri Episcopi Varmiensis, salutem & Apostolicam benedictionem. Ex iniuncto nobis desuper Apostolicæ servitutis officio, his, quæ pro divini cultus augmento, ac fidei Catholicæ propagatione, providè facta dicuntur, ut perpetuò valida & efficacia persistant, libenter, cùm à nobis petitur, Apostolici mandamus adiici muniminis firmitatem. Exhibita siquidem nobis nuper, pro parte dilectorum Filiorum, Capituli & Canonicorum Ecclesiæ Varmiensis Diœceseos, petitio continebat: Quod ipsi, aliàs Capitulum & Canonici quibus aliàs quædam Capella non collativa, B.* MARIÆ *Virginis Lindensis, in Ducatu Prussiæ hæretico dictæ Diœceseos, per dilectum filium Stephanum Sadorsky Secretarium, charissimi in Christo Filii nostri Poloniæ Regis, & dictæ Capellæ Patronum, legitimè donata fuerat, considerantes eandem Capellam (quæ ob continua inibi patrari solita miracula in magna veneratione à fideli populo habetur) ab eorum Ecclesia & Capitulo longè distare, ipsosque non posse, ob distantiam ibi officia*

*sacra*

*sacra peragere, & conversioni hareticorum attendere, Capellam præfatam aliàs Patribus Societatis* Jesu *canonicè concessam, & usum fundi adiacentis, cum agris, pratis, sylva, & taberna, ad ipsam legitimè spectantibus, in quorum pacifica possessione existebant, & ex quibus omnibus decem circiter ducati auri de camera annuatim percipiuntur, præfatis Patribus, tanquam dicta Capellæ vicinis & fidei Catholicæ in illis partibus promotoribus, reservato eidem Capitulo directo dominio, & cum hoc, quòd dicti Presbyteri Societatis* Jesu, *teneantur ad omnia onera dicta Capellæ incumbentia, ac restaurationem, ac manutentionem illius, & ædificiorum, & aliàs, pro ut in scripturis desuper confectis plenius dicitur contineri, de licentia ordinarii perpetuò concesserunt. Cùm autem, sicut eadem petitio subiungebat, concessio huiusmodi pro felici servitio dictæ Capellæ ac fidei Catholicæ propagatione, facta esse dignoscatur; Ideo pro parte Capituli & Canonicorum, nec non Presbyterorum Societatis* Jesu *præfatorum nobis humiliter fuit supplicatum, quatenus illam approbare, & confirmare dignaremur. Nos igitur, qui devotionis Christi fidelium, ac piorum operum augmentum nostris potißimùm temporibus sinceris exoptamus affectibus: Capitulum & Canonicos, ac Præfatos Presbyteros, eorumq; singulares personas, à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus constituto tibi legitimè de narratis, & præsertim quod Capellæ*

præfa-

*præfata non ſit collativa, aut in titulum beneficii collativi erecta, ſeu conferri ſolita, illaque & alia, illi ut ſupra annexa, ad Capitulum & Canonicos præfatos legitimè ſpectarent, conceſſionem præfatam, & prout illam concernunt, deſuper confectas ſcripturas, & in eis contenta, quæcunque licita tamen, & honeſta, cum omnibus & ſingulis, inde legitimè ſecutis, Authoritate noſtrâ perpetuò, ſine alicuius præiudicio, ad partium ſupplicationem approbes, & confirmes, eisque inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adiicias. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictæ Eccleſiæ iuramento, confirmatione Apoſtolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud ſanctam Mariam maiorem Anno incarnationis Dominicæ milleſimo, ſexcenteſimo, quadrageſimo, Idibus Septemb. Pontificatus noſtri Anno decimo octavo.*

Cæterùm, quid Albertus Rudnicky Præpoſitus & generalis Vicarius Varmienſis, ex mandato S. Sedis Apoſtolicæ pridie Cal. Decemb. Varmiæ; quid Lucas Gornicky Decanus & Canonicus Varmienſis XVII. Calend. Januarias ejusdem anni, in præſente cauſa egerint; publicum à Valentino Ludicio, ſacrâ Sedis Apoſtolicæ Authoritate Notario, confectum inſtrumentum cumulatè docent. Rem verbo; Collegium Reſſelienſe Societatis Jesu, poſiti ad Lindam Marianam fundi, etjam ven. Capituli Varmienſis ſuffragio, prolixiſſimaque ſemper in Societatem voluntate ac beneficentiâ, poſſeſſionem illo ipſo tempore adiit: quâ, Dei beneficio, ita fruitur, ut per illud rerum temporalium incrementum, ſecurius multò & quietius, apud Lindam Marianam divinas res curet ac promoveat.

CAPUT

# CAPVT V.

Sacellum B.V. Lindenſis, ſacris BB. Martyrum Symphoriani & Liberatæ Lipſanis, uti & Chriſti Crucifixi effigie, quamvis ad adſpectum rudi, miraculi tamen gloriâ illuſtri auctum.

QVod de auguſtiſſima Numinis parente univerſim Græca in Menæis (a) canit Eccleſia, cani etjam de Lindenſi Deipara, ſuo quodam jure, poteſt: videlicet, *illud æterni Patris verbum, absque ullâ virginitatis corruptione Tabernaculum in* MARIA *fixiſſe; ad quod præcellentem Martyrum chorum, qui præconum inſtar, illam veram* DEI *Matrem deprædicant, attraxerit.* Nam & ad Lindenſe Virginis ſacellum, è ſacro illo Martyrum choro, tanquam ad quoddam divinitatis Tabernaculum v. Non. Julii Anni MDCXXXI. attracti ſunt ſancti Symphorianus & Liberata ſive, ut, quemadmodum in cælo, ita & in terris, communi cum Regina Martyrum frueretur gloriâ; ſive ut ſuæ, omniumque Martyrum, ac Sanctorum Reginæ tanquam familiares præſtò adeſſent Palatini. Quâ porrò hominum pompâ gaudio, ac veneratione, ſacra Martyrum Lipſana deportata Lindam fuerint, quoniam illo jam tempore res literarum monumentis fuit tradita, eadem ego fide, quin & verbis iisdem, ne quid vel de authoris, vel de hiſtoriæ veritate videar deterere, hîc prodam:

v. No-

(a) *μὴ διαφθείρας τὴν παρθενίαν ὅλως τὴν σὴν, λόγος τοῦ πατρὸς, ἐσκήνωσεν ἐπὶ σοὶ, καὶ μαρτύρων ἐπεσπάσατο χορὸν ἀοίδιμον, θεοτόκον ἁγνὴν σε κηρύττοντα. apud VVagnereck. num. 281.*

V. *Nonas Iulii*, *Anno* 1631. *Dies triumphali ſacrorum Lipſanorum translationi, definitus eſt in diſtrictu Reſſelienſi, proximus à viſitante Elizabetham Virgine; nam ipſis auguſtiſsimæ Virginis feriis concedendum aliquid fuerat inuſitatæ & flagrantiſsimæ hominum pietati, undique ad clementiſsimam Lindenſis Oratorii Præſidem concurrentium; partim ut incenſo ſupplicis animi cultu, optata deſideriorum beneficia, communi miſerorum Matri grati reportarent; partim ut temporaria, ſimul & æterna divinæ liberalitatis munera, interventu pientiſsimæ Dominæ expoſcerent; ſuisquè neceſsitatibus compararent. Numerus concurrentis pro tunc multitudinis fere quinq; millium erat. Quadringenti diurno refecti epulo, ſingularia eo loci, ſua in* DEUM *ac Virginem Matrem ſtudia, ac venerationem ſunt atteſtati. Iter ſuum orſa eſt proceſsio ab oppido Beſteinenſi, duobus milliaribus Reſſelio diſsito, in ipſa viſitantis* DEIPARÆ *feſtivitate, poſt veſpertinam divini officii Pſalmodiam, frequenti incolarum confluxu & comitatu; multisq; inuſitatæ devotionis argumentis. Deferebant ſacratiſsima Martyrum oſſa, bini Presbyteri, qui gravem urentis ſolis æſtum, & multiplices longinqui itineris moleſtias, ſtrenuè ſequaci & morigerâ cum turba pedes confecerunt (nec enim vacillare greſſu poterant, quos pernix animorum in* DEUM *ſuperosquè affectus, provexerat) univerſæ verò viæ tædium indefeſſa divinarum laudum, ac piiſsimorum concentuum viciſsitudine allevabant. Medio in itinere Paræcia Glockſteinenſis, pulchro cæremoniarum ritu Martyribus obviam procedere, novisq; in ſuperos fungi officiis, & ſingularem illis honorem, ſacra in æde habere viſa eſt. Mox inde pari veneratione diſceſſum, & quaſi de integro, concentu vario, prioreq; ordine, præcipiti iam ad veſperam die, Reſſelium itum. Conſultum antè Reſſelii fuerat, quid è triumphali*

divi-

*divorum honore esset; ergo ubi Campanis signum datum, cives militari ordine & apparatu, labaro civitatis praeunte obviam exire; alii, ut collegiati opifices, ceroferaria circiter quinquaginta eleganti opere splendida deportare, tota in occursum effundi civitas, clero cum choro praeunte. Vbi iam beatissima lipsana, cernuus extra mania populus suscepit, aneae fistulae fragore bellico triumphum sonare; & redux congratulantium agmen ad civitatem redire capit. Et quia succedente nocte, maior usus aurium, quàm oculorum fuit, commovit festivus campanarum pulsus, iteratus crebro scloporum sonus, & suave canentium melos, prasentium animos in attentiorem procedentium in triumpho Martyrum venerationem. Iucundum erat intueri civilem cohortem, ordine longo, praforibus Templi Parochialis dispositam, cùm iam limen adis sacra gloriosi Cineres subirent, uno quasi igne crepusculum illustrare, & fragore non interrupto personare, ipsum verò Templum ad ingressum sacrorum Corporum luminaribus undiq; prafulgentibus, triumphali quodammodo ardere incendio. Conclusa est diei illius cum nocte solennitas; Postera luce horis sublucanis, ad sonitum campana excitis hominibus, primoque re divinâ factâ, novus cum sacro reliquiarum deposito, progrediendi modus innovatur; praibant signorum paria aliquot, pone studiosa Iuventus, elegantiori vestrum ornatu, & torquibus insignis, palmas manibus praferens, sequebantur Presbyteri numerosi; quos rei dignitas ad divorum cultum è vicinis convocaverat, multiplici sacrarum rerum apparatu instructi; Horum unus, proximè sequentibus, triumphantibus Imperatorum corporibus grato odore thuris honorem faciebat. Ibat deinde cũ primoribus civitatis non impigris passibus Magn. & Gen. Dominus Sadorscius S. Regia Maiest. Secret. strenuus*

*sacra*

*ſacræ Translationis propagator. Hic triumphale iter Beſteino pedibus infirmis ingreſſus, fortiter Lindam pedeſter terminavit. Inter viam profundum animi ſilentium; & ſingularis omnium in ſuperos cultus elucebat: alii precatorias verſabant ſphærulas, alii cæleſtium rerum ſtudio, ac commentatione detinebantur, omnia concentu muſico perſtrepebant. Poſtquam verò religioſiſſimum Lindenſis Virginis ſacrarium attigiſſent, eleganti variaqúe rerum ſacrarum ſuppellectili ornata reſplenduit ædes; plurima in auro, & argento divæ Matris, divorumq́ſ ſimulacra effulsêre. Sacelli parietes pulchro imaginum, & periſtromatum ornatu veſtiti enitebant. Poſt decantatum ſanctorum Ambroſii & Auguſtini hymnum Eccleſiaſtes glorioſum Martyrum triumphum, diſertè venuſteq́ ad populum celebravit, tum præſentiſſimum ei loco* DEUM, *novoſq́ cælites ſalutari divinæ hoſtiæ immolatione ſanctè colere, & ſuavi inſtrumentorum vocumqúe ſymphoniâ venerari cœperunt. Vbi litatum libatumqúe* DEO, *ſelecta è ſtudioſorum numero iuventus, in loco eminentiore, purpuratos mundi victores, elaboratis, varieqúe ingenioſis, praeunte & ſequente choro, deveneratа eſt congratulationibus. Poſthac alii presbyteri ſacris operati, martyrum honorem re divinâ promoverunt, & tandem Lindenſi Capitolio invicti Imperatores triumphum ſuum concluſerunt. Non omittendum inter alia videtur evidentiſſimum miſerti mortalium Numinis argumentum, quod non dubiè efficacibus novorum Patronorum ſuffragiis Reſſelium excepit. Nam cùm nimiâ vi urentis ſolis, ac calore prata frugeſq́ languerent, ac areſcerent, nec tellus arida pluviis immadere poſſet, in ſequente nocte poſt dictam, divorum cinerum translationem, etiam cælum vim ſuam, quando ita terra conveniebat dimiſit, roremqúe conceſſit.*

*Nimi-*

*Nimirum novum diurnæ opitulationis asylum, felix beatorum Martyrum depositum, Lindensi contulit celebritati.*

Prævium beatorum Martyrum, quasi anteambulonum aut servorum gradum, proximè secutus, & Lindam Marianam, in sua Effigie, ingressus est ipse Dominus. Ingressus, inquam, eâ quadantenus, quâ olim in mundum venerat, hoc est, vili & abjectâ specie: sed quæ multò, uberius quàm vel Bruti scipiones, vel Sileni Alcibiadis, contineret ipsius divinitatis aurum. Rudis equidem est ad aspectum Christi Crucifixi effigies; sed quæ, ob præsentem illius, quem refert, majestatem, eximium de hæresi jam egit triumphum. Nimirum, uti vetus illa Deiparæ Lindensis imago (quemadmodum libro primo vidimus) de gentilium idololatriâ tot antè seculis, & postmodum de nascente in Prussia hæresi, superiore seculo triumphavit: ita decebat recurrente seculo eundem, de eadem hæresi, non jam in Deiparæ, sed in ipsius Crucifixi Dei imagine triumphum restaurari. Sicut autem illa, ita & hæc apud Lindam Marianam, quasi triumphalem quendam sibi videtur Arcum delegisse; ita ut sicut divino placitum fuit Numini, Lindam per Sadorscium instaurari, ita per Sadorscium videatur placuisse triumphantis, Christi apud Lindam statui signum. Qua de re, non me, sed ipsum in publico loquentem monumento Sadorscium, juverit audire. Sic enim ille:

*Ego Stephanus Sadorsky sacræ regiæ Maiestatis Secretarius, ad perpetuam rei memoriam testatum esse volo, coram illustrissimo & reverendissimo Domino, Domino Nicolao Szyszkovvsky Episcopo Varmiensi; me donâsse Patri-*

*bus Societatis* JESU *Residentiæ & futuro Collegio Resseliensi* CHRISTI *crucifixi ex ligno sculpti antiquissimam Imaginem, ab hæreticis surreptam in ducali Prussia, mihique allatam à generoso Domino Melchiore Lesguan, hæreditario in Zanderbork; pro Æde sacra, magnis miraculis illustri B. Virginis* MARIÆ *Lindensis; quam quidem imaginem seu statuam* CHRISTI *crucifixi sine cruce (cui modò affixa est) hæretici in ducali Prussia, ex odio Religionis catholicæ, tanquam objectum & fomentum idololatriæ papisticæ (ut illi appellant) conati sunt non semel comburere; & quamvis in varios ignes eam conjecissent, nunquam potuit ab igne ullam injuriam & læsionem, immo denigrationem pati; confirmante* DEO *divinitus hoc miraculo, veritatem fidei catholicæ, de sacro usu & cultu imaginum sacrarum. Quod miraculum conservatæ in igne, sine ulla læsione dictæ sacræ statuæ, ipsi hæretici in ducali Prussia, mihi cum magno & sincero, cordis affectu, confessi sunt; præsertim dictus, generosus Dominus Melchior Lesguan; qui coram illustrissimo & reverendissimo Domino Simone Rudnicki bon. mem. Episcopo Varmiensi defuncto, publicè multis Catholicis & Hæreticis præsentibus, & id audientibus, confirmavit. In quorum fidem hoc testimonium dedi, à me subscriptum, & sigillo meo roboratum. Resselii Anno christianæ salutis 1634. die 19. Octobris.*

(L.S.)

Stephanus Sadorsky
S.R.M. Secretarius
manu propriâ.

CAPUT

# CAPUT VI.

Linda Mariana, majore, quàm enarrentur, aut enarrari queant, divinorum beneficiorum ubertate eſfloreſcit; quorum conſignandorum causâ, ab illuſtriſſimo Epiſcopo Varmienſi cura atque induſtria adhibita ſingularis.

QUod in arborum aut florum hoc & in cultu animorum ſolet uſu venire. Multa arboribus juxta ac floribus, ab hortorum, glebæ, & ſoli fæcunditate obveniunt, ſed non pauciora propè à cultorum manu atque induſtria. Vel ipſa putandi, & non modò ſtolonum, ſuffraginum, pullorumque, verùm & ramorum, frondium, florumque luxuriem caſtigandi ars quantum conducit! ſemper quidem Mariana Tilia, tum pietatis ac religionis gloriâ, tum multitudine, magnitudine, ac varietate miraculorum eximiè floruit; tamen ubi non ignava operariorum cultura acceſſit, non modicam in utroque genere acceſſionem factam, videtur ipſa quoque res atque omnium experientia loqui. Quod ſi fortè nihil à Societatis opera atque operariis acceſſit, tanto nihilominus eſt DEI ac Deiparæ major atque uberior in homines benignitas atque clementia, quantò majora in eos derivant tum animi, tum corporis hoc tempore beneficia. Et quidem, quód attinet corpus, ſanitatum, curationumque gratiæ, quæ jam referentur, abundè teſtabuntur; quæ verò animum ſpectant, proximo capite paucis libabuntur. Illud in anteceſſum ingenuè fatendum eſt, in utroque beneficiorum genere, longè pauciora, quã evenerint, literis fuiſſe conſignata. Nam ut curationum gratias, corporũq; beneficia



Digitized by Google

duntaxat expendamus, ad ea, quæ operarii nostri consignârunt, plurima in anathematis, ipsisque adeò, quæ plurimæ sunt, tabellis argenteis reperio, quorum apud illos ne quidem mentio facta Quàm multa, imò quàm propè innumera oportuit esse, quæ vel cereis icunculis, vel aliis monimentis expressa, unà cum cera diffluxerunt, atque ex hominum sunt memoria abolita! Quàm multa, quæ neque cerâ, neque argento, aliové metallo signata, simplicitas & ruditas plurimorum, citra memoriam notitiamq; hominum propemodum in auras dissipavit! Quàm multa, quæ etsi ad notitiam deducta fuerint, vel ob accumulatos operariorum labores, & perpetuam, solennioribus maximè diebus, maximoque populorum confluxu irrequietem, vel denique ob aliquam ipsorum operariorum incuriam, prætermissa sunt! Ego quidem, quantum in me est, maximo cupiam opere, & verò præsentes æquè, ac posteros enixissimè orem; ut, quemadmodum in omni animorum cura atque cultu, labori minimè parcunt, ita sint, in adnotandis, quæ Dei beneficio apud Lindam eveniunt, paulò accuratiores. Sit nostris, qui jam decesserunt, majoribus venia, quibus curæ erat, ut (cum Tullio (a) loquor) *in agendo plus, quàm in scribendo operæ ponerent*; at nobis perinde haud potest esse, quibus, ut vires sunt multo auctiores, ita & *frangere panem*, & *fragmenta, ne pereant, colligere*, vehementer incumbit. Quantum in me fuit, ne hac quidem in parte, labori parcendum statui; sive nostrorum commentarioli, si qui superessent, evolvendi forent; sive anathemata & votivæ tabellæ

(a) *ad initium 2. Officiorum.*

bellæ perlustrandæ; sive denique de iis, quæ tum hic, tum illic, erant accuratiùs enarranda, disquirendum fuit. Si quid in me, quoque fuerit desideratum, rationem unà mecum ii reddent, qui vel satagentem non adjuverunt, vel etjam facultatem satagendi ademerunt. Cæterùm ingentes debentur, atque æternùm (si quidem grata esse posteritas voluerit) debebuntur gratiæ, illustrissimo S.R.I. Principi, atque Antistiti Varmiensi Wenceslao Comiti de Lesno; qui pro ea, quâ est in Deiparam Lindensem pietate, pleraque, quæ vel incuriâ hominum, vel temporum injuriâ propè interciderant, quasi è tenebris in lucem produxit, Dei ac Deiparæ beneficia. Pleraque, inquam; quis enim possit omnia? cùm & ipsa sint in se prope innumera; & mortales, qui ea sunt experti, ab ipsius Varmia, tot & tam vastis sejuncti provinciis, pastorales illius cohortationes, ac vocem, magis non possint, quàm nolint audire. Vel ex iis duntaxat, quæ intra Varmiensis diœceseos quasi pomæria, jussu authoritateque illius sunt consignata, haud difficile fuerit, de iis quoque, quæ disjunctissimis inde locis evenerunt, æstimare. Ut porrò consignarentur Encyclicæ, quemadmodum vocant illustrissimi Pastoris literæ, ad omnes Archipresbyteros, & per eos ad universum Clerum, populumque Varmiensem datæ, plurimum adjuverunt; quarum exemplum, cujus quidem me admodum reverendus Dominus Archipresbyter Elbingensis participem fecit, parest hoc à nobis loco recitari.

*Venerabili in Christo, Friderico Meibohm Archipresbytero Parocho Elbingensi, devotè nobis dilecto.*

*Venerabilis in Christo, devotè nobis dilecte: Et nostra, & communis omnium vestrûm, in* DEUM *& augustam* DEI *Matrem pietas atque religio postulat, ne quidquam, quod conservando augendoq; DEI cultui opportunum videtur, negligamus. Cùm igitur magna, & mira* DEI *opera, quæ* DEUS *per Deiparam, etiam apud sacrum Lindense sacellum, operari propè indies dignatur, ad cultum & gloriam* DEI *literis consignari, & publicæ committi luci expediat; constet autem plurima* DEI *beneficia, quæ partim in eo ipso loco, partim ex voto ad illum suscepto, alibi fidelibus* DEI *populis evenerunt, neque ab illis prodita, aut manifestata; neque proinde à quopiam literis excepta esse: Fraternitatis jam tuæ partium erit, non modò per se in suis, verùm & per subordinatos sibi, Parochos ac sacerdotes, in ipsorum Ecclesiis, fidelem populum edocere, & singulari commonefacere studio, ut, quidquid uspiam beneficii aliquis, apud beatam Virginem Lindensem expertus est, si præsertim id necdum literis consignari curavit, Fraternitas tua, & subordinati Parochi consignent, & ad Patrem Thomam Clagium Societatis* JESU, *Resselium quantocyus transmitti curent. Colligenda enim sunt fragmenta, ne pereant; quibus populi fideles, & ad futuram, & ad præsentem quoque vitam educantur. Bene de cætero valeat. Smolanii die 23. Sept. 1654.*

*VVenceslaus de Lesno*
*Episc. Varm. mp.*

Quan-

Quantum hæ literæ habuerint ponderis, quintus hujus operis liber, abunde exhibebit. Tametsi enim pauci admodum ex Archipresbyteris & Parochis (sive id aliquâ ipsorum oscitantiâ sive potius, ut ego quidem censeo, subjectorum ipsis populorum subrusticâ evenerit verecundiâ) ea, quæ jussi fuerant, consignârint, aut consignata ad nos miserint; ipsi tamen homines Lindam è Varmiensi diœcesi quotidie frequentantes, tum illustrissimi Pastoris sui literis, tum sacris operariorum Lindensium quæstionibus excitati, divina, quæ in se experti sunt beneficia, alacriùs juxta ac uberiùs percensent, ut vix tempus connotandis omnibus suppetere queat.

## CAPUT VII.

E votivis tabellis, aliisque id genus anathematis, multitudo, magnitudo, & varietas, beneficiorum divinorum per B.V.Lindensem hominibus præstitorum æstimatur.

QUanquam ea, quæ animum concernunt, divinitus collata beneficia, eximiè cæteris præstant; quia tamen ea, quæ corporibus, supra vires spesque humanas exhibentur, in oculos vulgi magis incurrunt, magis etiam solent ejusdem vulgi commovere animos. Quo etiam fit, ut & memoriæ tenaciùs hæreant, & tum voce, tum literis ad posteros faciliùs propagentur. Neque desunt, qui suis & posterorum temporibus, æterna acceptorum divinitus beneficiorum velint monumenta superesse. Hinc alii, quorum facultates ita ferunt, auro vel argento; alii ære vel marmore, vel alio metallo signata,

post se relinquunt; & Jobum fortasse sigillatim imitati, apud se taciti loquuntur; *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi laminâ, vel celte sculpantur in silice.* (a) Quatuor nimirum graduum scala cum Jobo, uti interpres observat Jacobus Bolducius ad hunc locum vota provehunt sua: ut videlicet à privato & singulari aliquo viro, gestæ res ac sermones notentur: ut publico notarii aut scribæ publici instrumento digerantur; ut non in vulgari scribarum charta, aut membranis, quæ corrodi & vetustate consumi possunt, sed in plumbeis laminis stylo ferreo exarentur: denique ut marmori & ipsis quoque silicibus scalpello quàm altissimè insculpantur. Quod si tantorum compotes votorum esse nequeunt, aliis, quibus possunt, monumentis rem ad posteros consignant. Quæ quidem inter monumenta facies humana argentea, & auris, atque insuper mala dextra itidem argentea, unius pluriumvé palmorum excedens longitudinem, quid aliud loquuntur, nisi & aurium, & capitis, & faciei depulsos, ope Deiparæ, dolores atque morbos? Quid oculorum quinæ effigies itidem argenteæ, nisi aut visum cæcis restitutum, aut epiphoras, glaucomata, lippitudines, ophtalmias, & id genus oculorum vitia atque suffusiones, ejusdem Deiparæ auxilio sublata? Quid gemina, propè ad cubiti longitudinem fusa ex argento brachia? quid ternæ ex argento quoque laboratæ manus? quid quini supra vicenos, ex argento pedes, quorum aliqui è solido fusi metallo, alii cubiti integri, alii dimidii referunt magnitudinem? quid

(a) *Iob* 19.23.

by Google

quid inſuper denæ cordis humani argenteæ effigies, duorum aut ſeſquipalmi magnitudine; niſi aut cordis, aut pedum, aut brachiorum, manuumvé languores, cruciatus, ægritudines, ægrotationes, & varia teſtantur ope Deiparæ profligata ſymptomata? Denique quid votivæ ex argento tabulæ aut tabellæ, quarum non paucæ cubiti longitudinem, latitudine longitudini accommodatâ, facilè attingunt; aliæ plures, aut pedis geometrici, aut palmorum aliquot magnitudinem exæquant? ſunt propè centenæ ac quinquagenæ, quæ vel expreſſam, vel duntaxat tacitam, literis quibusdam aliisvé notis inſcriptis, acceptorum beneficiorum ſpeciem, magnitudinemque teſtantur: at plurimæ aliæ vel literarum nullum referunt veſtigium; vel quid per inſculptas divorum imagines loquantur, etjam curioſo lectori non ſatis aperiunt. Teſtantur nihilominus etjam iſtæ, neque ſine cauſa gravi, neque ſine prævio Dei ac Deiparæ ſingulari beneficio, ad eum ſe locum fuiſſe delatas, & memoris gratique animi ergo appenſas. Neque aliud loqui videntur coloribus expreſſæ tot, & tantæ imagines: quarum vix aliquæ, curationis, beneficii, munerisque divinitus accepti, literis ſignatas referunt rationes: & tamen, cùm tot ſint, ut intra ſacellum iis locus jam non ſuperſit, adeoque tum in porticibus, ſacellum undique cingentibus, tum in ipſa ſacræ ſupellectilis camera neceſſe habeant defigi, omnes nihil aliud tacitè loquuntur, niſi maximam auguſtæ Virginis Lindenſis liberalitatem, gratias, & beneficia. Ad extremum, factæ ex cera formæ atque effigies, prorſum in-

numeræ, quid aliud videantur loqui? Præter eas, quæ majore aliquanto temporis intervallo, suis dispositæ locis, intra sacellum visuntur; videas propè quotidie hinc formatas ex cera manus, pedes, aliosvé artus, inde verò totius corporis humani deferri simulachra: manifesto utique, profligatorum ope Deiparæ, aut à toto corpore, aut quibusdam membris sensibusvé morborum argumento. Videas inde plurimas equorum aliarumvé animantum cereas formas apportari: non alio sanè, quàm morborum & calamitatum, à vario pecore, variè beneficio Deiparæ depulsarum indicio. Denique videas & tectorum, & ædium, & villarum civitatumvé è cera fictas, aut metallo impressas effigies, quâ aliâ, quàm servatarum Deiparæ manu civitatum, ædium, tectorumque causâ. Verùm hæc, & id genus, Deiparæ Lindensis benefacta, atque de humano genere merita, quantum quidem tum è quorundam commentariolis, tum ex ipsis quoque votivis quorundam tabellis, notitia poterit erui, in suas dispescendæ classes, ac percensendæ jam sunt; eo majore utique fide ac fiduciâ veritatis, quo vicinior ipse quoque nonnulla spectarem. Interim quod cuidam expressæ coloribus imagini, Deiparæ natum ex se DEUM prono vultu adorantis effigiem (qualis apud Rhegienses coli fertur) referenti, & à Simone Niderhoff Archipresbytero Seeburgensi Lindam dedicatæ inscriptum legitur epigramma, operæ pretium videtur in antecessum huic argumento præmittere, Epigraphe imagini præfixa est, *quem genuit, adoravit:* jam verò ipsum epigramma imagini subscriptum, hujuscemodi est:

Te

*Te* MATREM VERBI, *mutis conferre loquelam;*
*Lucis & Altricem lumina adempta dare;*
*Te gestatricem vitæ, veræq; salutis*
*Ferre salutarem, vivifi amq; manum;*
*Nil mirum: maiora potes, meliorq; virgo.*
*Quæ* DEUS *imperio, tu prece cuncta potes.*

Cuncta igitur cùm possit, quid mirum, si tanta & tam innumera, cùm aliis locis, tum apud suam quoque Lindam patret miracula? quid mirum, si de innumeris ejus miraculis Jacobus Pontanus (*a*) cecinerit?

*Non tot flumina piscibus natantur,*
*Non tot aëra remigant volucres,*
*Non tot silva feras, favos tot Hybla,*
*Non tot Parthus habet ferox sagittas,*
*Non tot æquora fluctibus tumescunt,*
*Non tot spicea serta gestat æstas,*
*Non tot arboribus coma virescunt,*
*Non tot robora montibus creantur,*
*Non tot astra micant tacente nocte;*
*Quot exempla tuæ benignitatis*
*Humanum in genus, in tuos clientes.*

Quæ, ne cuipiam ad Poëseos magis licentiam, quàm ad historiæ fidem cantata videantur, juvat universam Ecclesiam Græcam eadem in suis Menæis audire Deiparæ concinentem. *Flumina miraculorum,* ô DEIPARA, *ex te, tanquam è Paradiso progressa,* *univer-*

(a) *lib. 2. de Virgine Matre.*

*univerſi orbis exſatiant ſitim, gratiarum cumulos, velut undas, volventia, in utilitatem eorum, qui ſincerâ te fide coluit* (a) Et quid hic aliud expectes, niſi ut eadem Eccleſia omnes ad tanta miraculorum beneficiorumque Marianorum flumina invitet? *Ecce*(ſic enim eodem pergit loco) *inexhauſtam gratiæ copiam! Adeſte omnes, & corde puro, ſcaturientes hinc rivos, ut planè divinos, haurite.* (b)

## CAPUT VIII.

**Beneficia divina, quæ ad animorum cultum atque ſalutem, Deiparæ Lindenſis ope conferuntur, paucis libata.**

ILlud ante omnia, in beneficiis divinis animos mortalium concernentibus, venerari omnino par eſt, quòd pleriſque locum ſacrum non modò jam ingreſſis, ſed cominus quin & eminus aſpicientibus, vel etjam iter duntaxat eò capeſſentibus, peccatorum ſuorum memoria, non ſine ingenti animi dolore, ſubeat, ut vix uſpiam magis. Atque hinc eſt, quòd illic tot exomologeſes, aut ab ipſo vitæ exordio inſtituantur; aut, ſi quid anterioribus defuiſſe videatur, ſarciantur. Paucos admodum invenias, qui eo loci, aut totius vitæ ſarcinas non deponant; aut, ſi alibi depoſuêre, non ſe illic ſingulariter allevari ſentiant. Quid,

(a) ὁι τῶν θαυμάτων πόταμοι, θεοτόκε, ἐκ σοῦ προεϱχόμενοι, ὡς ἐξ ἰδέμ, ποτίζουσι τὸ πρόσωπον τῆς γῆς, χάριτας προχέοντες τοῖς πιςῶς σε τιμῶσιν. *Apud VVagnereck. num.* 399. (b) ἰδοὺ χάρις ἀνεξάντλητος. δεῦτε πάντες, εἰλικρινεῖ καρδίᾳ ἀρρύσασθε, θεῖα νάματα πηγάζοντα.

Quid, quòd illi quoque, qui aut nullam, aut exiguam purgandæ conſcientiæ curam rationemvé ſecum afferebant, ſimul atque ſacrum locum ſubiêre, aut ei propiores facti ſunt, ſubitò intra ſe mutati, collectum diu intra conſcientiam virus, majore, quàm vel ipſi ſperârant, animi gemitu evomunt? Fuit paucos ante annos miles quidam, qui Ædem ſacram ingreſſus, cùm nihil antè ſuper exoneranda apud ſe agitâſſet conſcientiâ, præter expectationem ſubitò excitari ſe ad faciendam peccatorum confeſſionem, quin & diviniore quâdam vi impelli ſenſit, ut *contra ſtimulum calcitrare*, vix ampliùs poſſet. Ergo ad divinum Tribunal ſe repente proripit, &, quæ longo temporum militiæque uſu hauſerat venena, ita apud ſacrum Quæſitorem digeſſit atque egeſſit, ut quemadmodum dolor maximus reum, ita judicem ſumma admiratio, utrumque verò incredibilis demum exceperit lætitia. Neque verò minùs, auguſta Lindenſis Virgo à vitiis jam lapſos revocat, quàm cum vitiis luctantes aut confirmat, ne cadant; aut, cùm lapſare cæperint, erigit. Unum de multis, quæ memorari poſſent, è P. Simonis Hein commentariolo ſubjicio. Anno MDCLI. maritus quidam, fœdum in morem per adulteria volutatus, non DEI duntaxat ac divorum, verùm & conjugis ſuæ acerrimum incurrit odium. In eo libidinis æſtu, ſub Tiliæ Marianæ umbram confugit; &, ut Regina Virginum, omniſque etjam Angelicæ puritatis fons ſupplicem audiat, obſecrando vovet, ſe tum ſacrum Lindæ ſacellum aditurũ, tum ſeptem dies in honorem puriſſimæ Virginis

Digitized by Google

nis jejunio traducturum. Annuit supplici Virgo, & continuò omnem insanæ libidinis æstum ita extinxit, ut qui toties alienum polluerat thorum, deinceps etjam suum, quantum per fædera liceret matrimonii, vellet servare puriorem. Voti quocirca reus, Lindam III. Cal. Jun. adiit, & sospitatrici suæ intimas egit gratias. Quis verò memoret, quantum in aliis constitutos animi periculis B.V. Lindensis adjuvet; quando Catholicæ quoque Ecclesiæ ac fidei, quæ virtutis omnis vitæque divinæ fundamentum est, tantam gerit curam, ut non modò Orthodoxos, in medio sectariorum per Ducatum Prussiæ sparsos confirmet, verùm & luctantes adjuvet, & lapsos revocet, & eos, qui de Ecclesia orthodoxa vix fando audierant, ad eandem invitet? Videtur profectò locum ipsum jam olim delegisse, unde ad omnium, quasi de specula quadam, excubaret salutem, & non minùs in tenebris hæreseon positos, veræ fidei perfunderet lumine, quàm orthodoxos flammâ accenderet pietatis. Haud facilè eorum, qui Deiparæ Lindensis ope ad Ecclesiam Catholicam rediêre, numerum iniverit, etiamsi quis numerum ritè consignare statuisset. In unius, quem proximè adduxi, P. Simonis Hein, commentariolo, ab anno circiter MDCXXXVI. ad MDCLIII. quo defunctus est, invenio præter eos, qui decrepito jam seni ac planè capulari, exciderunt memoriâ, restitutos per ipsum Ecclesiæ, ac de nomine signatos, centum octuaginta septem. Quorum etsi nonnulli videantur Resselii vinculis hæreseon expediti, Lindensi tamen Deiparæ, secundùm DEUM salutem debent; quia & illi ab ipsa

Res-

Resselium diriguntur; & Societas Resseliensis, quid aliud, nisi Deiparæ Lindensis alumna est? Quod si, juxta unius commentariolum necdum satis ad amussin utique exactum, Deipara tot ad fidem & Ecclesiam reduxit, quot & quales essent, si, uti Ecclesiæ sunt restituti, ab aliis quoque operariis relati in commentarios accuratè essent? Quid si verò illi quoque, qui vel ex avaritiæ vel luxuriæ, vel alio vitiorum cæno, gravissimisque Satanæ vinculis erepti; vel qui castimoniæ, justitiæ, liberalitatis, aliarumque virtutum præsidio muniti atque ornati sunt, in tabulas fuissent relati, quis eorum satis numerum explicâsset? Quorum ego non magis, quàm meo quoque nomine, sub tiliæ Marianæ umbra positus, non tam cum sancto Saba, magno Ecclesiæ Græcæ Rectore, quàm cum universa Ecclesia Græca in Menæis Deiparam supplex oro. *Ego sum infrugifera Arbor, nullum salutis fructum afferens. Quocirca, ne exscindar, & in ignem, qui extingui non pot est, miser projiciar, metuo. Vt inde ergo me eripias, atque suffragiis tuis frugiferum, tuo exhibeas Filio, coram te prosternor.* (a)

CAPUT

(a) *Apud VVagnereckium num.* 192. ἔγω εἰμι τὸ ἄκαρπον δένδρον, τὸ μὴ καρπῖνον καρπὸν σωτήριον. διὸ ἡ τρέμω τὴν ἐκκοπὴν, μὴ πῶς βληθῶ εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεσθον ὁ ἄθλιος. ὅθεν προσπίπτω σοι, τούτου ῥῦσαι, μου καὶ καρπόφορον δεῖξον τῷ υἱῷ σου τῇ μεσιτείᾳ σου.

f

## CAPUT IX.

**Inter beneficia ab Anno MDCXXX. divinitus apud Lindam Marianam exhibita, non postremum locum sibi vendicant illustrati mortalium oculi, & cæcitas aliaque oculorum vitia depulsa.**

QVemadmodum tum à primo Lindæ Marianæ ortu, tum ab eadem postliminio restaurata (quod & libro 1. cap. 16. & lib. 3. c. 16. spectavimus) inter beneficia, quæ supremum Numen dispensari in genus humanum per Deiparam voluit, primum aut præcipuum fuit, depulsa ab oculis caligo: ita ex eo quoque tempore, quo, non sine DEI, Deiparæque nutu ac singulari benignitate, Societati JESU cura Lindæ commissa fuit, primum aut fere præcipuum locum occupat, depulsa itidem ab oculis caligo & luminis orbitas. Atque ut eos, qui laboratas ex argento, uti paulò antè memoravimus, oculorum effigies, inter anathemata, Deiparæ Lindensi, ob visum receptum dicârunt, quia ignoti sunt, missos faciamus, primum hic locum teneat, qui id beneficij primo obtinuit loco.

### I.

**Adolescens ob impactam oculo festucam, oculi usu orbatus, promissâ peractaque Lindam peregrinatione, oculum, oculique usum integrè recipit.**

Anno MDCXXVI. Balthasar Cimen adolescens, perdiscendo apud calceolarium opificio, navabat operam Heilsbergæ, unde oriundus quoque erat. Domi-

Dominico interea die heræ ſuæ (quanquam reclamante, &, ne diem feſtum temeraret, obluctante conſcientiâ) dicto audiens, manum ſecandis lignis admovet; continuoq; quàm verum eſſet illud, quod ſacræ literæ interminantur (a) *Erunt vobis ſudes in oculis veſtris;* re ipsâ expertus eſt. Ad primum ſecuris ictum ligno impactum, ligni ſegmen oculo illapſum, videndi oculiq; totius uſum eripuit. Mater adoleſcentis, non minore, quàm filius, animi dolore percuſſa, ad luminis æterni Matrem recurrit, atque, ut filius quoque recurrat, perſuadet. Ergo ille peregrinationem ad Lindam Marianam vovet, eamqúe proſecuturus, die ſacroſanctæ & individuæ Trinitati ſacro, Heilsberga progreditur. Vbi Reſſelium acceſſit, lumen ſibi ſenſim reſtitui ſenſit: tanto quocirca alacrior Lindam perrexit, indeqúe redux, ac plus identidem ſibi luminis accedere videns, iterato ad diem aſſumptæ in cælum Virgini ſacro, peregrinationem eandem repetiit; & (quemadmodum Gertrudis illius ſoror, quæ inter conventuales, ut vocant, Virgines, præfectam haud ita pridem egit, hodieque ſuperſtes ſanctè affirmat) ita perſanatus eſt, atque ſi nullum eo oculo fuiſſet aut vitium aut dolorem paſſus.

II.

Mulier biennium oculis privata ſanatur.

Ad VI. Cal. Iul. anni ejusdem, venerunt Lindam Henricus VVennigk, è pago territorii Meelſaccenſis, Groskerpen dicto, ejusq; conjux Euphroſyna: qui ſecundùm divinum Euchariſtiæ epulũ dili-



(a) Ioſ. 23. 13.

uſu, ſoſpitatrici ſuæ gratias ageret. Nam, ut ipſamet bonâ fide aſſeruit, hyeme proximè elapsâ, graviſſimo oculorum dolore conflictata, cùm opem aliunde petitam, videret prorſum irritam, peregrinationem ad B. V. Lindenſem vovit. Continuò dolor & cruciatus omnis remittere, tumor deſidere, oculorumqúe uſus cæpit redire, ita, ut, cùm Lindam adiiſſet, uno duntaxat oculo moleſtiæ nonnihil ſentiret, cæteroqui probè ſana.

## IV.

### Viri duo gravi oculorum dolore & caligine liberati.

Quod ſequitur, iisdem reddam verbis, quibus eo, quo evenit tempore, non ſine publica fide ſignatum fuit. Anno MDCXXXIX. die XIII. Maji, venerunt Lindam, votumq; exolverunt, Martinus Helman Vormditenſis, & Andreas Grempell Meelſacenſis; uterque è gravi oculorum morbo ſanitati reſtitutus. Cùm enim autumno proximè elapſo, in Pago Beervvald Cameratus Meelſaccenſis, in una eademqúe domo uterque famularetur, ferè octiduò ante S. Michaëlem ingenti oculorum dolore uterque ita correptus eſt, ut, morbo indies augeſcente, ne videre quidem, niſi tenuiſſimè poſſet, atque adeo arbores in campis, è propinquo vix dignoſceret; quæ tamen ipſæ arbores, quaſi ardere videbantur. Tandem prior, fruſtra adhibitis quibusdam remediis, B. Virginis Lindenſis memor, templum propinquum ingreditur, vovetque ſe nudis pedibus Lindam iturum, & unius libræ cereum delaturum. Fa-

ƈto voto, meliùs continuò habere cœpit, ut intra octiduum ad priſtinam redierit ſanitatem, authorque ſacro, jam nonnihil revaleſcenti fuerit; ut, ſi perfectè ſanus eſſe vellet, voto ſe ſimili obſtringeret: quod & alter fecit, perfecteque ſanatus eſt. Atque hæc ita ſe habere, ſub conſcientia, tacto manu pectore, in præſentia infra ſcriptorum edixerunt.

*Ita eſt, uti ſupra, Valentinus German Canonicus Varmienſis, Protonotarius Apoſtol. man. prop.*

*Andreas Selinger Soc. Ieſu, ita eſſe teſtor.*

*Chriſtophorus Schmidt Notarius Reſſelienſis ita eſſe atteſtor m. p.*

*Idem teſtor Thomas Clagius Soc. Ieſu.*

## V.

**Vir Sexagenario longè major, oculorũ lumen, quod nullo ſacrorum in Polonia locorum cultu recipere potuit, apud Lindam Marianam recepit.**

Et hoc quoque iiſdem, quibus ſuo tempore ſignatum & confirmatum eſt verbis ac teſtibus hîc referendum eſt. Anno MDCXXXIX. Matthias Renczkoroski ex Bredinen pago Epiſcopatus Varmienſis oriundus, opificio molitor ac faber lignarius, fixâ in Szady civitate Samogitiæ ſede, Anno MDCXXXVI. menſe Iulio, gravi cœcitate percuſſus eſt, ut uxorem viri ſui puduerit; quæ proinde maritum exire & penitus exeſſe domo voluit. Sed & Illuſtriſſimus Samogitiæ Epiſc. Georgius Tiſzkievviez, & Sebaſtianus Kieyſtort Vexillifer Samogitiæ, & Chryſoſtomus VViſztort, Parochus Szadenſis, anno ſupra citato, publicis inſtrumentis, de ejuſdem cœcitate

citate palàm teſtati ſunt. Cùm autem humana præſidia deeſſent, ad divina confugit, votumqúe de viſendis omnibus, in Polonia ac Lituania ſacris locis fecit. Facto voto, primùm Zurovicios, deinde Creſtochoviam, aliaqúe loca pluſima reviſit, uti è teſtimoniis, quæ habet, patuit: ſed propè irrito eventu. Tandem domum repetit; & cùm duodecim circiter leucis abeſſet, admonetur, ut B. Virginis Lindenſis ſacellum miraculis illuſtre ne negligeret. Ille monitis paruit, & retrò iter flexit. Ventum eſt Inſterburgum, ubi in medicum (quem à medendis oculis vulgo *Oculiſtam* vocant) incidit, opemqúe, dato pro ſua facultate ære, imploravit; ſed planè fruſtra uti ex medici ejusdem chirographo colligi poteſt. Denique Lindam veniens, geniculatim ter ſacellum, ter altare obreptavit; & ante aram B. Virginis humi in modum Crucis proſtratus, DEUM ac Deiparam, pro ſua incolumitate deprecatus eſt. Fuſis precibus ſurgit, & continuò viſum ſe recepiſſe gaviſus eſt. Rem ita ſe habere, ipſe tacto Evangeliorum codice, fixisqúe humi genibus juratus edixit: quod infra ſcripti præſentes audierunt, examinarunt, & adſcriptis manibus roborarunt, Anno MDCXXXIX. die XXII. Maji.

*Ita eſſe teſtor Paulus Mollerus Archipresbyter & Parochus Reſſelienſis.*

*Idem teſtor Thomas Clagius Reſidentiæ Reſſelienſis Societatis Ieſu ſuperior m. p.*

*Ita eſſe teſtor Henricus Conradi Proconſul Reſſel. m. p.*

*Chriſtophorus Schmidt Notarius Reſſelienſis juratus rem ſupra ſcriptam ita eſſe affirmo m p.*

Dei Matri, quas pro acceptis per eam beneficiis referre non poterat, ageret gratias. Maximis enim, inter cætera, tum curis, tum etjam periculis, quæ in cauſa bonorum Krzemienicenſium incurrerat, Deiparæ Lind. ad quam recurrerat, ope ſe cum ſuis levatam expeditamq; agnoſcebat. Non pauci in illo tum comitatu erant, qui non voce duntaxat, verùm & manu calomoquè ſuo (quemadmodum codicillus manibus eorum ſignatus indicio eſt) teſtati ac palam ſunt profeſſi omnia, quibus à Deipara Lind. mactati ſunt, divina beneficia. Quos inter Paulus Caſimirus Resziſzevvski, qui eidē heroinæ ab obſequiis erat, acerrimo oculorum cruciatu toto hoc itinere (quod ex interiore Lituania Lind. uſq; ſat eſt longum juxta ac impeditum) temporibusquè retroactis, nuſquam ſe levari potuiſſe ſanctè affirmavit. Simul autem limen Deiparæ Lindenſis attigit, confeſtim allevatus eſt, quemadmodum præcipui illius aulæ comites, præſertim Dominus Thomas Karnierosky (de quo erit ſuus dicendi locus) & Albertus Læziuski præſentes atque oculati teſtes, manu ſuâ eidem codicillo adjectâ, confirmarunt.

## VIII.

### Nobilis Virgo, viſum prorſus amiſſum recipit.

Sub eadem, ut conjicere poſſum, tempora Catharina, Ioannis Koſcieſza nuper in Gronittē Allenſteinenſis municipii, nunc in Sorenbohm Seeburgenſis Territorii heredis, avunculi mei materni (à quo primum literarum guſtum hauſiſſe me gratus fateor) filia,

illi filia Margareta, ſolidum jam annum oculis capta, ut nihil aliud jam, niſi ne ſempiterna nox offunderetur, expectandum foret. Parentes ſuam filiæque ſortem miſerati, nullum tamen aliud miſeræ, niſi apud B. V. Lindenſem auxilium reperiunt. Illi filiam offerunt, &, ſi votorum damnarentur, Lindæ ſiſtendam ſuo tempore ſpondet Damnati ſunt, & filiam ſanitati oculisqúe reſtitutam, ſine mora Lindam deduxerunt.

## XI.

### Mulier diuturno oculorum dolore liberata.

Eodem fere tempore, Pudentiana è villa Tolnik Seeburgenſis municipii colona mulier, votum ſolvit. Continuis quatuordecim hebdomadis, graviſſimè ex oculis laborarat; & cùm neque collyrium neq; aliud remedium ſperare aliunde poſſet; collyrium à tiliâ Marianâ ſibi afferre nō deſperavit. Spondet igitur Deiparæ Lindenſi, ſi depulſo ab oculis, illius ope, cruciatu, & inſtante jam orbitate, libera eſſet, voti ſe ream, non modò ſacellum ejus viſuram, verum & bis mille paſſus geniculando aut potius, genibus reptando confecturam. Spopondit mulier. & Virgo Deipara, voto ſine mora reſpondit neq; Pudentiana ſecus, quam ſpoponderat, peregrinationem eſt proſecuta.

## XII.

### Cuidam in Samogitia poſito, poſt votum B. V. Lindenſi factum, cæcitas depulſa.

Anno MDCXLIV. ad VII. Cal. Jun. quidam ab ipſa uſque Samogitiâ, ut ſe voto exolveret, Lindam venit. Cæcus paullò antè fuerat; & qui in

munus ac beneficium, obligatus. Grave uterque ex oculorum vitio periculum adierat; facto ad Deiparam voto, uterque liber ſubitò evaſit; &, nullâ interpoſitâ morâ, ut vincula, quibus ſe per votum induerat, evaderet, ſimul uterque Lindam contendit.

## XV.

### Puella Biſtenienſis apud Lindam Marianam viſum recepit.

Ad XIV. Cal. Aug. ejusdem anni, puella Biſtenio oriunda, prorſum cæca Lindam perreptavit. Quia verò nõ minùs animi, quàm corporis lumen à Virgine, MARIA quæ ipſo MARIÆ nomine ſe & corporis & animæ *Illuminatricem* profitetur, ſupplex depoſcebat, utrumque eodem loco ac tempore conſecuta eſt. Nam ubi peracta delictorum ſuorum confeſſione, tenebras, quæ ſe animo offuderant, diſpulerat, ad ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum, hoc eſt, ad divinum illum inter ſeptem Eccleſiæ Sacramenta, Solem acceſſit, & unà lumen, corpori jam dudum ereptum, non ſine ingenti gaudio & ſummâ gratiarum actione recepit.

## XVI.

### Rei familiaris adminiſter, uſu oculorum prope captus, voto Lindam facto, ſanatus.

Anno MDCXLVII. Clemens Fiſcher, è VVuſen municipii Vormditenſis pago oriundus, Traumburgi ad rei familiaris operas miniſteria ſua addixerat; cùm interim oculorũ uſu deſtitui ſenſim ac privari cæpit. Nulla

Nulla in præſente, adeoquè periculoſo morbo po-tiora erant remedia, quàm quæ de B. V. Lindenſis præſentiſſimo in malis ſubſidio à nonnullis familiarium ſuggerebantur. Ad ea quocirca & ille animum adjicit, votumquè Lindam concipit; eodemquè tempore & viſum propè amiſſum recipit, & mox votum Lindæ præſens magna cum gratiarum actione reddit.

## XVII.

Puella medium annum cæca viſum recipit.

Eodem anno Martini Vlrich civis Heilsbergenſis filiola, medium circiter annum oculis prorſum orba, ſive ſuo, ſive aliorum conſilio ad Deiparæ Lindenſis præſidium confugit; & voto facto priſtinum oculorum uſum ſubitò recepit. Patrem igitur, Lindam uſque piè comitata, votum & gratias pro incolumitate, ita facilè recepta dependit.

## XVIII.

Biennium integrum oculis captus, tum animi tum corporis lumen recipit.

Anno MDCXLVIII ex infami illo Ambubajarum genere (qui ſi non laſcivas, certè ludicras artes profitendo, celebria quævis loca quæſtus gratiâ percurſant) fuit Salpiſtes urſinus ex Smurgon Lituaniæ oppidulo, duodecim circiter leucas ultra vilnam ſito, oriundus Ioachimus nomine. Is ad morem in Ruſſia Lituaniaquè uſitatum, domitos & ad ludum choreasquè variè inſtru-

inſtructos urſos, ductando, plures jam annos cum ſui ſimilibus belluarum exercitoribus, varias aliorum quoque regnorum provincias obierat; quoad tandem qui ſupra urſos cæteraſque belluas vix intra animum perſpicaciores habebat oculos, etjam eos, quos in corpore cum belluis habebat, communes amiſit. Biennium integrum, & omni ope, & conſilio deſtitutus, miſer oberrârat; cùm ille peregrinus quidam Ioannes Szukelski in Samogitia adortus, ad Deiparam Lindenſem opis præſidiique causâ dirigit. Sequitur cæcus ſaniora peregrini conſilia, & Lindam uſq; ſe confert. Hic verò, priusquam lumen corporis, quod quærebat, reciperet, lumen etjam animi, quod ad eam diem, neque quæſierat, neque inſuper noverat, accepit. Inſtructus enim de Græcorum & Schiſmaticorum, in quo adoleverat, errore, ultro ſe ad Catholicæ lumen Eccleſiæ recipit. Poſteaquam verò denſam illam peccatorum caliginem, per ſacra Pænitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta, ab animo diſpulit, lumen quoque corporis, viſu per Deiparam reſtituto, confeſtim recepit.

## XIX.

### Clauda mater, & filia cæca ſanatæ.

Iunio menſe anni MDCLI. exeunte jucundum fuit, uti credere par eſt, Angelis hominibusque ſpectaculum, & vel ad veterum Poëtarum diſertiſſimos argutiſſimosque ſales, non inficetum. Luſerint inter eos, non modò Philippus, Leonides, & Antiphilus, verum & ipſe adhuc junior Plato

turit, vel rivulo vallem ſecante devolvitur) deque incolumitate nonnullis ex eadē promanante aquâ diximus, hujus MDCLII. anni exemplo abunde confirmatum eſt. Mos eſt non paucis Lindam accedentibus, ut vel terram, vel frondes, vel etjam aquam, è loco ſacro ſecum aſportent; illum fere Candacis Reginæ, de quo literæ ſacræ (a) Eunuchum imitati. Fuit inter hos Generoſus D. Euſtachius Nenchen, in Elditten hæreditarius; qui aquam è Lindenſi ſcaturigine hauſtam, lagenâ ad futuros uſus ſecum aſportavit. Et ecce, non leve tantillæ operæ precium! Erat illi inter domeſticos operarios quidam, cætera quidē haud ignavus, ſed ob vitia, quæ patiebatur, oculorū, haud magnæ, præſertim in futurum, frugis. Huic ille allatam recèns è ſacro Lindæ loco aquam tradit, & ut oculos identidē perluat, imperat. Paruit hero miniſter, & cum primum aquâ illâ perluiſſet oculos, non aquam ſed præſentiſſimū oculis collyrium admoviſſe viſus eſt: ſubito enim oculi reſtituti, & omnia, quæ invaluerant, vitia ſunt depulſa. Quod quidem idē ipſe generoſus Dn̄s Nenchen Anno proximè conſecuto ad VI. Jul. præſente R. D. Joanne Reiter & quibusdam de ſocietate Patribus coram audientibus, ita uti memoravimus contigiſſe, ſanctè affirmant.

## XXI.

### Duodecim annorum cæcitas curata.

Anno proximè inſecuto, ut ego quidem conjecturâ aſſequor, Laurentius Mrovvka è Schœnberg regionis Allenſteinenſis pago, Deiparam Lindenſem supplex quanquam luminis ac annis duodecim et-

(a) *Act. 8.*

jamnum expers veneratus tum voto tum cæcitate magis, quàm luſcitie quibus obſtrictus erat, ſolutus eſt. Quia enim duodecimo hoc affictiſſimæ ſuæ vitæ anno ad opem Deiparæ ſe contulerat, & tum peccata ritè confitendi, tum ſacroſanctam in Æde Lindenſi Euchariſtiam ſumendi votum fecerat, ſimul atque, quod promiſerat, coràm executus eſt, videndi ſenſum, quemadmodum optabat, & de Magnæ Dei Matris benignitate ſperabat, manifeſtò in eadem Deiparæ Æde conſecutus eſt.

## XXII.

### Caligo, quæ plures hebdomadas offuſa erat oculis, depulſa.

Anno MDCLIV. ad III. Non. Iun. Simon Hein ex Stegendorff Meelſaccenſis, ut vocant, Cameratus Pago incola ſimulque caupo, uti inſperatâ ita densâ oculorum caligine, ante quadrageſimam proximè elapſam, ſuffuſus ac paullò poſt, videndi uſu penitus orbatus eſt, ita ut toto illo, quod ad Paſcha intercurrit, tempore nihil omnino potuerit cernere. Simul autem atque votum ad Deiparam Lindenſem adeundi fecit, mox illa Caligo ſenſim diſpelli, atque lux oculis redire cæpit. Quæ, quemadmodum memorata ſunt, ipſe mihi apud Lindam, teſtibus fide digniſſimis præſentibus coram enarravit.

CA-

## CAPUT X.

Deiparæ Lindenſis beneficia etjam ad hæreticos, & ab Eccleſia Catholica alienos, præſertim verò in vicino Pruſſiæ Ducatu ſitos derivata, atque in iis quoque cæcitas, & alii oculorum curati morbi.

QUanti magnam DEI Matrem æſtiment hujus temporis ſectarii vel è blaſphemis atque impiiſſimis quorundam, qui ſectis nomina vel incrementa dedêre, vocibus abunde patuit. Et tamen iſtorum quoque vota, apud Deiparam Lindenſem inveniunt locum! *Quid aliud eſt* (ajebat Philoſophus Antiſthenes (a) *è flamma cibum petere, quàm eorum auxilium & opem implorare, quos neceſſitate non urgente, ne teruncii quidem æſtimes?*

### I.

### B. V. Lindenſis, non modò quà DEI Mater, ſed etjam, quà Lindæ Domina, quodam jure ad benefaciendum ſuis adverſariis quaſi obligatur.

Si ad cæteros Chriſti familiares & Dei ſervos, illud pertinet: *Diligite inimicos veſtros; benefacite his, qui oderunt vos; & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cælis eſt; qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos & iniuſtos* (b) quid ni id quoque ad ipſam DEI & Chriſti Matrem pertineat? Qua de cauſa videtur profectò diva Lindenſis, locum illum in Pruſſiæ Ducatu, jam tum ab ipſo rei Chriſtianæ in Pruſſia ex-



(a) *apud Stobæum ſerm. 21.* (b) *Matth. 5. 44.*

ordio ſibi eo delegiſſe conſilio, ut & Catholicis, & à ſe, filiiſque ſui Eccleſia diſſidentibus, quodam jure ſe redderet obſtrictam. Illis enim, qui in Catholica filii ipſius Eccleſia degunt, maximo jure (quod quidem *communio Sanctorum* fundat) obligata eſt; & iis, apud quos ratione fundi Lindenſis, quaſi glebæ adſcriptitia agit, quodam quaſi municipali Provinciæ jure obſtringitur. Quocirca tametſi non exæquo, ex voto certè ſuo, iis quoque, qui ita à ſe disjuncti ſunt, parata ab ſe præſidia affatim offert. Quod ſi illi perinde ad capiendum, atque piiſſima liberaliſſimaque illa Mater ad promendum, eſſent parati; non minus fortaſſe quàm Catholici, etjam de diviniſſimis animorum bonis ab ea ſortirentur: certè quæ corpus concernunt, ita largè ſortiuntur; ut non deſint, qui illam putent in eos, qui in vicino Pruſſiæ Ducatu ſiti opem illius implorant, quàm in reliquos orthodoxos eſſe liberaliorem. Sive enim hominum illorum (quorum plerique minimè in ſe mali, herorum duntaxat ſuorum imperio atque prædicantum intemperiis à Catholica deſtinentur Eccleſia) innoxia ſimplicitas (ob quam, non *formales*, uti Theologi loquuntur, ſed *materiales* duntaxat plerique ſunt hæretici) ſive etjam ipſius Deiparæ in eos benignitas facit evenire profectò ſolet, ut cùm reliqui Orthodoxi pro eo, quo affluunt, plurimi numero, non ſemper exaudiantur, illi tamen, vix unquam à benigniſſima Matre non audiantur: ut vel hinc veram Dei non modò filiam, verùm & Matrem agnoſcas, quæ beneficentiæ ſuæ radios *oriri facit, ſuper bonos & malos; & pluit ſuper juſtos & injuſtos.*

II. Puel-

## II.

### Puella Angerburgenſis ab ingruente liberata cæcitate.

In ea Pruſſiæ Ducalis provincia, quàm vel à primo principe Widewuti filio, vel certè à principe oppido Barthen, Barthoniam dicunt, civitas eſt Angerburgum, ſex circiter leucas diſſitum Lindâ. Inde ad XIV. Cal. Decemb. Anno MDCXLIII. puella, annos propè viginti nata, Lindam venit; &, ut veniret, non modò lippitudo, ſed ipſa jam oculis, tanquam nox intempeſta, offuſa caligo ingruensque cæcitas adegit. Audiverat enim, quod & aliorum in eodem Pruſſiæ Ducatu omnium aures circumſonat, quanta Deiparæ Lindenſis ope atque præſidio, miſeris mortalibus dona cælitus in horas conferantur. Igitur plena ſpei & ipſa acceſſit: & quàm primùm Ædem ſacram, non ſine ductore, attigit, recepto ipsâ exſpectatione citiùs lumine, domum inde ſuam, non ſine gratiarum actione, & maximo animi gaudio, prorſum incolumis receſſit.

## III.

### Mulier Inſterburgenſis diu cæca, perſanata.

In eadem Ducatus provincia, ad ipſos Nadraviæ fines, Boream versùs, jacet non infrequens neque inelegans civitas Inſterburgum: è cujus municipio, ad X. Cal. Junias Anni MDCXLIV. mulier quædam, Catharina nomine, Lindam Marianam reviſit. Erat hæc priori, qua de egimus, haud diſſimilis, præterquam quòd major calamitas diſſimilitudinem aliquam invexit: hæc enim non ingruentem modò,

verùm & inolitam jam diu cæcitatem ſecum adduxerat. Sed & hoc velum, quantumvis ita arctè oculis obtenſum, benigniſſima Deiparæ manus reduxit. Simul enim atque mulier illa miſerrima intra ſacram Ædem ſeſe intulit, hæc inter omnes mulieres æternùm benedicta, medicam attulit manum; & diram illam ab oculis noctem prorſum deterſit: parata utique non illi duntaxat, verùm & cæteris omnibus, præſertim in vicina, atque ita, uti diximus, obnoxia ſibi provincia poſitis, & hæreſeon magis, quàm hibernarum caligine noctium offuſis, multò etjam liberalius atque officioſius, dummodo ipſi non obluctentur, tantas animorum tenebras detergere atque diſſipare.

## IV.

### Filia cæca per matrem Lindam deducta, per Dei Matrem curata.

Ex eodem loco, atque eodem propè tempore, quippe ad XII. Cal. Julias anni ejusdem, ad idem calamitoſorum aſylum, quod Lindæ magna Dei Mater erexit, triſtiſſima quædam mater filiam ſuam Catharinam deduxit. Non poterat diram triſtitiæ caliginem non offundere matris animo, offuſa filiæ oculis horrenda cæcitatis caligo. Quò magis & filia, & mater ante miſericordiæ Matrem ſupplices proſterni, ſolatium flagitare, opem & præſidium, tanquam apud præſentiſſimum aſylum obteſtando implorare. Neque piiſſima Dei Mater potuit non audire, eo præſertim loco ſupplicantes. Extemplo Catharinæ oculis lux affuſa, & videndi reſtitutus eſt ſenſus. Quocirca &

ca & mater, & filia in gratiarum actionem effuſæ, non ſanitatem duntaxat receptam, verùm & adjectam inſuper maximam animi lætitiam, domum unà retulerunt.

## V.

### Mulier Fridlandenſis, Lindæ à cæcitate ſanata.

Menſe Junio Anni MDCLIV. Chriſtina Fabri Fridlandenſis conjux, perinde veræ fidei atque oculorum lumine orba, Lindam curru deportata venit. Eò proceſſerat luminum orbitas, ut neque alia juxta ſe poſita, neque infantem adeò ſuum cernere ampliùs poſſet. Fortè in exiguo illo, qui Fridlandi eſt, Catholicorum numero, aliqui conſilium ægræ dant, ut Deiparæ Lindenſis præſentem opem præſidiumque imploret. Adfuiſſe illam plurimis, poſſe & ipſi, ſiquidem ſupplicem viderit, adeſſe. Mulier bene monentium haud aſpernata conſilium, etjam animum ad ſpem fiduciamque erigit, & voto Lindenſis peregrinationis facto, in viam ſe dat. Vix locum ſacrum attigerat, cùm ſubitò luce oculis redditâ, & locum intueri coràm, & divinæ in ſe benignitatis magnitudinem æſtimare animo, Deumque in ſua Matre, uti par erat, deprædicare potuit. Quæ quidem omnia admodum R. D Joannes Grunenberg Santoppenſis Curio (qui tum Lindæ præſens aderat) tum vectore mulieris cum ſua conjuge, tum aliis enarrantibus ita eſſe geſta audiit: & ipſe deinceps aſſeruit.

# CAPUT XI.

## Aurium morbi, ope Deiparæ Lindenſis, profligati.

PRoximum oculis locum in humano corpore Aures habent, habeant proinde & in curationum beneficiorumque, per B. V. Lindenſem obtentorum, narratione

I.

### Quidam colonus biennium ſurdaſter, nullâ niſi B. Virginis ope, curatus.

Incertum eſt, quo anno, quod jam refferetur, evenerit; certum nihilominus eſt, quemadmodum è cujuſdam refferetur commentariolo, eveniſſe. Joannes Tochs è Polkhaim, Seeburgenſis municipii villâ, audiendi ſenſum admodum gravem, biennio integro expertus; &, ut in ſurdaſtris uſu venit, ſibi juxta ac aliis gravis erat. Neque erat in humanis remedium, quod calamitatem in dies magis ac magis invaleſcentem ſuperaret. Audiverat jam antè, magnam Dei Matrem, ad calamitoſorum preces, nunquam apud ſuam Lindam obſurdeſcere ſolitam. Ad eam proinde & ipſe inclamat, atque votum peregrinationis Lindenſis apud ſe nuncupat. Audiit ſurdi vocem atque vota piiſſima Virgo; atque, ut ille quoque aliorum voces facilè audiret, ope ſuâ, quâ apud Deum omnia poteſt, ſubitò perfecit. Qui verò ſe vel expropria quoque voce jam probè percepta, cognovit exauditum, Lindam præproperè contendit: ut Deipara Virgo, quæ haud gravatè audierat ſupplicantem, etjam gratias, quemadmodum jus & fas eſſet, agentem, pia ac propitia audiret.

II. Alter

II.

Alter colonus, oculorum atque aurium ſenſu propè deſtitutus, eâdem ope adjutus.

Anno MDCXLIV. ad IV. Nonas Junias, Martinus Schultz è Komejen, Vormditenſis territorii pago, voti reus apud B V. Lindenſem apparuit, & , quod ſpoponderat, exolvit. Ad oculorum, non leviter cæcutientium incommoda ſat per ſe utique gravia, acceſſerat nihilo levius & aliud, auricularis videlicet morbus, audiendique hebetudo, ex parotide vel alia ex cauſa proveniens. Igitur utroque ſenſu, majorem partem cùm eſſet captus, ad DEI Matrem, quàm nôrat, & *ſolvere vincla reis*, & *proferre lumen cæcis*, ſeſe contulit; neque in caſſum. Brevi ſibi & viſum, & auditum ſenſit reſtitutum; ideoque Virgini, quæ reſtituit, gratias, quas debuit, apud Lindam Marianam, coràm perſolvit.

III.

Sacerdoti è Societate JESU reſtitutus auditus.

P Joannes Bruns Societatis JESU Presbyter, patriâ Lobavienſis, mathematicarum in pleriſque hujus provinciæ Lituaniæ Collegiis diſciplinarum, jam diu Profeſſor, ſive ipſius naturæ, ſive aliquo alio vitio vel causâ, gravem contraxerat auditum; &, malo indies ingraveſcente, quò ſe remedii causâ reciperet, non inveniebat. Recepit tandem ad B. V. Lindenſem, & beneficium, quod implorabat, à benigniſſima DEI Matre facilè recepit, quemadmodum ipſemet palàm confitetur. Sic enim Tabellæ argenteæ

ab ſe deauratæ, eo charactere, quo in ſculpendo eximiè pollet, epigramma incidit.

*D. O. M. Virginiq; ſive originali concepta, ob reſtitutum auditum D.D. devotus cliens,* P.I.B.S.I. *Anno* 1647.

## IV.

Nobilis è Maſovia vir, tum gravi aurium vitio, tum præſente mortis periculo, Deiparæ Lindenſis ope levatum ſe recognoſcit.

Anno MDCLIII. ad VI. Id. Jul. nobilis ac generoſus Dominus, Paulus Zmijewsky, terreſtris, ut vocant, in provincia Wiſnenſi ſubjudex, & ſereniſſimi Electoris Brandeburgici, Pruſſiæque Ducis, Quadruplator, gravi aurium vitio ad ſurditatem propè redactus, ad B. V. Lindenſis (quam cæteri ipſius populares Maſovii, *Virginem Prußicam*, appellare ſolent) opem, quàm ſuperiore anno, cumulatè jam fuerat expertus, iterum reſpexit; atque ut voti compos fieret, non modò ſacrum Lindæ locum ſe aditurum, verùm & ſacroſanctis pænitentiæ atque euchariſtiæ ſacramentis in eodem ſe fruiturum vovit, ſimul votum hoc ediderat, ſimul & voti compos, integrum aurium uſum recepit. Quòd quidem beneficium, Deiparæ Lindenſi ita in acceptis retulit, ut & manu propriâ illud conſignârit, & ſimul prioris alterius beneficii memoriam unà reficuerit. Sic enim in chirographo ſuo, quod commentariolis ſuis Lindenſibus voluit adjectum, linguâ maternâ ſcriptum reliquit. *Anno* 1653. *die* 10. *Iulii, peregrinationem anno ſuperiore ad hunc ſacrum Lindæ locum reverendorum Societatis* Jesu *Patrum*

*Patrum factam repetendo, collatam in me, graviſſimâ illâ calamitate affectum, ſanctiſſimæ Virginis gratiam, animo grato recolo, iterumque profiteor; me & tum ex voto ad B.V. facto illam gratiam, & nunc iterum aliam eiusdem SS. Virginis ope eſſe conſecutum. Quod quidem iterum, atque iterum profiteor, atque omne beneficium ſanctiſſimæ Virgini, & huic loco adſcribo. Paulus Zmijevvsky Subiudex Terræ VViſnenſis, & ſereniſſimi Principis Electoris inſtigator.* Jam verò quod, & quale fuerit beneficium, anno proximè præterito eidem à B.V. Lindenſi collatum, non aliunde melius, quàm ex altero ejusdem chirographo intelligi poteſt. Eſt autem è materna lingua in Latinam translatum iſtiusmodi. *Anno* MDCLII. *die* XVIII *Iulii, ego Paulus Zmijevvsky Terræ VViſnenſis Proiudex terreſtris, hoc ipſo anno vi morbi eò redactus, ut neque meâ, neque aliorum opinione (omnes enim de me actum eſſe conclamârant) ſuperſtes amplius eſſe potuerim; ſimul atque ad ſacrum hunc Lindæ locum, tum ab aliis, tum à ſacerdotibus ſacrum Miſſæ ſacrificium pro me facientibus, ſum oblatus, non aliâ ſanè quàm ſingulari ſanctiſſimæ* DEI *Matris ope, priſtinæ ſanitati reſtitutus ſum; quod ipſum & nunc eidem ſanctiſſimæ* DEI *Matri attribuo. Idem ipſe ego ſuprà nominatus cum teſtibus infrà nominatis recognoſco manu meâ. Laurentius Pikarsky VVonſocenſis plebanus. Matthias Milevvsky Vicecapitaneus Caſtrenſis VVonſocenſis manu propriâ. Florianus Sczuka Succamerarius terreſtris VVonſocenſis.*

# CAPUT XII.

Gutturis & dentium cruciatibus liberati.

AUribus & auditui præſtita à DEIPARA Lindenſi beneficia, jam excipient, quæ vel dentibus, vel faucibus ab eadem ſunt divinitus impenſa.

## I.

Nobilis illuſtriſſimæ M. D. Lituaniæ Mareſcallæ aulicus, faucium cruciatu, & alii aliis morbis apud Lindam Marianam levati.

Inter eos, qui (quemadmodum capite nono memoratum eſt) frequenter illuſtriſſimam heroinam magni Ducatus Lituaniæ Marſalcam Anno MDCXLIV. ad V. Non. Oct. Lindam comitati venerunt, fuit etjam Matthias Milewsky; qui prius quàm iter eſſet ingreſſus, ac poſtmodum in ipſo quoque itinere acerbiſſimos faucium dolores (ſive ea vis mali, ab angina, ſive ab alio glutti gurgulionisvé vitio fuerit) ſolidas duas hebdomadas perpeſſus eſt. Neque aliud, etjam ante ſuſceptum iter, vel in tam opulenta ac magnifica heroinæ illius aula, mali remedium, quàm à Deipara Lindenſi reperiri potuit. Ad eam proinde & votum, & iter tam longinquum ſuſcepit, neque profectò in caſſum. Quàm primùm enim ſacram Lindæ Marianæ ſedem attigit, priſtina illi rediit valetudo. Quod beneficium & is, qui percepit, & alii, qui ex eadem aula præſentes aderant, non modò Lindenſi divæ in acceptis retulerunt, verùm & manibus ſuis conſignare parati erant; quorum omni-

omnium nomine Albertus Lonzinsky & Stanislaus Zonkowsky, rem, uti narrata eſt, ſubſcriptis manibus nominibusque ſignârunt. Atque hujus fortaſſe aliorumque ipſius comitum imitati exemplum, tres ex ejusdem heroinæ aula ad v. Id. Septemb. Anno MDCXLIV. Lindam adierunt & vota, quæ fecerant, reddiderunt. Incertum eſt, quod ſinguli morbo fuerint preſſi, quia in commentariolis morbi genus expreſſum non invenio: at colligi vel ex iisdem poteſt, quemadmodum facto Lindenſis peregrinationis voto, levati ſunt morbo, ita non levi conflictatos fuiſſe morbi acerbitate. Cæterùm an ipſa quoque illuſtriſſima Mareſcalla aliquod in morbo præſidium divæ Lindenſis fuerit experta, haud ſatis conſtat; conſtat tamen ſæpius ab ea tam longinquæ peregrinationis iter, Lindam uſque fuiſſe ſuſceptum. Sed & mihi tum è gravis cujusdam Sacerdotis, qui in illa aula verſatus erat, tum è religioſiſſimæ virginis Urſulæ Rzeziciæ Monaſterii Grodnenſis (quod illa heroina cum illuſtriſſimo conjuge ſuo ſub Regula S. Salvatoris divæ Brigittæ data fundârat) Abbatiſſæ teſtimonio conſtat, in ea lite, & litem conſequentibus anguſtiis, quæ ſuper bonis Krzemienica, fundationi dicti Monaſterii attributis, ſanè quàm diuturnæ & graves intercedebant, ſingularem Deiparæ Lindenſis fuiſſe expertam opem atque ſubſidium.

II.

Wartemburgenſis inquilinus, cùm aliis tum dentium doloribus levatus.

Ad III. Nonas Jun. Anni MDCLIV. adierat Lindam

dam Simon Nitſch inquilinus Wartemburgenſis, qui & mihi, & multis coràm audientibus, quo pacto majorem veris proximi partem, varios inter morbos, eosque graviſſimos ac periculoſiſſimos, cùm traduxiſſet, ope tandem Virginis Lindenſis eſſet levatus, enarravit. Nam & capitis, & oſſium omnium, & præcipuè dentium cruciatus ii erant, ut ſpes vitæ planè ſupereſſet nulla. Rebus interim afflictiſſimis, venit in mentem Deiparæ Lindenſis; ad quam ille continuò votum concepit, & voto ritè concepto, revaleſcere ac vires reſumere extemplo cæpit; ita ut præſentem dictâ die apud Lindam Marianam, & ſacris pænitentiæ atque Euchariſtiæ ſacramentis ritè perfunctum, omnes etjam corpore probè valentem cernerent, ejusque causâ DEI ac Deiparæ benignitatem extollerent.

III.

Civi Heilsbergenſi ſex dentibus vi & vehementiâ doloris excuſſis, dolor omnis, voto ad B. V. Lindenſem facto excuſſus.

Acerbius plerumque quàm periculoſius ſolet eſſe in dentium cruciatu malum: ſed apud Martinum Treptau, magnam etjam periculi partem videtur habuiſſe conjunctam; quia acerbiſſimis capitis doloribus erat conjunctus. Tres integras hebdomadas ii cruciatus tenuerunt, ita ut ſex omnino dentibus vi & acerbitate cruciatuum confractis, radices eorum è gingivis excuſſi proſiluerint. Tentatis nequidquam aliis remediis, unicum ad B. V. Lindenſem votum pro omnibus remediis atque alexipharmacis fuit, ſimul enim atque pedeſtrem ad illius ſacellum peregrina-

tio-

tionem, & candelam è dimidia ceræ libra Virgini offerendam promiſit, dolor ille omnis remiſit; ut exactis inde tribus hebdomadis, non modò incolumis verùm & alacer, ad VIII. Cal. Sept. Anni MDCLIV. Lindam veniens, omnes, ad gratias DEO ac Deiparæ ſuo nomine agendas, incitârit.

## IV.

### Admodum R. D. Michaël Axamirowsky Archipresbyter Vormditenſis, non uno dentium cruciatu per divam Lindenſem levatus.

Inter anathemata & tabellas ex argento Deiparæ apud Lindam appenſas, ſunt, quæ genarum ſeu malarum ſpeciem referant. Incertum aliquamdiu fuit, à quo, & cujus rei causâ oblatæ atque dicatæ eſſent: patuit tandem donarium fuiſſe adm. R. D. Michaëlis Axamitowsky, qui Vormditenſibus egregiam & diuturnam in ſacris operam navârat, & jam Archipresbyter eorundem, tantò alacriùs navat, quantò ſæpiùs atque conſtantiùs à diva Lindenſe, quam identidem reviſere & perpetuò ſolet colere, adjuvatur; & jam olim in acerbiſſimo dentium cruciatu adjutus eſt.

## CAPUT XIII.

### Eadem quoque beneficia Acatholicis, per B. V. Lindenſem præſtita.

SI, quemadmodum paulò antè diſſeruimus, B. V. Lindenſis tanquam fundi in Ducatu Pruſſiæ ſiti Domina, quodam quaſi municipali jure ad ſuccurrendum municipibus ſuis obſtringitur; quò illi Mariana

rianæ ipſius Lindæ fuerint viciniores, eò fortaſſe alacriùs, iis patrona, uti ſolet, aderit.

## I.

### Puella ruſtica opem, quam capitis dentiumque cruciatibus in ſuorum fano nequidquam quærit, in Deiparæ Lindenſis Æde facilè invenit.

Aris oppidulum eſt, ſeptem circiter leucas abjunctum Lindâ, & illi vicinus pagus Gory dictus: in eo pago Eva Pauli Odonek filia, infeſtiſſimo capitis ac dentium cruciatu exagitabatur. Parentes cùm humana præſidia haberent nulla, ad divina ſcilicet confugere ſeſe rati, Ekersbergam, vulgo Polonis Okartowa, dictum viculum, medio fere inter Aris & Lindam itinere ſitum, filiam devovent. Caſtellum quondam Ekersberga fuerat, quod à Kinſtuto Lituanorum quondam Duce jam dudum everſum, ſolum duntaxat fanum, ab recente Lutheranorum ſecta profanum, retinuit: nam & pons, qui ſupra Spirding nobiliſſimum in Pruſſia locum (è quo Gedanum uſque navigandi facultas ſe offert) ſtratus quondam erat, ac locum multo reddebat celebriorem, dudum ſubrutus eſt, ut ſolis pontonibus via illac jam pervia ſit. Hic igitur locus, qui humanis quoque præſidiis omnibus ita orbatus jam erat, quid divinæ opis afferre cuiquam poſſet? Quocirca & Evæ ad ſe peregrinanti nullum potuit exhibere, vel de ligno vitæ, vel de aliis Paradiſi arboribus remedium; niſi fortè aliquid de *Arbore ſcientiæ boni & mali*, proferret anti-

doti;

doti; ad quod ſatis alioqui miſeri jam dentes penitus obſtupeſcerent. Quætendus igitur fuit Evæ melior apud Lindam Marianam Paradiſus; ad quem ſuorum quoque parentum conſilio ac voto ubi deſtinata fuit, continuo omnis dolor capitis remiſit, dentium cruciatu nonnihil adhuc perdurante; quoad illa peregrinationem, quam ipſi quoque parentes voverant, Lindam uſque pedes abſolvit: tunc enim etjam illa reſiduo dentium, quorum unus chirurgi manu revulſus erat, abſoluta eſt cruciatu.

## II.

### Mulier Angerburgenſis, ab immani dentium cruciatu bis ope B.V. Lindenſis liberata.

Anno MDCLIV. prid. Non. Sept. non unius, ſed quinque annorum peregrinationem, hæretica mulier ex Angerburgo oppido, compendio, quo potuit, compenſavit. Sex ſeptemvé circiter ante annos peracerbo dentium vexata cruciatu, neque uſpiam, niſi apud B.V. Lindenſem relevari ſe poſſe confiſa, quotannis ſe peregrinationem ad Lindam Marianam ſuſcepturam, & quinos ſeſtertios, quovis itidem anno, Deiparæ in ejus ſacello depenſuram vovit; ſubitoque ubi primùm votivâ illâ peregrinatione defuncta fuit, omni illo cruciatu relevata eſt. Verùm uti plerumque rebus in portu jam collocatis, evenire ſolet, ut nos præteritarum tempeſtatum oblivio capiat; ita muliercula quoque illa, ab eo morbo perſanata, perinde doloris præteriti ac promiſſæ pere-

peregrinationis annuæ oblita fuit: niſi fortè, non tam oblivio, quàm ſocordia, vel, ut in ſectariis facilè accidit, contemptus quoque mulierculam ceperit, & à reddendo annuo penſo retardârit. Verùm juſta Nemeſis ac vindicta divina, retardari ultra quintum annum haud potuit. Redit idem ille dolor ac cruciatus; & fortaſſe etjam gravius, quàm ante, miſeram exagitat. Redit quocirca & illa ad ſeſe, & ingratitudinem, væcordiamque ſuam deteſtata, extemplo ad divam Lindenſem recurrit; penſum annorum quinque ſeſtertiorum, per tot annos retentum ſimul dependit; atque ut ſoſpitatricem quondam ſuam, iterum propitiam ac fautricem experiatur, quantâ poteſt, contentione obſecrat. Impetravit iterum, quod petiit, non tam ſuo merito, quàm Deiparæ benignitate: proinde & gratias, quas potuit, beneficium deprædicando Deiparæ retulit, ſeque domum jam ſana, ingenti cum gaudio recepit.

## CAPUT XIV.

Cephalæâ, plicâ, aliisque capitis doloribus Deiparæ Lindenſis ope exempti.

AB Oculis & Auribus, quæque his viciniora ſunt, proximus eſt nobis ad caput gradus; cujus quidem dolores eò uſque intendi nonnunquam ſolent, ut hominem de ſtatu mentis quoque deturbent; adeoque vel delirium & amentiam, vel etjam furorem & maniam adducant. De quibus & nos acturi, initium ſumemus ab iis capitis cruciatibus, à quibus alii deinceps ortum ſuum ſumunt.

I. Reve-

## I.

### Reverendiſſimus Abbas Olivenſis, graviſſimo capitis dolore per B. V. Lindenſem liberatus.

Non eſt hic alio, quàm ipſo Perilluſtri ac Reverendiſſimo Abbate, etjamnum Dei gratiâ ſuperſtite, hiſtorico aut teſte opus. Neque enim tacere poteſt tantum Deiparæ in ſe beneficium, quanquam ſi verbis etjam non prædicaret, prædicat argenteâ, quam Deiparæ Lindenſi dicavit, tabellâ; in qua ſcalpro exarari, quæ jam damus, curavit.

*Perilluſtris ac Reverendiſſimus D. Alexander de Bautzendorff Kenſovsky Abbas Olivæ, graviſſimo capitis dolore laborans, hanc Tabellam Beatiſſimæ Virgini* MARIAE *offert. Anno* 1649.

## II.

### Idem Reverendiſſimus Dominus Abbas, in eodem vel alio ſimili morbo, ſimilem B. V. Lindenſis eſt opem expertus.

Quartus ab eo tempore volvebatur annus; eratq; is, ad vulgarem Chriſtianorum æram, ſupra milleſimum ſexcenteſimum LIII. cùm iterùm idem ille Perilluſtris ac Reverendiſſimus ſacri Ciſtercienſium Ordinis apud Olivam, digniſſimus Abbas, graviſſimo conflictatus morbo, iterum opem apud B. V. Lindenſem, præſidiumque quæſitum facilè invenit. Ergo iterum votivam Divæ Lindenſi tabellam appendit, & in tabellâ acceptum divinitus beneficium hâc, quæ ſequitur epigraphe profeſſus eſt.

*D. O. M. Perilluſtris ac reverendiſſimus Dominus A-*

*lexander à Bautzendorff Kenſovvsky Abbas Olivenſis, ſingulare patrocinium beatiſſimæ* MARIAE *Virginis in infirmitate ſua expertus, tabellam hanc gratitudinis ergo in honorem ejus offert, die* V. *Februarii Anno* 1653. Ita præclarè Ciſterciensi in Pruſſia Olivæ cum Mariana, in Pruſſia itidem ſitâ tiliâ convenit; quia & in ipſa Deipara Virgine, quemadmodum *Oliva ſpecioſa in campis* (*a*) ita, quod alibi (*b*) demonſtravimus, Virtutes Deiparæ exhibet abunde tilia.

III.

Aulicus illuſtriſſimæ magni Ducatus Lituaniæ Mareſcallæ, ab ingenti capitis dolore curatus.

Anno MDCXLII. pridie Non. Octob. cum Illuſtriſſima M. D. L. Mareſcalla, advenit quoque Lindam Dom. Iacobus Zavvadzky, qui diutino & gravi capitis dolore oppreſſus, voto ad B. V. Lindenſem facto, ſimul, atque iter Lindam verſus eſt ingreſſus, meliusculè habere cæpit: cùm verò ad ipſum Lindæ Marianæ Sacellum perveniſſet, planè convaluit. Quod quidem eum in modum eveniſſe, viri nobiles, qui in eodem comitatu advenerant, ſubſcriptis rei geſtæ manibus nominibusque ſuis teſtati ſunt, potiſſimùm verò Dom. Albertus Lonzinsky, & Dom. Thomas Karniewsky.

IV.

(a) *Eccli.* 24. (b) *lib.* 1. *cap.* 12.

## IV.

### Nobilis illuſtri genere in Maſovia natus voto Lindam facto, graviſſimis capitis dolo- loribus levatur.

Anno MDCLIII. ad VIII. Cal. April. cum amplò familiarium comitatu Lindæ adfuit Stanislaus Gumowsky, illuſtri genere in Maſovia oriundus, & in Targowba, fundo Varſavia haud longè disjuncto, heres ac Dominus; ut ſe voti reum Deiparæ Lindenſi ſiſteret, & pro beneficiis, quibus ab ea ſe benigniſſimè mactatum aſſerebat, grates redderet. Obrutus erat ingentibus capitis morbis, & cùm alibi, tum Varſaviæ (ubi & Regiorum, & aliorum peritiſſimorum copia medicorum ſemper adeſt) medicamentum aliquod tantis malis anxiè quæſierat, ſed in caſſum. Ergo, qui pleroſque, à Diva Lindenſi, ſanitatem cæteraqúe præſidia impetrâſſe haud ignorabat, ad eandem ſe opitulatricem recipit, & voto eidem nuncupato, citra moram convaleſcit. Quod, cùm ipſe manu ſua diſertè fateatur, præſtat illum ex Syngrapha ſua audire diſſerentem. Sic igitur ille vernaculâ linguâ:

*Ego infra-ſcriptus fateor, & recognoſco; quod, cùm graviſſimis capitis doloribus affectus eſſem, & jam nulla mihi ad reſtituendam ſanitatem ſpes amplius supereſſet, voto me, in tanta calamitate poſitus, ad ſacram Lindam obſtrinxi. Quo voto facto, auxilium brevi tempore ſenſi. Datum apud S. Lindam, die XXV. Martii anno MDCLIII.*

*Stanislaus Gumovvsky ex Targovvka juxta Varſaviam, manu propriâ.*



Digitized by Google

V.

Matrona quædam marito comitante, pro depulsis capitis doloribus, B. V. Lindensi gratias agit.

Ad VI. Id. Majas Anni MDCLIV. Vir quidam conjugem suam Deiparæ Lindensi, unà secum voti ream, præsentem stitit. Acutissimis illa capitis doloribus longo tempore conflictata, nullum usquam curando levandové malo remedium invenire potuit. Quæsiit denique apud B. V. Lindensem, & priùs quoque, quàm ad ipsam accederet, invenit. Posteaquam enim votum Lindam peregrinandi nuncupavit, quasi aut medicatam capiti fasciam adstrinxisset, aut aliud potentius amuletum admovisset: ita dolor omnis protinus remisit. Neque illa, de voti persolvendi diligentiâ, quidquam remisit; sed protinus, marito comite, se in viam dedit; & Deiparã Lindensem, quam absens ita sibi fuerat experta auxiliarem, summâ animi gratitudine præsens venerata est.

VI.

Duæ Virgines Heilsbergenses à cephalalgia curatæ.

Eodem anno, ad VIII. Idus Junias, Catharina Joannis Ageison, cujus aliàs meminimus (a) filia, & Joannis Stiwert honesti atque opulenti civis Heilsbergensis vidua, duas è filiabus suis Lindam deduxit, & Deiparæ voti reas coram exhibuit. Gravibus utraque capitis doloribus erat afflicta; neque verò aut illæ,

(a) *lib. 3, cap. 10. & 20.*

illæ, aut cum illis, afflictiſſima genitrix, præſentius quàm apud Dei genitricem, ſacramque illi tiliam, ſperare præſidium potuit. Quocirca, & ipſa votum nuncupat, & filias nuncupare unà jubet. Dictum factum; neque diutius præſidium curatioque dilata: protinus enim à concepto voto, & filiabus ſanitas & matri conſolatio rediit. Vnde ſimul omnes, peregrinatione domi promiſsâ Lindæ ſunt exolutæ.

## VII.

### Civis Traumburgenſis, capitis & ſpinæ dorſi cruciatibus levatus.

Eodem quoque anno, ac menſe, diebus aliquot intercedentibus videlicet ad III. Non. Junias Christophorus Sikotsky Traumburgenſis inquilinus, ſacroſanctis Pænitentiæ & Euchariſtiæ Sacramentis apud Lindam Marianam refectus, me coram, aliiſque præſentibus diſertè profeſſus eſt: ſe vere proximè præterlapſo, immanibus capitis ſpinæque dorſi excruciatum doloribus, nullum uſpiam levando malo, quàm apud B. V Lindenſem præſidium reperire potuiſſe. Ad eam proinde votum peregrinandi concepiſſe; & concepto voto, omni mox cruciatu fuiſſe levatum. Quod igitur promiſerat, memoratâ die præſtitit; iterque ſeptendecim propè leucarum ab ipſo uſque Traumburgo, non modò ſanus, verùm & alacer, pedes totum eſt emenſus.

## VIII.

### Matrona Meelſaccenſis, capitis & oculi doloribus liberata.

Eodem inſuper menſe, ipſis videlicet Idibus Iunii votum exolvit Margareta, Matthæi Bucholtz civis Meelſaccenſis uxor. Anni proximè elapſi autumno eos capitis cruciatus eſt perpeſſa, ut in faciem, ac dextrum præſertim oculum redundarent. Sive autem mali fons ulcus aliquod interius, ſive alia cauſa fuerit, oculus certè non dolore modò, ſed pelliculâ inſuper ſuffuſus omnem videndi uſum perdiderat. Etſi verò nuncupato Lindam voto, & capitis, & oculi, omnis extemplò receſſerit dolor, pellicula tamen illa pupillæ obtenſa non receſſit, qua cum Lindam quoque venit. Verùm, ut & hæc recederet aut potius ſalutari Deiparæ manu, abstergeretur, de præterfluente Lindam aquâ, qua ad aliorum exempla mortalium, oculum illum perlueret, hydriolam ſecum aſportavit domum.

## IX.

### Duo è Maſovia homines, à cephalæa curati.

Non multis diebus interjectis, videlicet pridie Cal. Aug. ejusdem anni, par hominum è Maſovia Lindæ adfuit: utrique votum atque peregrinationem ſive vertigo ſive alii vehementes ac permoleſti expreſſerunt morbi. Votum autem atque peregrinatio tantis urgentibus malis expreſſa, videntur à Deipara Lindenſi quodammodo ſanitatem expreſſiſſe.

Quâ

Quâ per Deiparam obtentâ, nihil utiq; fuit utrique antiquius, quàm ut primo quoque tempore voto ſe expedirent; quemadmodum die, quâ diximus, non ſine ingentibus Deiparæ actis gratiis, & ſingulari animi exultatione, expediverunt.

## X.

Nobilis è Maſovia vir, plicâ, & periculoſiſſimis, quæ plicam comitantur, prope ad mortem excruciatus tormentis, voto ad B. V. Lindenſem facto ſanatus.

Ad morbos capitis, placuit adjungere *Plicam*, uti plerique medicorum appellant, *Polonicam*, de qua alio loco nonnihil jam à nobis dictum (*a*) Tametſi enim id genus morbi, uti planè nocuum, & apud alias nationes prope ignotum, inuſitatum certè eſt, ita non modò caput, verùm & venas, & nervos, & muſculos, & carnem, & oſſa, & totum denique hominis corpus pervadat, atque inauditis lancinet cruciatibus: quia tamen (poſteaquam quaſi poſſeſſam totius humani corporis arcem perrumpere, & ſe in ipſa ſpectantium oculis exhibere ſolet) in ipſo capitis vertice, per capillum ſcilicet in nodos prorſum inexplicabiles contortum conglomeratumqúe apparere primùm ſolet; etjam hic locum, à capite haud paullò ſejunctum, ſibi vendicat. Nondum ab humanâ ope, tam vario, & tam novitio malo repertum eſt cer-



(a) *lib. 3. cap. 28.*

Digitized by Google

tum aliquod medicamentum: nihilominus; quia singulari Dei providentiâ atque benignitate, apud sacram Deiparæ Lindam quædam quasi Panacæa atque Panchrestum, est constitutum, non potest etiam hujus tanti mali non absolutorium esse. Experti id sunt non pauci, quorum suspensa in Æde Lindensi capillamenta, ne horrorem intuentium oculis incuterent, facculis inclusa pendent. Expertus insuper hoc tempore est, nobilis ac Generosus ex Masovia vir Joannes Gorzlowsky; qui III. Non Junias Lindam adiit, &, quæ jam percenseo, coram sanctè enarravit, adeoque manu signavit sua. Grassabatur autumno proximè elapso sæva pestilentiæ lues cùm alibi, tum in eâ quoque Masoviæ orâ, in qua ille, haud procul Ostrolenka, tum degebat. Interea corripitur ille quoque morbo, eoque admodum vehemente, ita ut & corpus per hebdomadas quinque obstructum planè esset, & molem corporis sustinere pedes amplius non possent. Omnium sensus erat, hominem, eiusque familiam totam, lonticâ pestilentiæ aura fuisse afflictos: unde vix ullus hominem eiusque familiam affari, nedum accedere, toto illo morbi tempore audebat. Equidem constitit omnibus deinceps, non pestem sed familiarem illum Poloniæ morbum esse, cùm se in plicam per inextricabile capillamentum sensim evolveret: neque tamen quidquam præsto esse potuit aut medicamenti aut levaminis. Rebus igitur iam desperatis rogat uxor, ut unicum, quod superesse posset, complecti præsidium, & se ad Deiparam Lindensem vellet devoveri. Annuit æger, & voto per coniugem facto, revalescere extemplò

templo cæpit; paulloqúe poſt, non modò extra morbum, ſed etjam extra omne peſtilentis auræ periculum jam conſtitutus, cum Suſanna, paris nobilitatis ac pietatis conſorte, liberiſqúe ſuis venit, ac votum Deiparæ exolvit; quæq; hic memorata ſunt, poſteaquam ſacra Pænitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta uſurpavit, ſuâ manu hunc modum confirmavit.

*Ego Ioannes Goctorosky, pro perſonâ meâ, &, idem recognoſco, ex voto charæ conjugis meæ mp.*

## CAPVT XV.

Etjam à fide, Eccleſiaque Catholicâ alienis, eadem per B. V. Lindenſem, præſtita beneficia.

CÆleſtis ac prorſum divinæ indolis eſt, non perſonas, ſed calamitates, quibus opitulêre in genere humano reſpicere. Semper hæc in Deipara Virgine eluxit; quæ ſicut neminis cenſum aut decus, aut domum eligit, ita quoque nullius faſtidit aut vilitatem aut ſordes, parata in omnes (dummodo & ipſi, ad capiendum ſint parati) maternæ pietatis ſinum viſceraqúe effundere. Quod apud Lindam Marianam tum vel maximè patet, cùm à ſe filiiqúe ſui Eccleſiâ disjunctis, dummodo ſupplices eſſe velint, ſemper vult præſto eſſe.

### I.

Nobilis ex Ducatu Pruſſiæ matrona, à capitis doloribus per B. V. ſanata. Miniſtri hæretici publicam incurrit objurgationem.

Vt pleræque in Ducatu Pruſſiæ, ita & hæc nobilis

lis matrona Lutheri ſectæ addicta fuit. Talis nihilominus cùm eſſet, neq; atrociſſimis cephalææ doloribus remedium uſpiam inveniret, coacta eſt Deiparam Virginem, intra ſacrum ipſi apud Lindam ſacellum accedere & ſupplex eſſe. Quo loco cùm aliquantum oraſſet, dolor omnis ope Deiparæ abactus eſt. Neque mulier domum redux celare beneficium familiares ſuos potuit, uti ſanè nec debuit. Verùm cùm illa pluribus id memoraret, etjam ad prædicantis aures fama pervolavit. Hîc ille, campum ſcilicet Martium induſtriæ ſuæ nactus, cùm privatim, tũ in fano publico, pro profeſſoriarum more modoq; concionum, in matronam, quantumvis genere & domo illuſtrem, continere bilem non potuit, quin etjam publicè eam evomeret, & grandibus illis, in pelvi natis, fulminibus detonaret. Quæ quemadmodum retulimus teſtes omni exceptione major, Illuſtris ac Magnificus Dom. Otto à Grœben (de quo pluribus libro 3. memoravimus) Anno MDCXXXIX. ad III. Cal. Iul. memoravit; eo dignior fide, quo fuit matronæ illi genere propinquior.

## II.

### Mulier villana, primùm capitis, deinde etjam manuum ac pedum cruciatibus liberata.

Sorquiten pagus in Ducatu Pruſſiæ eſt, duobus amplius leucis auſtrum verſus Lindâ disjunctus. Quoad fides Catholica totâ viguit Pruſſia, pagus ille ad Bisburgenſem Archipresbiteratum ſpectabat; ubi verò infuſa Pruſſiæ hæreſis illum quoque locum occupavit,

cupavit; Sorquitenſis cum omnibus vicinis Paræciis, ab illo Archipresbyteratu revulſa, Curioni Bisburgenſi ſolum Parochi nomen reliquit. In eo igitur pago Dorothea Georgii Preus graviſſimis capitis doloribus quinque ante annos exagitata, neque ullo hominum ſubſidio uſquam adjuta, à Deipara Lindenſi adjuta eſt. Nam ubi ſe voto futuræ Lindam peregrinationis obſtrinxit, omni morbo confeſtim ſoluta eſt: proinde & ipſa non deſtitit voto, quo tenebatur, ſe quantocyus exolvere. Porrò cùm procedente tempore, idem, aut gravior etjam dolor tum manus tum pedes occupâſſet, non aliò ſibi Dorothea quàm ad eandem apud Lindam fautricem recurrendum cenſuit. Itaque cum plura morbo tenerentur membra, plura etjam vovit anathemata; præ cæteris vero cerea manuum ac pedum ſimulachra, & ceream inſuper candelam, quacum ter Aram ſacelli geniculatim obiret. Hisce votis cum ſe adſtrinxiſſet, confeſtim omni manuum pedumque dolore ac morbo iterum exoluta, peregrinationem Anno Domini MDCLIV. ritè obivit.

## CAPUT XVI.

*Amentes ope Deiparæ Lindenſis curati.*

NE quid eorum, quæ ad humani corporis arcē ſpectant, videamur prætériiſſe, ab aliis humani capitis morbis ad curationē Amentiæ gradum faciamus. Tametſi enim alii quoq; morbi hominem de ſtatione mentis

mentis possent dimovere; id tamen potissimùm ii, qui in capite sedem habent, facere solent; cùm caput & cerebrum intellectus, judicii, mentisque homini quædam quasi officina sit: quâ quidam malè affectâ, necesse est & animæ functiones exerrare. Quod dum evenit, haud facilè remedium alibi reperitur: reperitur tamen apud Deiparam Lindensem.

## I.

### Faber lignarius aliquot hebdomadas mente motus, voto ad B. V. Lindensem facto, sibi restituitur.

Martinus Vlrich, cujus jam ante mentionem fecimus, Heilsbergæ apud fabrum lignarium strenuè aliquamdiu egerat; uti fortasse & nunc, per Deiparam sibi restitutus non minore industriâ agit. Quæ emotæ mentis homini causa fuerit, non satis constat; constat nihilominus eousque progressum fuisse morbum, ut hominem animi impotem per aliquot hebdomadas reddiderit. Cæterum & in ipsa mentis exerratione, diu firmata erga B. V. pietas non exerravit. Pro pietate igitur suâ, mentem subiit asyli auxiliisque Lindensis, simulque voti ad B. V. concipiendi. Concipitur votum, & mox tum mens, tum etjam sanitas corporis homini rediit. Quam ille, cùm Deiparæ Lindensi secundum Deum in acceptis referret, ut etjam gratias, quoad posset, referret, Lindam venit, & voto rite perfunctus est.

II.

II.

Homo villanus ab amentia, è morborum dolorumque vi orta liberatus.

Anno MDCLIII. Chriſtophorus Barkel ex Olbersdorff Vormditenſi villa, à Iunio menſe ad Novembrem uſque cingulo tenus graviſſimos toto corpore paſſus eſt cruciatus, ut neque ſe movere neque ab aliis moveri, quin & attingi, ſinere ſe poſſet. Magnitudine quocirca ac varietate cruciatuum ad ad amentiam uſque redactus, ac ſui prorſum impos, illud duntaxat potuit, ut pro vetere in Deiparā religione, illi ſe totum addiceret, & votum peregrinationis Lindenſis faceret. Neque Deipara clientem ſuum deſeruit, cui ſubitò & mentis & inſuper virium uſum ita reſtituit, ut ad VIII. Cal. Iul. pedes iter duodecim circiter leucarum ingredi, & ſanus atque vegetus Lindam uſque progredi potuerit.

III.

Matrona Vormditenſis delirio, filiolus ejus alio morbo, & pecora lue ſimul liberantur.

Sub idem tempus, atque ex eodem propè loco, Anna civis Vormditenſis, Andreæ Beit conjux, Deiparæ Lindenſi votum coram ſupplex reddidit. Multæ ſimul calamitates muliebre pectus, quin & mentem expugnarant. Nam & pecora, quotquot ferme erant, ſubita lues morbique invâſere; & filiolus, qui omni pecore opibusque multò erat gratior, dolorum acerbitate pedes ita contractus erat, ut gradum

dum facere nequaquam poſſet; denique & ipſa mul
er, vi morborum undique obſitâ, ad amentiam red
cta jam erat. Quod unicum in tanta malorum ilia
ſupererat, ſaluti omnibus fuit, pietas videlicet
Deiparam Virginem. Ad eam, tanquam ad ſ
cram anchoram, recurrit calamitoſiſſima mulie
&, ſi menti ſalutiquê priſtinæ redderetur, cùm a
alia loca quædam, tum verò potiſſimum ad Linda
Marianam peregrinationem vovet. Vix illa votu
ediderat, cùm & ratio, quæ de ſede ſua erat dejecta,
ſanitas tum mulieri, tum filiolo, tum deniq; et ja
pecoribus eſt reddita. Neque illa cunctandum dei
ceps rata, menſe Iulio Anni MDCLIII. Lindæ votur
quâ par erat, gratitudine reddidit.

## IV.

### Colonus Sturmhublenſis, à phreneſi curatus.

Ad IV. Id. Iun. Anni MDCLIV. voti religion
qua ligatus erat, ſeſe abſolvit Gregorius Schwarc
ex Sturmhubel Reſſelienſis ditionis colonu
Pertinaci morbo de poteſtate mentis dimot
erat; & cum ipſe præſto ſibi auxilioquê,
ea mentis exerratione ac phreneſi, eſſe non poſſ
adfuit conjux; quæ beneficiorum Deiparæ Li
denſis ſatis gnara, ad illos beneficentiæ divi
fontes, quibus illi ſenſuum cerebriquê æſt
reſtinguerentur, virum cenſuit admovendu
Fecit ita, & voto pro viri incolumitate Linda
nuncupato conjugem biduo vixdum exacto Deip
ræ ope ſibi mentiquê redditum ita recepit, ut con
ni

nuò ad exolvendum Lindæ votum, votis precibusque ſuis comitaretur.

### V.

### Etjam hæretica mulier, vicinorum injuriis ad Phreneſin, aut potius furorem adacta, Deiparæ Lindenſis auxilio ſanata.

Et hæc quidem Catholicis ſuis, benigniſſima Dei Mater ita præſtitit, ut tamen etjam à ſua filiique ſui Eccleſia disjunctos non poſſet non miſerari, & recurrentium ad ſe non mitereri. ANNO MDCLII. in quodam pago Wola dicto, Dominorum ab Heideck ditioni in vicino Ducatu ſubjecto, mulier degebat, Adami Kolenczik uxor Catharina. Vicinis, qui eandem villam incolebant, mulierem, incertum quâ causâ, acriùs inſectantibus, & quà verborum contumeliis, quà aliarum acerbitate varietateque injuriarum vehementius identidem inceſſentibus, injuriæ vulnerum inſtar, etjam, quàm pro muliebri impotentiâ par erat, altiùs ad animum deſcenderunt: & cum illa neque per vindictam effundere bilem atque iram, neque per ſexus imbecillitatem animivé impotentiam concoquere injuriam poſſet: ſi non in rabiem, certè in amentiam præceps abiit. Adhibita tum ſunt fortaſſe ab ipſis quoq; inimicis ſortem miſeræ ſerò miſerantibus, omnia, quæ præſto eſſe poterant, præſidia; uerùm præſidia humana omnia ſuperabat malum; altiores quippe radices egerat, quàm ut humanæ eo vires conſiliaque ſeſe penetrarent. Quocirca, ut reliquis in Ducatu etjam Pruſſiæ poſitis, unicum apud

Deipa

Deiparam Lindenſem præſidium ſupererat flagitandum; quod ubi flagitatum eſt, Alexipharmaci inſtar erat Poſteaquam enim peregrinationis ad Lindam Marianam votum nuncupavit; protinus & menti, & ſenſibus, & ſanitati reſtituta eſt. venitque paullò poſt, videlicet ad VII Cal Iul Lindam, & non ſine lachrimis, quæ ſibi ab hominibus quæque à Deo; per B. V eveniſſent, ingenuè faſſa Deo & Deiparæ laudem dedit.

## CAPUT XVII.

Energumeni, vel à Dæmoniis vexati, ope Deiparæ Lindenſis curati.

MIſerabilis admodum eſt conditio eorum, qui vel ſuâ, vel hominum aliorum culpâ, de mentis poteſtate abeunt; ſed multò etjam miſerabilior eorum, qui Dæmonum nequitiâ in eandem proturbantur calamitatem. Neque minùs miſerandi, qui, Deo juſtiſſimè ſanctiſſimeque permittente, ob ſua, vel ſuorum delicta, ita juri Dæmonum poteſtatique traduntur, ut quanquam in animum jus illi imperiumque exercere nullum queant, in corpora tamen facultatesque hominum ſævè graſſentur. Quas tamen contra Dæmonum molitiones, præſentiſſimũ eſt Deiparæ, cùm alibi tum apud Lindam Marianam præſidium; ut & antidoti inſtar ſit, ſicubi illi aditum tentent; & cathartici, ſicubi jam aditum occupavit.

I.

# I.

## Matrona Vormditenſis, à dæmone, uſque ad ipſius vitæ periculum exagitata, apud Lindam Marianam Deiparæ ope, à Dæmonis poteſtate liberata.

Anno MDCXXXIX. ad XII. Cal. Junias Matrona quædam, piſtoris Vormditenſis conjux, peregrinationem, de conſilio Virginum, quæ in conventu Vormditenſi piè ac religiosè degunt, ad B.V. Lindenſem ſuſceptam,& voto ſtabilitam,abſolvit. Cauſa tum peregrinationis ſuſcipiendæ, tum voti nuncupandi fuerat, ab hoſte Tartario jam poſitæ mulieri inſidiæ. Multo enim tempore illam variè exagitârat, & terroribus,nocturnis pariter atque diurnis ita obruerat, ut neque quietem nocturnam capere, neque diurnum ordiri laborem miſeræ jam liceret, ne dicam liberet.Dies igitur æquè atque noctes miſerrimè excruciata, quid, niſi ſuum ipſa apud ſe agitaret interitum? Et jam non omnino ſecurum erat, vel cultrum illius permittere manibus; ne fortè, quod omnes meritò verebantur, pectus ante ſuum, quàm quidpiam, etjam eſculentorum, ferro hauriret. Ergo miſeræ quæritur tum alibi, tum apud illas in Conventu virgines remedium,vel,ſi id deeſſet,conſilium. Illæ nuſquam magis, quàm ad Deiparam Lindenſem recurrendum ſuadent. Perſuaſerunt; votum illa peregrinationis Lindenſis nuncupat, pauloque poſt ipſum proſequitur iter. Ubi Lindam mulier etjamnum ægra, eſt deducta, & purgato per ſacram exomolo-

mologeſin animo, ſacroſanctæ dapibus Euchariſti
refecta; ab omnibus è veſtigio, tum animi tum co
poris ita perſanata eſt anguſtiis, ut proximam, quem
admodum & ſecutas deinceps noctes, quietè plac
deque traducere, & omnia divini laboris officia, pr
cæterarum matrumfamilias more, explere potueri

## II.

Figulus vicinorum odiis ad inſaniam, inde ad man
feſtas tartarei hoſtis inſidias adactus, implora-
tâ Deiparæ Lindenſis ope, adjutus.

Eodem tempore, videlicet ad xv. Cal. Octo
Matthæus Scharff, opificio figulus, Lindæ apparui
& pænitentiæ atque euchariſtiæ munitus præſidi
votum, quod Deiparæ fecerat, dependit. Vicinoru
civium ſimultates, quas cum homine contraxeran
atque odia, primùm quidem homini curas & dol
rem, inde anguſtias & amaritudines, perpetuasq
animi tempeſtates concitavêre; ut de ſe, deque vi
ſua, haud multum ſana agitaret conſilia; parumq
abeſſet, quin violentas ipſe ſibi inferret manus. Hi
occaſionem non omnino calvam, quanquam à te
go, malus ab Erebo machinator arripuit. Homine
enim ſilvas aliquando ingreſſum, quamvis inaſp
ctabilis, adoritur, & nihil minùs quàm ipſius met
entem inſidias, per capillitium reprehendens ad
trahit. Obvertit homo anxius vultum, & neminem
tergo conſpicatus, agnovit mali comitis peſſimiq
conſultoris peſſimum oppidò conſilium. Itaque i
tra ſe verſus, cùm divæ Lindenſis memoria ſubiiſſ
ad ean

ad eandem ſe vertit; &, ſi in iis animi corporiſque anguſtiis conſtitutum adjuviſſet, peregrinationem ad ſacrum Lindæ ſacellum ſpondet. Adjutus eſt ſubitò, & tum ab hoſtis tartarei machinis, tum ab animi ſæviſſimis liber tempeſtatibus, incolumis juxta ac tranquillus, iter paulò pòſt ingreſſus, votum illâ eâdem, quâ memoravimus, die, auguſtæ Matri apud Lindam ſolvit.

## III.

### Homo inſidiis mali genii exagitatus, & ad laqueum propè adactus, priùs quàm Lindæ voto defungeretur, Deiparæ præſidium ſenſit.

Hoc ipſo undequadrageſimo ſeculi anno, ipſis Nonis Junii, vir quidam è Meelſaccenſi ditione Reſſelium acceſſit, inde Lindam (ut votum, quod Deiparæ nuncupârat, exolveret) perrecturus. Voti nuncupandi cauſa, à mali genii infeſtatione, fuit. Neq; enim ille clàm duntaxat, verùm & clarâ luce hominem aggrediebatur, ut citra cuſtodiam, & aliorum præſentiam, præſidiumq; hominum, relinqui ſolus vix poſſet. Fuit, cùm ſe aliquando hominis ſpecie dabat ſpectandum, & (pro ſua ſcilicet in mortales liberalitate) funem atque laqueum, ut de ſe homo illiteratus longam faceret literam, & illo ipſo laqueo gulam eliderct, miſero offerebat. Tantis ac tam manifeſtis Dæmonis inſidiis, cùm homo ille eſſet obnoxius, amicorum ſuaſu, ad DEI Matris, quæ tartarei illius ſerpentis caput contrivit, præſidium ſe recepit, factoque voto, ſe Lindæ compariturum, & Virgini

Auguſtæ ſupplicem, pro futura incolumitate futurum promiſit. At piiſſima virgo, prius quàm ille Lindæ ſupplex adeſſet, vota hominis antevertit; & ſanitatem, atque ab infero hoſte præſidium, eo ipſo loco ac tempore, ſupplici clientulo impendit. Sanus igitur & ab hoſte undique ſecurus, Reſſelii pænitentiæ ſacris expiatus, poſtridie Lindam adiit: ibique reddito auguſtæ Matri voto, in diviniſſimæ Euchariſtiæ epulis, *panem Angelorum*, quo ille Angelus abyſſi æternùm carebit, *manducavit homo*.

## IV.

### Vir, à malis geniis ad furorem adactus, per votum ad B. V. Lindenſem factum, ſibi, & ſanitati reſtituitur.

Haud multis interjectis inde diebus, videlicet ad VII. Cal. Jul. adfuit, ex Meelſaccenſis itidem municipii villa, *Stengegen* dicta, homo ſtatura vaſtus, & viribus, ut patebat, roboreque præſtans; ſed vultu ſubtriſtis, & qui ingentem animo curarum triſtitiæque offuſam nubem tegere, imò præ animi intemperiis parum ſibi videretur conſtare. Nimirum, priùs quàm Lindam acceſſiſſet, & apud illam, quæ *ſole amicta*, atque *ut Sol electa*, cælo terraque lucet, caliginem animi, quæ ſupererat, diſpuliſſet, recurſabant identidem, quas ab illo tenebrarum Principe, obductas habuerat animo tenebras. Ita enim hominem miſerum ſusque deque agebat, ut ad ſuſpendium ſæpe ſtimularet. Neque unum ſe, uni homini ita eſſe infeſtum habebat ſatis, aſſumpto quandoque de ſtygia cohorte

ſono,

ſono,& quaſi ſuccedaneâ,in eo cum hominibus bello,victimâ,gemini ſe in conſpectum miſero dabant, Æthiopibus tetriores,& quà minis, quà aſpectu ipſo horrendi. Multos dies homo infelix, ſine cuſtodia & hominum præſidio neque debuit,neque potuit relinqui ſolus. Tandem ſive ſuo, ſive aliorum potius conſilio, ad DEI Matris præſidium ſe confert: & inviſendæ Lindæ Marianæ voto obligat. Jam ille tum ſanatus quidem eſt,ita tamen,ut non modica triſtitiæ nubes animo relinqueretur offuſa;quoad & hæc demum apud Lindam penitus eſt diſſipata ; & homo novâ,quà animi,quà corporis luce perfuſus, gaudioque plurimum delibutus,novam animi corporisque tranquillitatem domum reduxit.

## V.

### Hæretico quoque homini ædes ſpectris & lemuribus infeſtæ, hominesque periculis Dæmonum obnoxii,per B.V.Lindenſem liberati.

Quæ memoravimus, ſuis à DEI Matre Catholicis præſtita ſunt; quod jam ſequitur,ad alienos quoque derivatum eſt.Erat in vicino Ducatu agricola,cujus ædes malus genius ſibi reddiderat obnoxias , & ſpectris identidem adeò infeſtabat,ut & voces nonnunquam horribiles audirentur, & ſtrepitus fragoresque totam concuterent domum ; ſupellexque adeò domeſtica , aliaque quæ uſpiam eſſent obvia, per ædes ſurſum vorſum disjicerentur. Neque jam, ſine manifeſto vitæ diſcrimine , verſari iis in ædibus videbantur poſſe incolæ. Quid ageret ? aut quò ſe

verteret præſidii causâ miſer paterfamilias? Apud ſuos, quos vocant, Paſtores, nihil ſciebat virium eſſe, adversùs lupi illius tartarei vim & rabiem; ad Catholicos homo alienus non facilè reperiebat aditum. Audierat Lindenſem Deiparam, nulli ad ſe præcluſiſſe unquam aditum, apud quam patens ſemper ac tutum eſſet aſylum: eò proinde ſe recipit; &, ſi ab illo tam importuno, tamque maligno hoſpite liber atque immunis evaſiſſet, ſpondet unà cum conjuge, Lindæ ſe ſupplicem, cereis cum candelis, primo quoque tempore adfuturum. Audiit hominis vota precesque Deipara, & Tartareum inquilinum, juſſit ab ejus ædibus momento exceſſe. At colonus ille, videns ſe tam feliciter voti reum factum, non diſtulit datam magnæ Matri fidem redimere: quod Anno MDCXXXIII. peractâ Lindam peregrinatione, piè & alacriter præſtitit.

## CAPUT XVIII.

*Faſcino vel maleficiis perſtricti, Deiparæ Lindenſis ope reſtituti.*

MUlta per ſe Dæmones poſſunt, ſed multò plura atque etjam diriora, cùm perditis hominibus operam ſuam, quaſi locando, navant; & per maleficia, maleficorumque artes, in humanum genus graſſantur. Quando ſibi relinquuntur ſoli, tametſi plurima poſſint, DEO tamen minùs permittente, ipſo opere, quæ poſſent & vellent, præſtare atque exequi non poſſunt. Verùm cùm ſocias quaſi manus, hominis nefarii, adjunctas habent; hoc eſt, cùm alicujus voluntatem hominis (cui DEUS in hoc vitæ ſtatu atque conditione, quaſi mancipio ſuam poteſtatem tradidit) ſibi

ſibi obnoxiam, & ad nutum facilem obſequentemque habent, tum enimvero eò crudelius in humanum genus ſæviunt, quò verius eſt illud Syneſii: *Calamitates hominum, convivia eſſe malorum Dæmonum.* Ne porrò in tantis, & tam multis Orci periculis, humanum genus ſuis deſtitueretur præſidiis, providit bonitas divina contra malorum Dæmonum venena, Angelorum bonorum aliorumque cælitum, & inprimis B. Virginis auguſtiſſimæ Dei Matris præſidia; quæ etiam apud Lindam Deiparæ ſacram, omnibus præſtò ſunt & fuerunt.

I.

Matrona Gutſtadienſis, maleficæ faſcino affecta, & quaſi in ſpiram contracta, per B. V. Lindenſem reſtituitur.

Anno MDCXXXIV. ipſo Deiparæ Eliſabetham viſitantis feſto, inter alios propè innumeros, Lindenſem Deiparæ Ædem, viſitavit matrona honeſta, civis Gutſtadienſis conjux; & gratias pro ſanitate, in hoc ipſo ad ſacram Ædem itinere, ſibi reſtitutâ, ſupplex egit. Interceſſerat illi, cum muliere quadam, malarum artium, ut fama ferebat, maleficiorumq; haud ignarâ, lis ſive potius rixa muliebris; & ex lite, ut fit, accenſa ſunt odia ac vindictæ ſtudia. Rixam haud ſanè diuturnam, diuturnus ſatis morbus confeſtim excepit; ſive halitu ipſo veneficæ, ut fieri ſolet, afflatus; ſive faſcino aliové maleficio maturatus. Quâcunque tandem viâ, aut modo, vis mali ad miſeram perrupit, miſerrimè profectò illam habuit; ut brachiis cæteriſque artubus contraheretur, & ſenſim quaſi in ſpi-

in ſpiram volveretur; neque ſecus ac illa mulier evangelica (a) *inclinaretur* ad terram, ne ſurſum aſpiceret. Poterat quocirca de hac dici, quod de illa Chriſtus Dominus dixit, *hanc filiam Abrahæ Satanas alligavit.* Sicut autem Chriſtus Dominus illam per ſe, ita hanc curavit per Matrem ſuam. Illi ſimul *manus impoſuit, erecta eſt, & glorificabat* DEUM; huic pariter auxiliatrem ſuæ Matris admovit manum; ut non corpore duntaxat, verùm & mente ac ſpiritu erecta, glorificaret DEUM. Cùm enim nihil aliud reperiretur contra ſtygii hoſtis venena uſpiam remedii, ad Dei Matrem converſa mulier, vovit, ſe & ſacram ejus Ædem Lindæ adituram, & expiato per Confeſſionem animo, ſacroſanctum Chriſti corpus in Euchariſtia ſumpturam. Vix abſolverat votum, cùm habere meliusculè cæpit; &, quamvis viribus necdum ſatis confirmatis, iter nihilo minùs eſt ingreſſa. Quo in itinere, priùs quàm Lindam perveniſſet, vires, ſanitatemque integram recepit.

## II.

### Matrona ac materfamilias Brunsbergenſis, tum in re familiari ſua, tum in ſe quoque ipſa, maleficiis perſtricta, voto Lindam facto, adjuta.

Ad III. Idus Jul. Anni MDCXXXVIII. Dorothea, Pauli Haſelpuſch civis Brunsbergenſis uxor, tanto majore pietate ac ſtudio votum ſoſpitatrici Lindenſi dependit, quantò plura fuerant, quibus per illam fue-

(a) *Luc.* 13. 11.

fuerat liberata, maleficia. Quatuor ante annos ſtygius ille ſerpens, ſtrigis alicujus ope, totam propè domum veneno, quaſi halitu quodam, afflârat. Nam & equi cæteraque pecora, vi illius veneni quotannis extinguebantur; & hordeum, quod coquendæ cereviſiæ parabatur (braſeum vulgo appellant) ut nulli prorſum eſſet uſui, vitiabatur; & ipſa quoque, ſi quando proſperè ceſſiſſet, vigorem ſaporemque omnem cereviſia amittebat: denique & ipſamet omnium miſerrima materfamilias, ejusdem maleficii vi, morbis variis obſepta, atque miſerandum in modum excruciata eſt. Verumenimverò, ut aliàs ſemper, ita nunc quoque collum ſerpentis illius caputque, illa *inter mulieres benedicta* contrivit; ſecutumque eſt, quod hymno 3. Cathem. cecinerat Prudentius:

*Auctor & ipſe doli coluber*
*Plectitur improbus; ut mulier*
*Colla trilinguia calce terat:*
*Sic coluber muliebre ſolum*
*Suſpicit, atque virum mulier.*

Et infrà. *Hoc odium vetus illud erat,*
*Hoc erat aſpidis atque hominis,*
*Digladiabile officium;*
*Quod modò cernua fœmineis*
*Vipera proteritur pedibus.*

Hoc diſertè, coram divino ante Euchariſtiam tribunali, faſſa apud Lindam Dorothea eſt: quoniam, ubi primùm Deiparam Lindenſem voto facto, præſidii causâ appellavit, omnis mali vis reſedit, &, tum ipſa, tum domus univerſa ad priſtinam fortunam incolumitatemque rediit.

## III.

### Filiolus viri Nobilis, vi maleficii, & oculos & pedes diſtortus B. Virg. Lindenſis ope ſanatus.

Anno MDCXLII. ipſis Idib. Octob. advenit, unà cum conjuge & filiolo ſuo Alberto, nobilis vir Albertus Raysky, Telonii Praſniſienſis Notarius; ut voto, quod tum ſuo, tum multò magis filioli ſui nomine, divæ Matri apud Lindam pepigerant, ſolverentur. Experti ſiquidem magno cum dolo, damnoque erant, quod S. Hieronymus ex vulgi opinione (a) ſcriptum reliquerat: *Faſcinum nocere & ætati parvulæ, & his, qui necdum firmo veſtigio figant gradum.* Sive enim faſcinum aliquo oculi humani vitio fieri queat, quod & vulgò, & Poëtarum pueris placuit; ſive potius, quod cum S. Hieronymo (b) viri prudentes docent: *Dæmones huic operi ſerviant*; ita, ut, quos malefici faſcino perſtringi volunt, non tam oculis ſpectantium, quàm operâ miniſterioque Dæmonum perſtringantur. Utrumque memorato filiolo Alberto evenit; nam & oculi in diverſum ita diſtorti erant, ut nonniſi *obliqua tuentibus hirquis* cernere poſſet (ſi quid tamen cernere potuit, qui diuturno tempore, nihil aut vix aliquid potuit intueri) & pedes ita inflexi aut potius contracti, ut neque gradum figere, neque, ſi fixiſſet, conſiſtere diu poſſet, quin maximo cum dolore parentum in terram provolveretur. Aſt, ubi parentes & ſe, & filiolum, voto ritè concepto Deiparæ Lindenſi obligârunt, omnis & faſcinantium, & Dæ-

(a) *ad cap. 3. Galat.* (b) *loc. cit.*

& Dæmonum vis enervata, puero que & pedum & oculorum ſanitas, Deiparæ Lindenſis ope reddita eſt. Quod ita prorſum, uti diximus, eveniſſe ipſemet pueri parens hunc in modum manu ſuâ conſignavit; *Adamus Raysky Notarius telonei Praſnicienſis*; & inſuper ad poſterorum memoriam beneficii accepti monumentum Tabellam argenteam Lindenſis *Ædis* Aræ dicatam appendit.

## IV.

Primæ inter Brunsbergenſes notæ matrona, cujusdam malefici carminibus pedes contracta & contorta, ac toto corpore contabeſcens, per Deiparam Lindenſem ſanata.

Anno MDCXLIII. ad XII. Cal. Aug. Catharina D. Joannis Jung Conſulis Vormditenſis, viri de patria optimè meriti filia, Domini Petri Lemky, inter cives ac negotiatores Brunsbergenſes facilè primi conjux, Deiparæ Lindenſi ſupplex gratias coràm egit; illique ſanitatem ac vitam maleficiis ſibi ereptam, in acceptis referre profeſſa eſt. Pauculos ante annos rogo abſumptus eſt Brunsbergæ, infamis ob maleficia veterator, nomine Kohlpies, planè ad S. Scripturæ phraſin *inveteratus dierum malorum*: nam & pater ipſius annoſus ſenex, quinquaginta propè ante annos, rogo itidem, eadem ob maleficia, abſumptus fuerat; & ipſummet maleficiorum ac malefactorum jam ſuorum pigebat; ut & à pacto cum Dæmone inito,

inito,ope induſtrii de Societate Jeſu ſacerdotis, aliquando reſilierit; &,cùm poſtea *canis rediiſſet ad vomitum*, ab inferendis, aut ſaltem frequentandis tot maleficiis,ſibi ſtatuerit temperandum. Verùm (quod ipſemet in quæſtionibus ante rogum faſſus eſt) à malo genio,ut quæ agenda ſuſcepiſſet,ageret,hoc eſt,ut maleficiis graſſari ne ceſſaret, identidem ſtimulabatur; nullam ut domi quietem à peſſimo ſolicitatore habere poſſet. Et quia ſacris in ædibus magnam inveniebat quietem, majorem diei partem, aut ſaltem antemeridianum tempus fere totum in templo, ut quiete qualicunque frueretur,conterebat. Inter eos, quos aut prorſum perdidit, aut gravioribus mactavit infortuniis, dicta Catharina fuit. Acceſſerat, ut pannum ab ea emeret; & emiſſet porrò, ſi paratam ac præſentem attuliſſet pecuniam: quam cùm non haberet, pannum quoque habere non potuit; quia abſente tum marito Catharina, homini nullius fidei merces, citra paratum æs, extrudere verebatur. Hic præſtragiator ille, tum irâ ſuâ, tum mali genii odio inflammatus faſcinum innocenti mulieri admovet. Tanta fuit maleficii vis, ut mulier ætate & viribus florens,toto corpore ſenſim contabeſceret; &, cùm cæteri artus torquerentur omnes, tum potiſſimùm pedes adeoque oſſa in obliquum diſtorquerentur; quemadmodum præter maritum & alios, ipſe quoque parens hoc ipſo anno Lindæ præſens, ſanctè aſſeveravit. Quid non remedii undique admotum eſt? quæ non pharmaca tum domi, tum Elbinga ac Gedano adhibita? Quid non maritus, & propinqui omnes, in ea matronæ afflictiſſimæ calamitate egerunt?

runt? At nullum erat medicamentorum medicorumque genus, quod proſtratæ eum in modum ſanitati prodeſſet. Rebus itaque omnibus jam deſperatis, ſpes unica à *Matre ſanctæ ſpei* oblata eſt. Ipſamet ægrota, ultro omnia alia valere juſſit, & unicum, quod à B. V. Lindenſi exſpectabat, ac certò ſperabat, præſidium amplexa eſt. Voto ſe Lindam Marianam inviſendi obſtrinxit, & ſubitò revaleſcere cæpit; ut paulò pòſt Lindæ voto defungi potuerit. Ab eo tempore quemadmodum valetudine viribusque integris fruitur, ita nullum ſinit præterire annum, quin vel ipſa, vel maritus, vel etjam uterque Lindæ adſint, & debitas Matri DEI gratias agant.

## V.

### Mulier ruſtica amiſſum, ex magica incantatione brachii uſum, Deiparæ Lindenſis ope recipit, & ad agendas quotannis gratias divinitus compellitur.

ANNO MDCLII. ad III. Id. Aug. Margareta Lucæ Radigk, ex Blumnau pago, agricolæ uxor, exemplo ſuo docuit, quâ animi gratitudine DEI ac Deiparæ beneficia gratiamque prenſare ac penſare debeant mortales. Quatuor anni præterierant, cùm amiſſum ex magica incantatione brachii ſiniſtri uſum, Deiparæ Lindenſis beneficio receperat. Promiſerat quippe, ſi ab eo veneficio, magnæ Matris ope libera evaſiſſet, triennalem ad ſacellum Lindenſe peregrinationem. Aſſecuta eſt, quod precabatur, & pari fide, quod ſpoponderat, præſtitit. Tribus enim proxi mè

conſe-

conſecutis annis, nullum omiſit peregrinationis annuæ tempus. Et jam ſe omni, ſive erga B V. gratitudinis officio, ſive iter agendi labore defunctam rata etjam gloriari fortaſſe viſa eſt ac dicere. Nunc, Dei gratiâ, vota mea abſolvi. At vix iſta erat prolocuta cùm iteratò malum rediit, & brachii ejusdem uſus ſuccedentibus, autè ant, doloribus, prorſum abiit. Crederes radicem mali, intra corpus humanum quaſi defixam, fibras agere, ac niſi Deiparæ curâ cultuque prohibeatur, in germen ut erumpat, ſemper eſſe paratam. Itaque, cùm & hic iteratò erupiſſet, quò miſera muliercula, niſi ad medicam Deiparæ manum, iteratò confugeret? Confugit, &, quoad vita ſibi ſuperſtes eſſet, ſtatam quovis anno peregrinationem, ad ſacrum Lindæ ſacellum ſanctè promiſit. Neque Deipara omiſit, ſupplici clientulæ opem iteratò afferre. Illa ergo ſaluti iterum reſtituta, perpetuæ deinceps peregrinationis juxta ac gratiarum actionis initium hodiernâ die fecit.

## CAPUT XIX.

### Nervici & Contracti, per Deiparam Lindenſem ſanati.

ADinſtar mulieris illius, quam ſacra Evangelii hiſtoria *inclinatam* appellat, plures ſe hîc ſive inclinati, ſive contracti, ſub aſpectum offerent. Illam conſtat vi Cacodæmonis id vitii contraxiſſe; iſti utrum ſolo naturæ vitio, an verò etjam aliquo hominum dæmonumvé maleficio ita fuerint affecti, haud perinde conſtat. Cùm porrò inter contractos, aliorum pronus ſit raptus, qui & Emproſthotonos dicitur, quia

quia ad partes anteriores vergit; alius ſupinus, qui ad poſteriores, ideoque epiſthotonos nuncupatur, qui & quales hîc fuerint, quia proditum literis non invenio, quod affirmem non habeo; niſi quod omnes univerſim, juxta Joann. 5. 3. appellari poſſint *aridi*; eò quod venis, arteriis, nervisque, quacunque tandem ex cauſa, vel exareſcentibus, vel duntaxat obſtructis, corpus totum, vel aliqua illius pars ita exareſcat, ut ſit motus, ac fortaſſe etjam vitæ expers, vel ad uſum prorſus inepta.

## I.

### Mulier in Maſovia contracta, voto Lindam nuncupato, curata eſt.

Ad VI. Non. Jul. qui dies viſitanti DEIPARÆ ſacer eſt, Anno MDCXXXVI. ex Oſtrolenka Maſoviæ oppido, viginti circiter leucis Lindâ diſſito, viſitavit Lindam Jacobi Gowarenga filia, & ob receptam Deiparæ auxilio ſoſpitatem, vota grateſque DEO reddidit. Magno & diuturno morbo ita conflictata erat, ut membris denique omnibus reſolutis, nuſquam ſe loco movere poſſet. Ubi verò propitiam in vota divam Lindenſem vocavit, ſalutem ilico aſſecuta, Lindam voti rea ſe contulit; &, expiato per ſacram exomologeſin animo, tum ſuo, tum aliorum, qui unà advenerant teſtimonio roboravit, Patre Chriſtophoro Schenck, qui pænitentem audierat, rem per omnia accuratiùs examinante.

II. Cor-

II.

Corpore toto contractus, ſimili voto ſanatus.

Anno MDCXXXVIII. ad IX. Cal. Junias, acceſſit Lindam Andreas Schmidt civis Allenſteinenſis, ut iis ſe votorum vinculis, quibus morbi plures erant abacti, expediret: Manus juxta ac pedes, totumque adeò corpus fuerat contractus ut neque rectâ conſiſtere, tantum abeſt, ut aut progredi quoquam, aut opus quodpiam aggredi poſſet. Rectâ ergo mentem ad divam Lindenſem vertit, & ſimul ac ſe vinculis adſtrinxit votorum, vinculis confeſtim, quibus manus, pedes, totumque corpus alligabantur, abſolutus eſt.

III.

Puella tredecim hebdomadas contracta, matris voto, DEI Matri oblata, reſtituitur.

Ad IV. Calend. Jun. Anni MDCXLII. puella quædam, è Stabuncken Heilsbergenſis municipii villa, comitante ac deducente matre, votum Lindæ ſolvit. Anno proximè elapſo diutini vi morbi, ad cruciatus alios, nervorum quoque acceſſit contractio; ut per hebdomadas tredecim miſerè decumbenti ſpes quoque vitæ fuerit præcluſa; pro depoſita quippe ab omnibus habebatur. Mater in ſumma omnium deſperatione, omnem, quæ ſupererat, ſpem, aut potius fiduciam, in Deiparæ pietate ac benignitate defixit; & filiam, tametſi jam depoſitam ac deploratam ad pedes Matris DEI ponendam ſtatuendamque

cen-

cenſuit. Vovet proinde, ſe unà cũ filia, ſi revaluiſſet, auguſtum ipſius ſacrarium Lindæ adituram. Vix mater votum abſolverat, cùm etiam filia à morbo, vel potius à morte, extemplò ſoluta, citra moram deducta eſt Lindam; ubi, quemadmodum P. Simon Hein ſcriptum reliquit, mater adjurata, ſanctè aſſeveravit, *credere ſe, filiam B. V. ope ſanatam eſſe.*

## IV.

### Traumburgenſis mulier contracta, dum aliam ſui loco Lindam mittit, domi convaleſcit.

Anno MDCXLIV. ipſis Cal. Iulii, adfuit Lindæ fœmina quædã Traumburgo, gratias Deiparæ coram actura, quæ jam ante, per aliam, ab ſe conductam, ſupplex Deiparæ fuiſſet. Pedes enim & pleroſque alios artus ita prope convoluta erat, ut ad omnia prorſum eſſet inutilis atque imbecilla; tantùm abeſt, ut ad peregrinationem Lindenſem, quod unicè avebat, accingere ſeipſam poſſet. Aliã quocirca ſui loco Lindam miſit, per quam & donarium, pro ſua tenuitate, Deiparæ obtulit. Accepit Deipara munuſculum haud ſanè levidenſe; quippe ab ingenuo ſupplicantis animo, magnâ pietate atque ſingulari erga ſe fiduciâ profectum; nevé beneficiis ſuperari videretur; par, ut ajunt, pari reddidit; vires quippe ac ſanitatem ægrotæ eodem tempore reſtituit. Mulier proinde ſimul ac ſanitati reſtituta eſt, iter Lindam verſus arripit; &, uti par erat, Deo ac Deiparæ coram ipſa gratias agit.

# V.

## Matrona Vormditenſis pedes ac totum corpus enormiter contracta, emiſſo Lindam voto, confeſtim ſanitati reſtituta.

Anno MDCL. ad IV. Id. Septemb. Anna municipis Vormditenſis Matthæi Siwert conjux, cùm alia de cauſa, ſuo loco memoranda, Lindam veniſſet ſimul & illud ad Dei Deiparæque gloriam, quod ſibi ante biennium de Dei benignitate eveniſſet, coram teſtibus fide digniſſimis recenſuit. Nervis toto corpore adſtrictis enormiter contracta ita erat, ut ob raptum pronum, erigere ſe, aut ſurſum proſpicere nequaquam poſſet; ob pedum verò contractionem nonniſi genibus nixa molem corporis ſuſtinere, ac reptando circumagere utcunque poſſet. Tentata ſunt omnia, quæ inveniri, excogitarique in tempore poterant remedia; verùm omnia incaſſum. Deſperatis ergo ac procul faceſſère juſſis præſidiis humanis, ad divina, & cum primis ad Divam Lindenſem animo, cùm non poſſet corpore, ſeſe erexit; votumque peregrinationis Lindenſis concepit. Ita grata fuit Deiparæ oratio ſupplicis, ut confeſtim mulier ita enormiter contracta, & quoad corpus erecta, & quoad pedes confirmata, exiguo pòſt intervallo, votum, quod nuncuparat, planè incolumis Lindæ perſolverit.

VI

VI.

Matrona Brunsbergenſis, dextrum latus contracta, & colicis doloribus excruciata, Lindâ redux ſanata.

Anno proximè conſecuto, Prid. Cal. Iun Petri VVegner civis Brunsbergenſis uxor, Lindam ex voto profecta, ſupplex Deiparæ fuit. Fuerat enim cùm cæteras corporis partes, tum verò dextrum latus graviter contracta. Cui malo acceſſit & aliud: Sæva videlicet tormina viſcerum & colici circa præcordia cruciatus. Supplicem Virgo divina audivit, ita tamen ut poſtulatam ſanitatem nonnihil differendo, ſupplicis clientulæ, & in ea aliorum quoq; fidem, pietatem, ac fiduciam magis exerceret. Nam illa è ſacello Lindenſi præter ſpem ac fiduciam, vix aliud ſecum extulit. Qui, quanquã magnus ſanè fuerit theſaurus, ad Lindam Marianam quaſi erutus; adjecit tamen Deipara alium, jam extra ſacellum poſitæ clientulæ. Ipſo propè momento, quo domum versùs relegere cæpit iter, tum membris affectis vigorem, tũ pedibus greſſum largita eſt. Et, ne quid ad cumulum liberalitatis deeſſet, etjam tormina internosqúe viſcerum cruciatus quaſi absterſit; ita, ut ad hanc diem matrona illa Brunsbergæ ſuperſtes vivat, & viribus animi corporisqúe vigeat.

VII.

Novogrodenſis è Lituaniâ matrona, ab inſolente & immani membrorum contractione, nuſquam niſi apud B. V. Lind. ſoluta.

Anno MDCLII. ad VII Idus Iulias, ab ipſo uſque

Novogrodeco(quæ civitas ſexaginta circiter l
à Linda abeſt Mariana, & juxta præcipuas m
Ducatus Lituaniæ urbes cenſetur) ad ſacellum
denſe advenit, vel potius adrepſit Marina Io
Nagorny ſuperſtes vidua. Adrepſit, inquam,
non curru, ut antè ſolita erat, non ſanis uſa ped
ſed fulcris nixa ſubalaribus, tantùm itineris con
Duos annos totum corpus contracta, vel potiu
ſpiram, & quendam quaſi glomum coacta (na
reliqua membra ægrè ſedibus cohærebant ſuis
genua ori atque capiti adducta, & quaſi affix
rebant humanis inſuper præſidiis undique de
ta, ad divina totam ſeſe vertit. Quæcunque i
loca ſacra, miraculorum gloriâ, peregrinatio
hominum, aut profuſâ gratiarum divinarum l
tione illuſtria uſpiam eſſe audierat, adire, open
illic de cælo implorare ſtatuit. Et adiit ſanè, no
ciniora duntaxat, atque in ipſo M. D. L. ſita,
rowicze atque Iuchnowicze, ſed etjam longiſ
alibi poſita, præſertim vero clarum montem
ſtochoviæ, in majore & calvum montem in mi
Poloniâ illum pictâ ab S. Luca imagine; hu
gno ſacroſanctæ Crucis, à S. Emerico, S Step
Hungariæ Regis filio, dono oblato illuſtrem. a
inde impreſſa typo teſtimonia atque Ædi
rum cujusque loci charactere ſignata att
Sed beneficium hoc, auguſtæ apud Lindam
Matri, providentiâ divinâ ita ſingulariter diſp
ſante, relictum erat. Poſteaquam enim quarto ſ
entis morbi anno, quorundam amicorum narra
ne, de Linda Mariana, rebusque ibi geſtis nonn
didi

didicit, continuò animum ad peregrinationem eò capeſſendam adjecit. Monita verò à nonnemine amicorum, ne iter hoc, quemadmodum cætera, curru & equis faceret, ſed potius, quoad poſſet, pedes proſequeretur, hoc quoque ſecuta eſt conſilium. Ergo votum illud peregrinationis non modò intra ſe concipit, verùm & diſſertim nuncupat; & ecce mox quarto poſt die in ſeſe ipſa erigitur! ita ut & reſpicere ſurſum propriis viribus, & pedes nonnihil figere humi poſſet. Ad quod Deiparæ beneficium, etjam animo magis erecta in ſpem, poſtridie fulcra brachiis ſubjicit, iisdem nixa iter è veſtigio arripit. Lento quidem, proſpero tamen gradu, auſpicata iter, quo plus confeciſſet itineris, eò plus non jam, ut moris eſt, languoris ſed potius roboris viriumque experiri in ſe, ideoque alacrius in horas pergere; quoad proximum Lindæ in Ducatu pagum, vulgo Petſchendorff prætergreſſa, vicinumque Lindæ nemus ingreſſura, ſibi, viribusque ſuis prorſum reſtituta, abjectis fulcris, ſine ullo etjam Scipionis adminiculo iter carperet; & alacritatis gaudiiq; plena ſacellum Deiparæ Lindenſis ingreſſa, populo, qui ſat numeroſus aderat, præſente, & ad fœminæ, inſolitâ animi lætitiâ geſtientis, introitum ſtupente, Dei ac Deiparæ in ſe beneficium magnificè prædicavit; ſacrisque myſteriis pro more munita, gratiisque Deo atque Deiparæ actis, ſana & gaudens domum eſt reverſa. Ne cui verò grati erga Deiparam animi defuiſſe officio videretur, recurrente poſtmodum Anno MDCLIII. ad VIII. Idus Julias iterum Lindam regreſſa eſt, & multis coràm expoſito, deprædicatoque Dei ac Dei

Matris in ſe beneficio pari aut etjã majore animi lætitiâ, quàm ſuperiore anno, iter ſuũ iterũ eſt remenſa.

## VIII.

### Civis Heilsbergenſis, pedum contractionem Deiparæ Lindenſis ope amolitur.

Anno MDCLIII. ad III. Cal. Aug. civis Heilsbergenſis Andreas Gorrius, ex fide, quæ ſecum biennio antè eſſent geſta, percenſuit. Sex circiter hebdomadas, nervis pedum vitiatis atq; contractis, neq; gradũ promovere, neq; uſquam tuto conſiſtere potuit. Potuit tamen pro ea, qua in Deiparam erat, fiduciâ ac pietate, ad ejusdem ſe Aſylum Lindenſe melioribus animi greſſibus provehere. Voto igitur Lindam nuncupato, in currum deportatus, Lindam facilè venit, animum ſacrâ exomologeſi, poſtmodum verò etjam ſacrâ Synaxi refecit. Refectum continuò etjam corpus eſt, & pedibus vires redditæ; ut & ambulare probè poſſet, & Deo, quemadmodum juſerat, ac Deiparæ gratias agere non deſineret. Qua etjam de causâ, non omiſit ſequentibus annis, ut ampliores redderet gratias, Lindam identidem recurrere.

## IX.

### Duæ mulieres eodem morbi genere, per B. V. Lindenſem liberatæ.

Sub hoc ferè tempus (nam de die, & anno nihil certi proditum invenio) Barbara Helmonia, e Lokau Seeburgenſis territorii pago, & alia quædam mulier, uti varia nervorum, venarum, arteriarumque

con

convulſione plurimum afflictæ, ita varia nequidquam medicamenta expertæ, ubi per facta ad B. V. vota, Lindam recurrerunt, non minùs votorum, quàm morborum vinculis, peractâ Lindam peregrinatione, abſolutæ, Deo ac Dei Matri, quas poterant, gratias egêre.

X.

Ancilla pedes contracta, voto Lindam nuncupato convaluit.

Anno MDCLIV. Matthæi Majer ex Elditen, Vormditenſis municipii pago, filia, Vormditi apud heram, ad rei familiaris miniſteria, operam addixerat ſuam; & cum tempore, neque ignavè neque infeliciter munere ſuo defuncta eſt; quoad contractis, incertum qua ex cauſa, pedum nervis, neq; heræ, neq; ſibi amplius eſſe uſui potuit. Non ſunt neglecta, quæ undique fas erat peti, remedia; ſed nullum profuit. Profuit tamen ægræ deficiente pedum uſu, non defeciſſe, quin imò auctam fuiſſe in Deum ac Deiparam ſpem atq; fiduciam. Pro ea igitur, quam hera quoq; eximiè concitabat, fiduciâ, votum ad Deiparam Lindenſem concipit; ſubitoq́ue meliuſculè habere cœpit, ac brevi poſt admodum probè convaluit; ut prid. Cal. Iun. & Lindam accedere. & votum juxta ac gratias, Divæ Matri potuerit exolvere.

XI.

Civis Vormditenſis, ab offuſa oculis caligine, & contractione membrorum liberatus.

Fabianus Braun civis Vormditenſis caligine oculis

ſubitò offula, utriusque uſuram luminis amiſerat. Contulerat ille quidem ſe cubitum incolumis, at noctu, minùs dulcem in ſomnum clauſa ſunt lumina: poſtridie enim experrectus, utroque ſe orbatum oculo advertit. Verùm cùm DivæLindenſi ceræ pondo, peregrinationemque voviſſet, ſenſim lux oculis rediit, ut duas intra hebdomadas integra valetudo redierit, non tamen diuturna. Quanquam enim oculi valerent, ſpina tamen dorſi graviſſimè affecta fuit, ut contractis vehementer nervis, repere, aut nonniſi graviter inflexus, ægerrime poſſet loco progredi. At, qui ſemel beneficentiam Deiparæ ipsâ probarat experientiâ, ad eandem ſe iteratò recepit; curruque, ut poterat, conſcenſo, Lindam verſus iter ingreſſus eſt. Vix duo paſſuum millia confecerat, cùm de vehiculo deſcendens, ſeſe facile erigit, quin & erectus facilè gradum quaquaverſus molitur. Ita ſubitâ Deiparæ ope, & dolor omnis absterſus, & vires confirmatæ ſunt, ut tres minimum leucas , citra dolorem ullum, pedes Lindam uſque fuerit emenſus. Quorum omnium luculentus fuit teſtis, Reverendus Dominus Capellanus Vormditenſis; quo præſente, quin & viæ comite omnia geſta ſunt Anno MDCLIV. ipſis Calendis ſextilibus.

XII.

Faber murarius, contractas à viginti annis manus, Deiparæ ope reſtitutas, ante omnia, manus ejusdem Deiparæ ædibus admovet.

Atque hæc quidem Orthodoxis, Dei beneficio per

per Deiparam evenerunt; quod ſequitur, homini, ut ab Orthodoxorum conſortio, ita fortaſſe & à religione disjuncto, evenit. Oppidum eſt, duodecim leucas fermè Linda abjunctum, Lick vulgò, Polonis verò Helck dictum. In eo ſedem fixerat Iacobus, opificio cæmentarius: ſed manibus, jam ab annis circiter viginti contractis & arefactis, neque aliis, neque ſibi amplius uſui fuit. Vt tandem aliquando eſſe poſſet, à Diva Lindenſi, de qua nemo, etjam in Ducatu Pruſſiæ, ignorare jam poteſt præſidium ſibi petendum ſtatuit. Sub æſtatem Anni MDCXLIII. Lindam accedit, candelam ceream Deiparæ offert, humi ſe abjicit, & protenſis aliquamdiu in formam crucis manibus, humi fixus, Deum ac Dei Matrem ſupplex deprecatur. Precibus ritè finitis, erigit ſeſe, ut aſſurgat; & ecce vires manibus, imò manus ſibi reſtitutas ſenſit. Neque potuit manus, quas Deipara reſtituerat, melius quàm juxta ejusdem Deiparæ Ædem, ad laborem dudum intermiſſum, iterum inſtituere. Exorſus igitur à ſacelli pavimento, quod refecit, in vicinis quoque ſacello ædibus, furnum & alia extruxit; totasque in eo labore quinque hebdomadas exegit; tam poſtliminio ſanus, & ad laborem omnem vegetus, quàm præterlapſis tot annis, ex morbo deſidere coactus eſt iners atque ignavus.

## XIII.

### Mulier hæretica à contractione ſanata.

Anno MDCLIV. prid. Id. Aug. Dorothea Mattini Træger, fabri ferrarii è Babzinſz, duas circiter leu-

cas diſſito Lindâ pago uxor, præter candelam, geminas inſuper manuum pedumq́; effigies, è cera effictas, quas in conventu Virginum Reſſelienſium cõparârat, Lindam detulit. Interrogata à quodam è Societate Ieſu presbytero, qua id de cauſa, cùm à Catholicis ſacris aliena eſſet, faceret, reſpondit, ſe duos ante annos, quatuordecim minimum hebdomadas contractam, neque manus neque pedes movere potuiſſe, quoad votum Lindam feciſſet: inde enim ſe continuò fuiſſe ſanitati reſtitutam. Qua de cauſa, quoad inquit, ſuperſtes fuero, quovis anno gratias actura Lindam ſupplex frequentabo.

## CAPVT XX.

### Articulares morbi & Paralyſes, Deiparæ Lindenſis ope ab humanis corporibus extorres.

CONtractos propiore gradu ſequi debent, tum ii, qui Paralyſi, tum qui arthritide laborant. In utriſque partes affectæ deſtituuntur motu; in paralyticis verò etjam ſenſu, quem arthritici, & quidem peracrem retinent. Quanquam verò & iſchyas, & podagra, & chiragra arthritidi ſint affines, ab hoc tamen loco ſejungendæ erunt, ut ii duntaxat articularium morborum hic memorentur, qui aut omnia, aut plura corporis membra occupando profligant.

I.

### Mulier octodecim hebdomadas arthritide laborans, voto Lindam facto ſanata.

Haud multos abhinc annos mulier quædam, Stanis-

Stanislai VViſtin uxor Helena morbo articulos propè omnes pervadente ita afflicta, ut per duo de viginti hebdomadas neque manus neque pedes officio ſuo fungi, vel tantillum poſſent; ad Dei Matrem ſe vertit; & per illum, qui & ipſam & omnia fecerat, refici à tanto malo flagitavit. Quem in finem, & peregrinationem, voto ſuſcepto Lindam promiſit, & triplex Miſſæ ſacrificium, in ſacro Lindæ ſacello, ad Dei gloriam faciendum addixit. Audita eſt, & manuum pedumque uſu citra moram recepto, eorundem officio fungi exorſa, cæterorum operum non poſtremam voluit eſſe, quam promiſerat, ad Lindenſe ſacellum, peregrinationem.

II.

Nobilis è Maſovia vir, ſeptuagenario propior, paralyſi apud Lindam Marianam liberatus.

Quod ſequitur iisdem reddendum eſt verbis, quibus initio fuit ſignatũ. Anno Domini MDCXL die ſecundâ Iulii. Magnificus ac Generoſus Dominus Nicolaus Nieborski, in VVengrzinow heres, annos ſeptuaginta circiter natus, conſcientiâ teſte, paratus etiam juramento firmare, edixit, quæ ſequuntur. Anno MDCXXX X. menſe Iunio, domum Praſnißio reverſus, morbis variis, iisque periculoſis ſubitò correptus, adeoque dimidiâ ſui parte dextrâ, paralyſi tactus eſt. Accurrunt ilico ad ægrum propinqui, potiſſimùm verò filius Albertus Nieborski & filia barbara, cum genero Staniſlao Lyſakowski, in Myrzanowo & Lyſakowo herede

herede ſuadent, ut quantocyus æger Medicum valetudinis curandæ causâ accerſat. At ille, qui de miraculis B. V. Lindenſis non pauca jam antè audierat, rejectâ medici ope, ſpem omnem fiduciamque in B. V. Lindenſi ſitam dixit. Id gener ubi audiit, ſeſe viæ comitem cum uxore ſpopondit fore. Quocirca adventante Viſitat. B. Virg. feſto, ægrum rhedæ imponunt, propè deſperatum; ita, ut, dum Ortelsburgum transirent, prædicans hæreticus, peregrinis fortè obviam factus, atque de ægroti conditione votoqúe certior redditus, ſuaderet, vetulum morbo atque ætate confectum, non Lindam ſed ad ſepulchrum ſatius eſſe ducendum. At illi, nihil peſtilente miniſtri linguâ moti, iter proſequuntur; Reſſeliumqúe delati, ægrum eadem rhedâ vectum (quippe qui neque manuum, neque pedum, neque linguæ uſuram haberet) Lindam uſq; comitantur. Eò ubi ventum eſt, pridie Viſitat. B. Virg. ægrotus intra ædiculam ſacello vicinam, cùm loqui nullo pacto poſſet, per nutus R. Patri Petro Althoff, Societatis Ieſu ſacerdoti, de peccatis confeſſus, atque poſtridie ad ſacellum delatus, ſacrâ ſynaxi refectus eſt. Vix hæc acta, cùm ſubitò intra ſacellum æger ad ſe redire, linguæqúe, ac manus, & pedis uſum recipere cæpit: ita ut, cùm domum redux Ortelsburgum iteratò transiret; atque prædicans antè dictus iterum obvius, ubi vetulum illum ac mendicum reliquiſſent, quæreret, & illum ſanum oculis ipſe ſuis intueretur, exclamârit, Iesu bone, video mira circa illum facta! Denique æger annum integrum ſanitate rectâ uſus, hoc ipſo Anno, pro Viſitatione B. Vir-

B. Virginis, ut gratum ſe Deo & B. Virgini pro accepta ſanitate teſtaretur, reverſus eſt: eaque, quæ dicta ſunt, in tabulas referri, atque authenticè ſignari voluit, in præſentia teſtium infra ſcriptorum.

*Nicolaus Neborsky manu propriâ.*

*Idem atteſtor Paulus Mollerus Archipresbyter & Parochus Reſſelienſis mp.*

*Albertus Przeczkovvski Theſaurarius Terræ Lomzenſis, & Notarius terrarum Rozaven. & Macovienſis Secretarius S. R. M. mp.*

*Idem teſtor Valentinus Majevvski Parochus Bisburgenſis.*

*Idipſum teſtor Thomas Clagius Reſidentiæ Reſſelienſis Societatis Ieſu ſuperior.*

*Idipſum teſtor Stanislaus Zberovvski Soc. Ieſu.*

*Idem teſtor Georgius Grunenberg Soc. Ieſu.*

*Præmiſſum teſtor Chriſtophorus Schmidt Notarius juratus Reſſelienſis mp.*

## III.

### Faber murarius, Pœlplino Lindam uſque propè reptando delatus, articulari morbo levatur.

Anno MDCXLII. è Monaſterio Pœlplinenſi Ordinis Ciſtercienſis in Pomerellia ſito, advenit faber murarius, diu in illius Monaſterii obſequiis verſatus; ſed articulario morbo ad extrema perductus. Nam & manuum, & pedum, quin & laterum uſum perdiderat, ut conſiſtere vix poſſet; & oculi ipſi caligine offuſi, nonniſi obſcurum quiddam, & quaſi per nebulam cernerent: denique unico corde excepto, quod vividum ſemper ac micans experiebatur,

toto

toto corpore nihil ſani erat reliquum. Neque verò, quod tantis malis occurrere poſſet, medicamenti quidquam occurrebat. Ad Deum igitur, & ad Deiparæ Lindenſis præſidium ſe confert, peregrinationem (etjam ſi vel adrependum Lindam eſſet) vovet, & ſine mora iter, non tam ambulando, quàm reptando ingreſſus eſt. Mira enimvero res! ſimul ac loco ſeſe movit, allevari ſe nonnihil, ac vires firmari ſenſit: quin, quò magis progrediebatur, eò ſibi & animum, & robur magis augeri expertus eſt. Et tamen cùm nonniſi quatuor ſupra vicenas leucæ germanicæ eſſent conficiendæ, ea erat proſtratæ toto corpore valetudinis viriumqúe ratio, ut nonniſi ſeptimâ hebdomadâ dictum iter potuerit emetiri. Vbi Lindenſe ſacrarium ingreſſus eſt, & per exomologeſin à peccatis expiatus, etjam ſacroſancto Euchariſtiæ pane refectus eſt, omni confeſtim morbo ita levatus eſt, ut, ne veſtigium quidem, ullo in articulo, morbo hæreret. Regreſſurus domum, ad domicilium Societatis Ieſu ubi tum Illuſtriſſimus ac Reverendiſſimus Dominus Nicolaus Szyszkowski Epiſcopus Varmienſis, cum plurimis aliis hoſpitibus verſabatur, pridie Cal. Martias divertit, &, quæ ſibi à Deipara Lindenſi beneficia fuiſſent præſtita, omnibus palam deprædicavit: donatusqúe ab Illuſtriſſimo Antiſtite inſigni viatico, Pœlplinum gaudens & alacer regreſſus eſt.

IV.

## IV.

## Prior monaſterii Olivenſis, à B. Virgine Lindenſi præſidium in articularibus morbis implorat.

A Pœlplinenſi Monaſterio ad Olivenſe ut gradum faciamus non Ordinis duntaxat aut locorum, verùm & temporis & morbi affinitas poſcit. Eſt Oliva Monaſterium, leucâ circiter unâ Gedano, Occidentem versùs ſitum, à Sambario Pomeranorum Duce ſub Annum Domini propè MCLXX Ordini Ciſtercienſi ſtructum; & è cineribus, quibus, per varia paganorum, hæreticorum, aliorumq; hoſtium incendia minimum octies fuit ſepultum, ad inſtar Phœnicis renatum. In eo ſub hæc tempora, frater Edmundus Parſchau, Biſtenio, Varmienſi oppido ortus, primas ab Abbate partes, diu ſatis laudabiliterque gerebat; quoad articulari morbo depoſitus, & aliis nequidquam remediis uſus, vicinum à B. V. Lindenſi, natali ſibi ſolo admodum vicinâ imploravit præſidium. Iuvat ea de re loquentem audire tabellam argenteam, quæ de Reverendiſſimi Abbatis facultate Lindam ab eo miſſa eſt, ſic enim ſupplex ad B. V. libellus tabellæ inſcriptus habet:

*Afflictorum omnium aſylum Virgo piiſſima; ego ſervulorum tuorũ minimus lecto affixus, pedum & manuum beneficio deſtitutus, corde ſaltẽ profundiſſimo ad te ſuſpiro. Succurre laboranti, fer opem gementi; quia peccatorum es Advocata potentiſſima. ſuſcipe igitur præſentem tabellam, de voluntate Reverendiſſimi Domini mei Alexandri Keſovski Abbatis conſecratam.*

F. P. Edmundus P. O.

V.

### V.

### Iuvenis agricola, morbo articulari ad extrema redactus, voto Lindam facto ſanatus.

Anno MDCLIV. ad III. Non. Iun. Gregorius Stang è Stegendorff Meellaccenſi pago, Simonis Eylert privignus, votum Deiparæ Lindenſi ob reſtitutam ex arthritide ſanitatem, exolvit. Quindecim hebdomadas lecto affixus decubuerat, capitis & omnium artuum oſſiumqúe cruciatibus vehementer proſtratus; adeoqúe jam depoſitus nil niſi mortem opperiebatur; ad quam ritè obeundam ſubeundamqúe in illo agone luctam ſacro extremæ Vnctionis oleo jam erat perunctus. Hîc mater, filii causâ votum ad B. V. Lindenſem nuncupavit, & filius, qui matrem in illo rerum articulo admodum conſternatam, ad votum nuncupandum, propè reluctantem invitârat, eodem fere momento ad ſanitatem rediit; nec multo pòſt, ut voto abſolveretur, & Deo ac Deiparæ gratum ſe ſiſteret, Lindam perrexit. Sed & inſequente poſtmodum Anno MDCLV. ad XII. Kal. Iul. eadem prorſum de cauſa Lindam iterum reviſit, eaqúe, quæ memoravimus, diſertis iterum verbis ſanctè affirmavit.

### VI.

### Mulieri quoque hæreticæ, arthritide laboranti, Deipara Lindenſis ſuccurrit.

Cæterùm ut ad alios, ita & ad pellendos hujuscemodi

cemodi morbos, etjam ab Eccleſia Catholica alienis Deipara Lindenſis opitulatur. Anno MDCLI. ipſis Junii Calendis, mulier quædam ex Curlandia oriunda, ſed in Uladislawow, ad Pruſſiæ fines in Lituania, haud longè Wierzbolovia ſatis diu commorata, Lindam marito comitante advenit. Diu ſe ad fidem catholicam vocari ac pellici ſenſit, ſed non minùs diu (ſive occaſionem, uti prætexebat, haud ſatis commodam nacta, ſive potius procraſtinando ac tergiverſando diem die truſura, uti hominum iſtiusmodi mos eſt) diſtulit. Verùm non diſtulit tandem Nemeſis divina, ſtimulum potius quàm vindictam admovere. Sideratis paralyſi membris reliquis, os quoque ipſum ac labia reſoluta ſunt, ut neque loqui, neque cibum ſumere miſera poſſet. Interea amici de Deiparæ Lindenſis aſylo beneficentiaque admonent. Illa magno illuc deſiderio anhelare, votum peregrinationis nuncupare; imò, ſi liceret, etjam in viam ſe dare. Licuit enimvero: quia ſimul ac votum nuncupavit, revaleſcere cæpit, ut iter totum, quod ad triginta circiter leucas protenditur, pedes emetiretur. Ubi ſacrarium Lindenſe, atque unà per pænitentiæ ſacramentum ipſam Eccleſiam catholicam eſt ingreſſa, morbus ita abſceſſit, ut non tam ad tormentum, quàm ad retinendam beneficii memoriam, exiguus admodum dolor ſedem in ſiniſtro brachio retinuerit.

# CAPUT XXI.

## Epilepſia, ac morbi comitiales Deiparæ Lindenſis curatione ſublati.

EPilepſia, ſive comitialis morbus, arthritide, paralyſi, cæteriſque hactenus memoratis morbis, eò videtur lenior, quòd non perpetuùm, ut illi, ſæviendo duret, etſi per intervalla ſæpius etjam intra diem recurrere nonnunquam ſoleat: ſed quia hominem non motu duntaxat, ut fere illi, verùm & ſenſu adeoque ipsâ quadantenus vitâ orbat, & non jam accommodo naturæ motu, ſed agitatione & miſerabili convulſione, univerſas corporis vires ac vigorem proſtigat, multò eſt illis miſerabilior ac deteſtabilior. Nihilominus, & huic ſua ſunt apud B. V. Lindenſem remedia.

I.

## Parvula puella, voto matris ad B. V. Lindenſem facto, ab epilepſia liberata.

Sub Annum Domini MDCXXXII Urſula Martini Heiſch civis Gutſtadienſis filiola, miſerandum in modum ſontico iſto morbo diſcruciabatur: præterquam enim, quòd ſæpius in die miſeram affligebat, etjam longo ſupra morem tempore durabat. Cùm afflictâ eum in modum filiolâ, vehementer afflicti parentes, nullis parcebant ſumptibus aut curis, ut aliquâ tandem viâ malo occurrerent. Omnia nequidquam tentata; ut ſi non filiolæ morbus, certè parentum magis ſit iis exacerbatus dolor; qui demique ad B. V.

B. V. Lindenſem miſeris viam aperuit. Mater in primis, quam fortaſſe viſcera materna excruciabant magis, filiolæ nomine votum ſuſcipit, & ſepties Lindam uſque iter pedibus ſe emenſuram ſpondet. Annuit matri ſupplicanti diva Mater, & filiolam miſeræ, à morbo tam diro eximiam deinceps præſtitit. Neque mulier feliciſſimè voti rea, promiſſam ad ſacrarium Lindenſe peregrinationem diſtulit. Ad III. Calend. Julias Anni MDCXXXVIII jam ſextum pedes Lindam profecta, filiolam quoque ſecum adduxit; quæ, quemadmodum à morbo illo incolumis jam erat, ut ab animi quoque noxis expiaretur, ſacro pænitentiæ ſacramento refecta eſt, paulò pòſt, ubi per ætatem licuiſſet, etjam divino Euchariſtiæ epulo reficienda.

## II.

### Mulier divortium matrimonii pervicaciſſimè urgens, comitiali morbo plectitur, & ope Deiparæ Lindenſis ab utroque malo eripitur.

Quod ſequitur, admodum reverendus Dominus Georgius Hoghaus, Archipresbyter & Parochus Allenſteinenſis tanquam probè conſcius, & navus ovium ſuarum paſtor, ad DEI & Deiparæ gloriam recenſuit. Mulier erat Allenſteini Potentiana, mercenarii cujusdam uxor, cætera quidem haud indiligens, ſed marito ſuo peroſtenſa; adeò ut nihil magis, quàm divortium animo agitaret,

quin & omni conatu contentioneque urgeret. Cauſam divortii rogata, quæ vel ad ſpeciem pro ea faceret, nullam adferre potuit: itaque & Archipresbyteri & magiſtratus authoritate juſſa eſt jugum, quod ultro ſubierat, porrò trahere. At mulieri, non jam ratione ſed quaſi œſtro quodam agitatæ, neque magiſtratus neque Curionis minæ, aut monita ſatis erant. Satis tamen erat divina, quæ mox inſolentem ac pervicacem inſecuta eſt, ultio ac pæna Comitiali enim morbo correpta infelix mulier, vicies propemodum in diem miſerrimè exagitabatur; ita ut partim domi, partim in vicis quoque ac plateis proſtrata miſerandum in modum diſcruciaretur. Adhibita varia, quæ poterant inveniri, medicamenta; neque tamen ullum quidquam profuit. Unicum tamen ad B. V. Lindenſem votum profuit, quod ubi miſerrima muliercula nuncupavit, confeſtim & morbo ſontico, & illo tam infami œſtro, ope Dei parentis libera, tam ſibi incolumis, quàm viro fida ac familiaris conjunctiſſimè deinceps vixit; quemadmodum memoratus paulò antè Dominus Archipresbyter Anno MDCXXXVIII. ad IV. Nonas Julias ſanctè atteſtatus eſt.

## III.

### Civis Vormditenſis, à ſontico morbo, per votum Lindam factum liberatus.

Anno MDCXXXIX. pridie Calend. Julias Petrus Buſch civis & vitriarius Vormditenſis, Lindæ ſacris pænitentiæ & euchariſtiæ ſacramentis refectus, de ſemetipſo, à ſacro morbo, per Deiparam Lindenſem in ſa-

in ſalutem aſſerto, palàm eſt ad Dei & Deiparæ gloriam profeſſus. Non paucos eo malo conflictatus eſt annos; neque tamen ullum, quod ſuccurreret, pharmacum uſpiam expertus. Supplex igitur ad Deiparam Lindenſem accurrit, dataque ei ſponſione, peregrinationem Lindam quantocyus ſuſcipiendam promiſit. Fecit paulò pòſt quod promiſit: ſed Deipara prior, quàm ille faceret, redditâ ſanitate, voti compotem fecit.

## IV.

Nobilis in Lituania matrona, ſacro morbo per votum Lindam factum levata.

Anno MDCXLII. inter alais illuſtriſſimæ magni Ducatus Lituaniæ Mareſcallæ Lindam, uti aliàs memoravimus, viſitantis comites, fuit nobilis & graviſſima matrona Domina Juſtina Kratovicia; quæ comitiali morbo diu, & variè afflicta, nuſquam niſi apud Deiparam Lindenſem remedium invenit. Nam ubi voto peregrinationis Lindam ſuſcipiendæ ſe obſtrinxit, reſtricta ſunt ilico quibus attinebatur, morbi vincula. Et jam à dimidio anno ſanitati ita erat reddita, prius quàm ad IV. Non Octob. votum Deo ac Deiparæ coràm Lindæ redderet.

## V.

Præfecti Piſcationis è Maſovia filius, voto Lindam facto, à morbo comitiali ſanatus.

Eodem quadrageſimo ſecundo hujus ſeculi anno,

Albertus è Parochiæ Colnenſis in Maſovia vico Czerwone dicto, atque Lindâ viginti circiter milliaribus Germanicis diſſito, voto & peregrinatione ſuâ apud Lindam defunctus eſt. Filius is erat Præfecti piſcationis, ſed ob recurrentes ſontici morbi periodos, neque ad halienticam artem, neque ad alia, ſejuncta à piſcatoriis opera idoneus ſatis erat. Popularium ſuorum Colnenſium, qui peregrinationem quotannis ad Lindam ſolent obire, exemplo motus, ipſe quoque votum Lindam concipit, ſtatimque morbo tam diro levatus, non illo duntaxat, verùm & inſequentibus deinceps annis, Lindam gratias acturus reviſit. Eſt enim, uti Colnenſes cæteri ad VIII. Idus Septemb. Anni MDCLIV. affirmârunt, probè ſanus, ut extra ipſum quoque morbi periculum, Deiparæ præſidio videatur poſitus.

## VI.

### Coloni filiolus ſontico morbo, per votum Lindam à parente nuncupatum, exemptus.

Anno MDCXLIII. propè jam exeunte, Joannes Preiſchoff, è Kleinau Brunsbergenſis municipii pago, agricola, vicariam nomine filioli ſui peregrinationem ad divam Lindenſem fecit. Ad Herculeum morbum, filiolus ipſius necdum ſatis Herculem induerat, aut Hercules erat; niſi meliorem, quàm Hercules, ad elidendos jam tum ſerpentes in corpore morbos, fuiſſet nactus in Deipara Junonem. Tantâ igitur ope divinitus ſubmiſſâ adjutus, & filius morbum

hum ſuperavit, & parens in gratiis DEO ac Deiparæ agendis vices filii ſupplevit.

## VII.

### Quatuor homines à morbo ſacro liberati.

Ad IV. Non. Junias Anni MDCXLIV. è Meelſaccenſis municipii villa Herickau dicta, comparuerunt Lindæ homines tres ſimul; quaſi triplici funiculo, difficillimè rumpendo ſimul ducti: quia & funiculi illi, quibus nervi, cæteræque ſive venæ ſive corporis partes erant perſtrictæ, haud facilè rumpi poterant. Potuêre tamen rumpi, & rupti ſunt, ubi homines illi voto Deiparæ Lindenſi ſe obligârunt. Eventus enim facti voti fuit, virium & corporis incolumitas; quam illâ quoque die, quâ Lindam venerunt, teſtati ſunt. Sub idem tempus, uti in Commentariolo ſcriptum invenio: *Filia Domini Boll civis Heilsbergenſis, morbo comitiali obnoxia, voto Lindam viſitandi facto, convaluit.*

## VIII.

### Lubavienſis Virgo, quatuor annos morbo comitiali diſcruciata, ope B.V.Lindenſis perſanata.

Anno MDCLIV. ipſis Calend. Junii, Lubaviâ, quæ duodeviginti minimùm leucis abeſt Lindâ, plures adfuerunt peregrini; quos inter Regina Dandrowa honeſta matrona votum filiolæ ſuæ causâ ſuſceptum exolvit. Decimum ætatis annum filia propè exceſ-

exceſſerat, cùm morbo ſacro correpta quatuor annos integros cum eodem eſt miſerrimè conflictata. Nec minus filiæ causâ afflicta mater, cùm remedium nullum præ manibus reliquum haberet (jam enim aliis admotis ſpes omnis decollaverat) in una Deipara Lindenſi omnem ſpem fixit, & unà vim acerbitatemque morbi omnem confixit. Ab eo quippe momento, & filia morbo, & mater voto defuncta eſt; ſed & hoc iterum anno Lindam adiens, iterum Dei & Deiparæ opus beneficiumque confirmavit; &, cùm alios multos, tum ſpectabilem Dominum Gregorium Gierlowsky civem Lubavienſem, uti concivem ſuum, ita comitem itineris, rei geſtæ voluit eſſe teſtem.

## IX.

### Duo fratres germani comitiali morbo liberati.

Diebus proximè ſecutis, videlicet ad III. Nonas Junias, Georgius & Albertus ex Retſch municipii Heilsbergenſis pago, germani fratres, unà cum matre Lindam adierunt. Frater uterque, ſorte, quâ nati erant, citra comitia, non tamen citra comitialem morbum (quo citra ulla candidatorum ſuffragia graviſſimè urgebantur) poſiti erant. Suffragia ad avertendum malum nulla præ manibus erant; quocirca aliunde neceſſariò erant advocanda. Advocavit mater, ab ipſa uſque Deiparæ Lindenſis æde, dum ſupra commune aliis peregrinationis (quoad ipſa filiique viverent) penſum perpetuum, adjecit inſuper ſtatuam vel potius ſimulachrum & candelam certum

pon-

pondo ceræ conſtituta. Ita quidem mater vovit, ſed & filij ad votum matris convaluerunt, ut firmâ deinceps valetudine uterentur.

## CAPUT XXII.

### Etjam ab Eccleſia catholica alieni, ope divæ Lindenſis, à comitiali morbo curati.

QVod Eccleſia Græca ore Simeonis Logothetæ, quem aliàs Metaphraſten appellant, ad ipſas Calend. Aprilis in Menæis, de omnibus peccato inquinatis uſurpavit, poteſt & de ſectariis Deiparam Lindenſem venerantibus atque invocantibus, haud injuriâ uſurpari, nimirum: *Quanquam gravibus hæreant peccatis affixi, quibus Filium Virginis ad peracerbam provocant iracundiam, utpote malignis ſemper cogitationibus implicati; Filium tamen Virginis propitium iis reddi, qui Virginem, tanquam* DEI *genitricem, ex animo adorant.* (a) Experti hoc ſunt, etjam noſtri vicini, cùm in aliis, uti vidimus, ac deinceps videbimus, morbis, tum in Epilepſia.

### I.

### Puella, amitæ voto mitigatam, ipſo verò Lindæ aditu ſublatam epilepſiam experitur.

Jeſau prædium eſt ejus, quem ut quondam Lindæ poſſeſſorem, ita poſtmodum & cultorem ſingularem,



(a) Υἱὸν ἱλέῳ τὸν σὸν, τοῖς ἐκ ψυχῆς μητέρα τοῦ θεοῦ σε προσβαίνουσιν ἁμαρτίαις χαλεπαῖς ἐμμένουσι, καὶ τὸν ἐκ σοῦ τεχθέντα παραπικραίνουσι, καὶ τοῖς λογισμοῖς τοῖς πονηροῖς συνεχεχομένοις αἰεί.

rem Dominum Ottonem à Groben ſæpius nominavimus, nunc verò filius ipſius Joannis Georgii, dominii ac ditionis; in quo puella morbo epileptico, ſeptem circiter annos excruciata eſt; ut quandoque ſexies in dies ſingulos miſerrimè afflicta collaberetur. Miſerata illius ſortem aurita fæmina catholica, fratri ſuo puellæ parenti ſuadet, ut vel ipſe votum ad divam Lindenſem nuncupet, vel ſibi filiæ nomine nuncupandi poteſtatem faciat. Annuit ille; inde amita nepti principiò perſuadet, ut jejunio in Deiparæ honorem ſuſcepto, nonnihil ſeſe maceret; quod cùm puella feciſſet, ilico morbus ille tam validus remittere plurimùm cæpit. At ubi puella menſe Decembri Anni MDCXXXVII. parente atque amitâ præſentibus, votum Lindæ perſolvit, integram omnino recepit ſanitatem; & Deiparæ ſecundùm DEUM, cum gratiarum actione, omniumque admiratione, eandem in acceptis retulit.

## II.

### Puella Bartenſteinenſis, parentum voto Lindam facto, ab Epilepſia ſanata.

Anno MDCXLIV. ad VII. Calend. Quinctiles, Bartenſteinio (quod provinciæ Natangiæ caput, inter præcipuas Ducatus Pruſſiæ civitates cenſum, ſex circiter leucis abeſt Lindâ) parentes filiam Deiparæ coràm ſtiterunt præſentem. Quantumvis enim Lutheri ſectâ à Deiparæ cultu juxta ac ſacello arcerentur, filiæ nihilominus calamitate ad utrumque compulſi ſunt. Laborabat graviſſimè ſacro morbo filia,

nec

nec minus ſuſcepto è filiæ calamitate dolore parentes. Quoniam verò non apud ſuos duntaxat, verùm & apud cæteros mortales nihil repererunt opis, ad opem Deiparæ Lindenſis, cujus mira opera celebrari omnium voce quotidie audierant, ſe recipiunt. Vix ediderant conceptum ad Deiparam Lindenſem animo votum, cùm filia omni eſt morbo ſoluta. Ut igitur voto quoque omnes ſolverentur, Lindam ſe ad agendas DEO ac Deiparæ gratias, citra moram, contulerunt.

## III.

### Puella biennium morbo ſacro afflicta, ope Deiparæ Lindenſis per votum imploratâ, ſanatur.

Eodem Anno ad VIII. Calendas Sextiles, Matrona honeſta Angerburgo, jam aliàs hic nominato oppido, filiam puellam (quanquam utraq; alienis ab Eccleſia catholica opinionibus eſſet imbuta) ad Deiparam Lindenſem, ut gratias pro acceptis beneficiis ageret, deduxit. Biennium integrum puella, caduco illo, ut vocant, morbo graviſſimè fuit affecta, ut ſingulis propè diebus ſexies arriperetur, & miſerrimè quaſſaretur. Verùm & arripi & quaſſari deſiit, ubi B. Virginis Lindenſis præſidium implorare cæpit. Voto quippe Lindam nuncupato, omni eſt malo confeſtim exempta: & nonniſi ad agendas gratias firmandamque inſuper valetudinem Lindam profecta.

IV. Pa-

## IV.

### Parentes filium ſacro morbo laborantem, Deiparæ Lindenſi devovent, & ſubitò incolumem vident.

Ad XIII. Calend. ejusdem menſis, Schippenpeilo, quod itidem in provincia Natangia ſitum oppidum quinque circiter leucis abeſt Lindâ, parentes filii cauſâ Lindam advenerunt. Non conſtat, quanto temporis intervallo filius ſonticâ illâ lue fuerit affectus; conſtat tamen graviſſimè affectum fuiſſe; ut hæreticosquoque parentes, ad accelerandum in ea calamitate ſubſidium, Lindam uſque coëgerit recurrere. Recurrerunt illi animo, ac voto pro filio, non ſine ſingulari fiducia, ſuſcepto. Quod quidem votum, majore etjam benignitate, piiſſima DEI Mater ſuſcepit, quæ continuò ſalutem filio reddidit. Ubi id parentes adverterunt, nihil cunctandum rati, Lindam ad ſolvendum votum contenderunt.

## V.

### Mater voto Lindam facto, prolem caduco morbo liberat.

Falckenau Raſtenburgenſis municipii villa eſt, quatuor circiter leucas à Linda diſſita. Gertrudis Andreæ Folckman, ex eadem villa, conjux, teneram adhuc prolem ſuam, comitiali morbo iterum atque iterum exagitatam, maximo cum animi cruciatu, ſpectavit. Non potuit maternam pietatem hæreſis ani-

animo hauſta prohibere, quin ad B.V. Lindenſem, etjam contra ſuorum imperia atque edicta, recurreret. Recurrit voto illuc nuncupato; & confeſtim de obtenta prolis incolumitate geſtiens, Lindam ſe accingit, votum in magna populi frequentia, etjam de geniculis adorando & Aram majorem ter geniculatim obeundo exolvit, ad VIII. Calend. Julias Anni MDCLIV.

## VI.

### Duæ ſorores, per B V.Lindenſem comitiali morbo liberatæ, ſingulari pietate votum Lindæ exolvunt.

Jucundum enimvero omnibus fuit ſpectaculum ad IX. Calend. Julias Anni MDCLIV. quando Barbara & Catharina ſorores ac virgines, hæreticis parentibus natæ, & ipſæ etjamnum parentum ſectam, ore magis quàm animo ſecutæ, votum Deiparæ Lindenſi dependerunt. Georgio parente, in Municipii Neidenburgenſis pago Jeyczuk appellato, ejusdem pagi præfecto (Sculterum vulgò appellant) natæ. Altera major natu Barbara quinquennio antè, morbum ſacrum paſſa, non tam ſuo, quippe quæ per ætatem adhuc teneriorem de B V. Lindenſi inter ſectarios parum audierat, quam majorum, ac præcipuè cognatorum ſuorum conſilio votum Lindam fecerat, & ſanitatem extemplo recuperârat. Et ecce biennio interjecto, minor natu ſoror Catharina, eodem malo corripitur, atque intra diem ter & ampliùs exagitatur! Iterum cognati, quanquam Lutherani votum B. Virgini,

gini, adjuvante, &c, pro experientia, ſpem fiduciamque ſororis accendente Barbarâ, votum priori ſimile concipiunt; nimirum, ut iter, quod tridui minimum intervallo conſtat, pedibus emetiantur; ut Templum Lindenſe accenſos manibus cereos præferendo ter geniculatim circumeant; denique ut euntes ac redeuntes nonniſi emendicato pane vivant. Barbara, quæ jam aliàs peregrinationem iis conditionibus abſolverat facilè conſenſit; &, ut ſoror conſentiret, exemplo permovit. Non deerant, qui ob graſſantium eo tempore militum inſolentias, Wartemburgi, vel alio viciniore inter Catholicos loco, exolvendum cenſerent votum; ſed major erat erga conceptum animo pietatem Deiparamque Virginem reverentia, quàm ut periculis quibuscunque frangi poſſet. Quocirca, uti voverant, cùm reliquo itinere toto, tum Lindæ, ut voto ſatisfacerent, contenderunt. Neque imber prolixè effuſus, qui Lindam accedentes exceperat, impedire potuit, quin, ubi Aram ſacelli ter de geniculis obierunt, etjam ſacellum ipſum, quamvis ſolùm aquis permaduiſſet, nudis etjam genibus, paſſu quaſi ad numeros compoſito, choreâ certe etjam ſuperis gratiſſimâ, obreptarent.

## CAPUT XXIII.

Claudi, aliisque pedum vitiis laborantes, à Deipara Lindenſi adjuti.

A Sonticis morbis ad paulò mitiores tranſeamus; non quidem, quod in his minùs videri debeat Dei ac Deiparæ beneficium (cùm eadem ſit *dextera Domini faciens virtutem (a)* ſed quòd judicio hominum,

(a) *Pſalm.* 117.

num, minoribus malis remedia plerumque reſpondeant minora. Quæ tamen hîc minora dici nequeunt, quia à magna & omnipotente Dei manu veniunt: à qua, juxta regium vatem (*a*) *Magna opera Domini, exquiſita in omnes voluntates ejus*. Exquiſita prorſum; & quidem in omnes voluntates ejus; quia ut alia ſit voluntas Dei elephantum, alia culicem vel formicam creantis, utrobique tamen accuratè exquiſita eſt; quia, quemadmodum Anonymus Paraphraſtes apud Corderium exponit: *Quodlibet opus ejus, quod perficere voluit, accuratè explevit, nihil ſupervacaneum, nihil defectuoſum habens* (*b*) Quocirca, magna opera Domini in curandis morbis lonticis; ſed & in aliis, non minùs itidem magna; quia & in curatione morborum ad mortalium judicia leviorum, admodum ſunt exquiſita atque accurata. Quod jam vel in claudorum curatione manifeſtò appareat.

## I.

## Mulier amiſſum pedis utriusque uſum, Deiparæ Lindenſis ope recuperat.

Anno MDCXXXVIII. ad V. Idus Septemb. mulier quædam è Freudenberg Seeburgenſis municipii pago Ludirectoris uxor, ut voto exolveretur, Lindæ adfuit. E continuo & diuturno pedum dolore, eò devenerat, ut amiſſo pedis utriusque uſu atque officio, vix quinque pedes venire ac progredi poſſet. Quæſita ſunt, & annum integrum adhibita, quæcunque pote-

(a) *Pſalm.* 110.2. (b) ὅτι ἕκαστον αὐτοῦ ἔργον, ὃ ἐβουλήθη ποιῆσαι, ἐξηκρίβωται, οὐδὲ περιττόν τι ἔχον οὐδὲ ἐλλεῖπον.

poterant, ſubſidia; nullum tamen profuit. Neglexit proinde cætera omnia, & ad Deiparam Lindenſem converſa, ſubſidium inde quæſivit; pedes, ſi ſanitas rediiſſet, ex voto Lindam aditura. Non irritæ fuerunt preces, dolore extemplo cedente, uſus officiumque pedum rediit: & mulier, uti voverat, jam perſanata, Lindam venit; quæque per Deiparam divinitus obtinuiſſet beneficia, palàm omnibus deprædicavit.

II.

Honoratiſſimæ inter Gutſtadienſes Virgini, pes auxilio B. V. Lindenſis reſtitutus.

Loquuntur id ipſi hodieque ſuperſtites puellæ parentes; loquitur ipſa, quæ ſuperiore anno Brunsbergæ nupta eſt, primario civi Joanni Lemke; quæque ſingulis annis ob receptam à Deipara ſanitatem Lindam reviſit; denique loquitur idipſum appenſa Lindæ, inſtar monumenti, expreſſa coloribus Deiparæ Lauretanæ Imago, tres circiter cubitos longa, ſymbolis Deiparam è divinis literis adumbrantibus, & per ſua ſigillatim lemmata diſtinctis. Cui quidem Imagini, epigramma rithmis Germanicis rei geſtæ ſeriem enarrantibus, hujuscemodi adjectum eſt:

Im tauſent ſechs hundert zwey vñ vierzigſten Jahr
Hat ſich zugetragen zwar/ (terlein
Andreas Jeſichke in Gutſtad Gertrudis ſein Töch-
War gantz verlahmet an einem Bein/
Zur H. Lind den 9. Julii ſein Gelöbnuß volbracht/
Denſelben Tag Gott das Kind geſund macht
Durch Fürbitt ſeiner Mutter ſchon/
Der ſey lob/ehr/in Himmels thron.

Javat

Juvat id Latinis jambis reddere:

*Primo ac quaterdecimo huius anno ſeculi,*
*Gertrudis Andreâ parente Ieſchkio*
*Prognata Gutſtadi, pedem clauda alterum,*
*Ad ſeptimum Idus Iulias, Linda ſuo*
*Defuncta voto, Numinis ſummi manu,*
*Precibusq; Deiparæ, ſaluti priſtinæ*
*Eſt reſtituta. Laus ſit inde Virgini,*
*Quæ regnat excelſo poli ſuper throno.*

Cæterùm ipſa rei ſeries, quam ex altero parentum Lindæ paucos ante dies præſente audivi, ita habet. Nonum circiter agebat ætatis annũ Gertrudis, cùm, præter omnium ſpem, alter illi pes contractus eſt, ut tribus circiter palmis brevior altero eſſet. Satis inde erat incommodi, quod neque progredi quoquam, neque inſiſtere pedi ullo modo poſſet; ſed acceſſit inſuper dolor per quàm vehemens; qui & puellam, & parentes nimium quantum torquebat; ut nihil, quod vel à chirurgia vel à medicina ſumi poſſet, negligerent remedii, ſed quid remedii ars & humana admoveret manus ei malo, quod præſidia humana ſuperabat omnia? Verſi quocirca parentes ad divina, Lindenſis ante omnia Deiparæ opem implorant, & filiam è veſtigio Lindam uterque deportant. Ecce autem, ubi Lindam propius acceſſerunt, alter quoque pedum, qui eò uſque ſanus atque incolumis erat (fortaſſe ut divina, quæ paulò pòſt ſecuta ſunt præſidia, manifeſtiora inde redderentur) quanquam nihilo contraheretur, immani corripitur dolore! Quò magis parentes ad implorandam Deiparæ opem accenſi, filiam manibus de curru & ſtrato (cui quàm mol-

liſſimè ob doloris acerbitatem involvi debeat) ſublatam, ſacro Lindenſi ſacello inferunt; & circum aram, pro more, ter non tam incedentem, ac ne repantem quidem, quàm manibus, ut antè, ſublatam circumducunt. Profuit id, ut dolor ille, qui nuperrime acceſſerat, extemplo recederet, puellaque jam inde altero pedum niti haud mediocriter poſſet. Inde parentibus aucta, de alterius pedis ſanitate, ſpes atque fiducia. Tametſi enim Lindâ perinde ægram, atque Gutſtadio eduxerant, reducerent, minimè tamen dubitabant, affore, cùm ſupremo placuiſſet Numini, integram filiæ ſanitatem, neque ſpes in irritum vertit. Poſteaquam enim domum reduces, ad proximæ villæ, quinque circiter paſſuum millibus inde ſitæ, diverſorium ſeſe receperunt, atque ut famuli puellam de curru ſtratoque, quàm cautiſſimè levatam, ad conclave deportarent, imperârunt, puella accedentibus ad ſe famulis, deſcendere jam de curru ipſa ultro per ſe nitebatur: ſed juſſu parentum, ne id faceret, prohibita, familiæ manibus intrò deportata nonnihil conſedit. *Protinus* (quis enim vetet in cauſa haud diſſimili, ſimili divinæ Scripturæ exemplo verbisque (a) uti) *conſolidatæ ſunt baſes eius, & plantæ: & exiliens ſtetit, & ambulabat, exiliens & laudans* Deum. Nam & hîc crura ac tibiæ, quæ ſunt humani corporis baſes, priſtino roboti viribusque ſunt reſtitutæ; & puella non modò leniter inambulans, verùm & præ gaudio exiliens, ad ſororculam natu minorem, accurrit, eamque complexa chorearum in morem tripudiare cœpit: non ſine *ſtupore*, ut iterum citatum Scripturæ locum,

(a) *Actor.* 3. 7.

cum, exemplumque imitemur, *& extaſi* cùm cæterorum omnium, tum maximè parentum. Qui quidem, beneficii tanti haud immemores, in grati animi reiq; geſtæ monumentum, memoratam Deiparæ Lauretanæ Imaginem, eique adjectum epigramma, divæ Lindenſi conſecravit, & ipſi inſuper, unà cum liberis, ſtatâ quovis anno peregrinatione, præſentes eandem venerantur.

III.

Civi Brunsbergenſi pedum uſus reſtitutus.

Anno MDCXLIII. Jacobus Hepner civis Brunsbergenſis, pedes inde uſque ad Lindam Marianam venit. Et ſanè decuit peditem, quamvis ſatis longum arripere atque decurrere iter. Uſum enim pedum, quem prorſum amiſerat, Deiparæ Lindenſis auxilio, paulò antè receperat.

IV.

Biſteinenſis puella, amiſſum utriusque pedis uſum mirâ B. Virginis ope apud Lindam recipit.

Anno MDCXLIV. ad XI. Calend. Junias, tenuioris quidem fortunæ, famæ tamen integerrimæ puella, ex oppido Biſchoffſtein, fulcris nixa Lindam uſque perrepſit. Diuturnus & gravis admodum dolor, omnem ei propè ademerat pedum uſum; ſed fiduciam ad Deiparam Lindenſem, adimere, quantumvis afflictæ, haud potuit. Pro illa igitur fide ac fiducia, votum ad B. Virginem ſuſcipit, & iter Lindam uſque,

 quoad

quoad potuit, etjam pedes, fulcris nixa, abſolvit. Abſoluto itinere, ipſa quoque abſoluta eſt morbo. Simul enim ac ſacellum eſt Lindenſe ingreſſa, pedes ita ſunt è veſtigio reſtituti, ut & conſiſtere, & progredi quaquaverſum probè poſſet. Fulcra igitur, quibus jam non egebat, recuperatæ valetudinis anathema, in eodem appendit ſacello.

## V.

### Vir militaris ob curationem pedum Anathéma ſuſpendit.

Anno MDCXLVIII. argenteum Deiparæ anathema dicavit Joannes Schwenck, cùm aliis de cauſis, tum quòd pedum cruciatibus per B. V. eſſet exemptus. Huic rei argumento eſt lamina argentea, in pedis haud exigui figuram efficta; cui linguâ Germanicâ hujusmodi eſt adjectum epigramma:

Joannes Schwenck verehret dieſes Schild/Gott vnd vnſer L. Frawen zu ehren / weil er in Königsberg vnter Churfürſten von Brandenburg / auch in der Moskow viel gefahr erlieden in Kriegsgefahr/ 1648.

## VI.

### Hortulanus è Maſovia, diſſolutis pedum & dimidii corporis nervis ac viribus, integrè apud Lindam Marianam curatus.

Quod ſequitur, ſyngraphis & juramento nobilium, è Maſovia virorum, quos digniſſimos fide teſtes inducemus (quippe omnes Lindæ Anno MDCLI. ipſo

Natali B. Virginis die præſentes adfuerunt, & tum ibi, tum aliis deinceps locis, rei geſtæ ſpectatores atque teſtes fuerunt) egregiè ſtabilitum eſt. Hortulani partes agebat apud nobilem virum D. Jacobum Gorsky; nomen homini Matthæus erat: villæ autem, in qua degebat, itidem nomen Gorky, haud procul oppido Colno, in Ducatu Maſoviæ ſitæ, & ad Parochiam Lachovicienſem pertinentis. Is ante ſeſquiannum, cingulo tenus, ad extimos uſque pedes, nervis artubusque ita diſſolutis erat, ut neque pedibus, neque genibus poſſet inſiſtere; ſed manibus duntaxat nixus, reliquam corporis molem trahere per villam ſolitus eſſet. Edoctus interea de divæ Lindenſis in afflictos beneficentia, votum ſuſcipiendæ ad ſacram illius Ædem peregrinationis nuncupat; & ſubitò revaleſcere ita cæpit, ut non modò fulcris conniti, verùm & viam Lindam versùs ingredi poſſet. Illo ergo fulcrorum, multò verò magis B. Virginis comminiculo, viam ſexaginta millium paſſuum Lindam uſque emenſus eſt. Cæterùm Lindæ voto ſolutus, multò, quàm venerat, vegetior ſenſim domum ſuam reverſus eſt. Ubi limen domus attigit, magis etjam confirmatas expertus eſt totius corporis vires, ut abjecto altero adminiculo, altero duntaxat niteretur. Quo quidem interea per annum, non ſine maximo ſuo commodo uſus, ſequente deinceps anno, ad gratias Deo & ſoſpitatrici ſuas agendas, iterum Lindam perrexit; & qui beneficii accepti memor, gratias ex animo egit, majorem etjam Deiparæ gratiam expertus eſt. Poſtquam enim pridie Natalis B. Virginis ad

Templum venit, ita prorſum convaluit, ut nullius prorſum adminiculi egens, ſuis viribus in conſpectu omnium ſolidos figeret greſſus. Quod, præter alios teſtes jurati ſubſcripsêre viri nobiles, quorum antè meminimus, *Ioannes Gorsky manu propriâ; Albertus Obiedzinsky manu propriâ. Adamus VVikovvsky manu propriâ*. Lindæ die VIII. Sept. præſentibus & audientibus Societatis JESU Patribus Jacobo Herdell, Friderico Protman, & Petro Althoff.

## VII.

### Sartor claudus, Deiparæ Lindenſi recuperatam ſanitatem in acceptis refert.

Eodem Anno IV. Non. Junias, ſartor quidam paullò antè claudus, jam verò tum probè ſanus, Deiparæ apud Lindam gratias egit. Sicut enim, qui rectum pedum uſum, nullum habebat, culpâ ſuâ (quam Dei vindicta ponè comitari ſolet) pedibus orbatus erat; ita qui Deiparæ Lindenſis beneficio atque ope, cui voto ſe addixerat ſingulari, uſum pedum recepit, ipſos ſibi pedes iterum videri potuit recepiſſe.

## VIII.

### Vuslacenſis colonus, incedendi facultatem impetrat.

Ipſis dicti menſis Nonis, Martinus Kraus è Wuslak Heilsbergenſis municipii pago, Lindæ adfuit; & beneficii à Deipara accepti memor juxta ac gratus, voto, quo obſtrictus fuerat, ſeſe abſolvit. Promiſerat enim,

enim, ſi vitium pedum (quibus diu malè affectis claudus jam evaſerat) Deipara ſuſtuliſſet, aditurum ſe ſacratam ipſi Lindam, & preces, pro obtenta incolumitate, cum gratiarum actione cumulaturum. Suſtulit, quod rogata erat, vitium Deipara; neque ille diſtulit, quod pollicitus erat, confiteri, & in ſacra Deiparæ Æde beneficium prædicare.

## IX.

### Matronæ duæ Vormditenſes pedum manuumque ſanitatem à B. V. obtinent.

Non facilè divinaris, pedum an manuum gravioribus afflictæ fuerint cruciatibus, ac vitiis, duæ è Vormditenſi civitate matronæ: quæ pridie Idus ejusdem menſis Lindam acceſsêre. Utraque & manus & pedes, graviter affecta erat; proinde utraque ad Deiparam Lindenſem, primùm quidem voto ritè conceptam recurrit. Deinde verò ob incolumitatem ſecundùm vota receptam, utraque Lindam gratias actura, non ſine gaudio ſuo, & ſpectantium admiratione voluptateque ſingulari accurrit.

## X.

### Virgo Heilsbergenſis, octo annos è pedibus ægra, ſanatur.

Sub idem circiter tempus, Barbara virgo Heilsbergenſis, octo annos graviſſimè pedibus laboraverat: voto autē Lindā facto, repente convaluit. Unde nihil amplius morandū rata, reſtitutum gradiendi officiū, nul-

nulli priùs quàm Deo, & Deiparæ impendit. Suis ergo pedibus Lindam profecta, votum cum ſingulari gratiarum actione dependit.

## XI.

### Claudo pellionis Allenſteinenſis filio, magna cum admiratione & gaudio civitatis, ſanitas Lindæ reſtituta.

Annuam, pro more aliàs nobis laudato, ſupplicationem inſtituerat ad Lindam Marianam civitas Allenſteinenſis menſe Julio milleſimi ſexcenteſimi ac quinquageſimi primi Anni. Honoratiſſimos inter cives, qui ut aliàs, ita eo tempore frequentiſſimi aderant, ſpectabilis erat N. Thiel pellionis filius, non tam à genere, quàm à fortuna Claudius, vel Scipio dicendus. Plures enim annos claudus, nonniſi fulcrorum adminiculo greſſum domi forisque promovebat. Ea nihilominus fuit adoleſcentis pietas, & in B. V. Lindenſem religio, ut ab illa civitatis ſupplicantis pompa abeſſe nollet; & majore animi alacritate, quàm virium facultate, octo circiter leucarum iter unà ingrederetur, ac fulcrorum ſuorum adminiculo magis perreptaret, quàm decurreret. Et verò placuiſſe magnæ Dei Matri eam animi pietatem, reſtituta præter ſpem ſanitas argumento fuit. Subitò enim, civitate coràm ſpectante, ita perſanatus eſt, ut nullum ſupereſſet clauditatis ſignum. Quod inter cæteros ſpectavit, & hunc in modum ſubſcribendo teſtatus eſt reverendus Dominus, *Andreas Kratevvsky, tunc Capellanus Allenſteinenſis, nunc Parochus Collenſis manu propriâ.*

XII. Dux

## XII.

### Duæ fœminæ Brunsbergenſes, voto Lindam nuncupato, pedum aliorumque membrorum ſanitatem receperunt.

Earum altera fuit Anna Lahmſche, altera Catharina Joannis Schultz, civis Brunsbergenſis uxor. Illa non modò claudicavit, verùm & magnis aliis doloribus propè ad mortem, ut in commentariolo ſcriptum eſt, preſſa, ubi votum ad B.V. Lindenſem nuncupavit, tertio inde die omni morbo ſoluta fuit. Hæc verò pedum uſu, præ morbi omnes artus pervadentis acerbitate, deſtituta, ſolidum annum lecto affixa decubuit. Poſteaquam verò (uti maritus ejus ad IV. Id Julias, Anni MDCLIV. Lindæ coràm eſt teſtatus) votum ad B.V. Lindenſem concepit, ſtatim convaluit, ita ut poſtero die, qui erat D. Thomæ Apoſtolo ſacer, domo progredi, & ad ſacram Ædem, citra ullius adminiculum, conferre ſe potuerit.

## XIII.

### Mulier diuturno genuum & oſſium dolore liberata.

Anno MDCLIV. Nonis ipſis Julii, pedes Lindam, ex pago Ruſch dicto, advenit præter ſuam multorumque ſpem mulier, quæ integras quindecim hebdomadas decubuerat. Ita enim dolor intimus genua atque ipſa occupârat oſſa, ut iis præ nimio cruciatu etjam diſtentis ac propè diſtractis vix decumbendi

ac quieſcendi facultas eſſet; tantùm aberat, ut liberet aut liceret, pedibus viam, præſertim longiorem, capeſſere. Licuit tamen, ubi ægra voto Lindam facto, repente convaluit.

## XIV.

### Ex appenſis Lindæ fulcris, atque pedum anathematis claudorum æſtimandæ ſunt curationes.

Claudos hactenus memoratos, aliisvé pedum vitiis gravatos, par erat ſequi hoc loco omnes, qui vel fulcra atque ſuſtentacula lignea, vel etiam fuſos de argento, fictosvé de cera pedes appenderunt: verùm quia illorum nomina omnia clàm ſunt; vel, ſi quorundam inſcripta ſunt nomina, ipſa tamen accepta divinitus beneficia ignorantur, ne à me quidem revelari poterunt. Qui tamen, vel ſua duntaxat nomina argento incidi curârunt, prætereundi hîc à me non ſunt; ut, ſive ſuperſtites, ſive defuncti ſint, tanto ipſi pro acceptis beneficiis ſe exhibeant gratiores, quantò ea minùs hîc memorari à me poſſe videnr. Præter igitur argenteas pedum formas, quas ſive Joannes Schwenck, de quo capite hoc actum eſt, ſive alius ignotus hoc ipſo quinto, ſupra quinquageſimum ſeculi hujus annum, de quo ſequente libro, obtulerunt, in oculos cùm primis incurrit pes dexter paulò major, & ad unius fere cubiti magnitudinē de argento, ut videtur, ſolido fuſus, cui hæc à tergo adjecta eſt inſcriptio: Deo *& Deipara; voti reus Matthias Zechius Decanus Gutſtadienſis 1641. 2. Iunii.* Minor aliquan-

quanto eſt, pes alius itidem dexter; cujus epigraphe eſt, *Catharina Thielhemni* 1646. Tertio itidem dextro literæ ſequentes inſculptæ; *G. T. R B. V. S.* 1651. Similiter inter pedes ſiniſtros, cuidam inſcriptum, 1646. *Loremz Reis*. Plures aliæ ſunt pedum effigies, quæ nullam proſus inſcriptionem habent: hominum tamen, qui eas dedicârunt, nomina, quin melioribus Tabularii cæleſtis inſcripta ſint faſtis, minimè dubito. Quod & de iis, qui tam multa pedum fulcra, ſuſtentacula, & adminicula Lindæ appenderunt, cenſendum puto. Hæc enim, quod jam aliàs dictum, quò ad aſpectum viliora ſunt, eò manifeſtiora, quin & auguſtiora ſunt beneficentiæ pietatisque divinæ monumenta.

## CAPUT XXIV.

Claudis, etjam à catholica Eccleſia alienis, ſanitas per B. V. Lindenſem collata.

CUm cæteris plerumque ſectariis, tum iis potiſſimùm, quæ in Ducatu Pruſſiæ haud procul Lindâ, incolunt, occinendum eſt illud Eliæ Prophetæ (a) *Vſquequo claudicatis in duas partes?* Nam & miracula divæ Lindenſis, & fidei catholicæ veritatem negare plerique amplius non poſſunt; & tamen ut ſe ad catholicam Eccleſiam conferant, impelli nolunt. Senſim tamen, vel ipſis Deiparæ beneficiis eriguntur, ut ſublatis corporum morbis, animi quoque morbis pedetentim leventur.

I. Mu-

(a) 3. *Reg.* 18. 21.

## I.

### Mulier plures annos clauda, voto Lindam facto, ſanatur.

Incertum quot annis eo pedum vitio (quod Anno denique hujus ſeculi tertio ſupra quinquageſimum fuit divinitus curatum) mulier in Raſtemburgenſi municipio degens laborârit. Aliquot tamen annos laborâſſe commentarioli produnt Lindenſes. Implorata haud dubiè fuerunt, quæ poterant, auxilia conſiliaque humana omnia; ſed his nequidquam adhibitis, faciliora ac promptiora fuerunt divina. Divæ enim Lindenſis invocatione atque voto ex more concepto recreata primùm, ac roborata; deinde etjam probè perſanata, ad IX. Calend. Julias votum, & gratias Deiparæ, coràm Lindæ perſolvit.

## II.

### Tumor, & inveterati pedum morbi curati.

Eodem Anno ſub exitum menſis Maji, coràm itidem Lindæ voto defuncta eſt Helena Bartholomæi Bolowsky, ex oppido Lick, duodecim leucas à Linda ſejuncto, inquilini uxor. Ad ſævos pedum cruciatus tumor inſuper diuturnus juxta ac enormis acceſſit. Inter alia remedia variè ſæpiusque adhibita, etjam vota & donariola per alios Lindam miſſa. Sed cùm neque iſta prodeſſent, amicorum ſuaſu, votum ſiſtendi ſeſe coram Deiparæ, ac ſacrum ejus Ædem ter geniculatim circumeundi con-

di concipit; & ſubitò, ut votum nuncupavit, tumor omnis ita reſedit, ut ne quidem veſtigium ſupereſſet ullum.

III.

Clauda Lindæ ſanitati reſtituta, fulcrum anathematis loco, ibidem ſuſpendit.

Libertino cuidam provinciæ Elbingenſis filia erat Barbara, alterum pedem clauda, ut illi, citra ſuſtentaculi adminiculum, nulla incedendi facultas reliqua eſſet. Cæteris medicis in caſſum remedia adhibentibus, ad homines quosdam Catholicos ſubſidii conſiliique causâ acceſſit. Illi ad divam Lindenſem ſuadent recurrendum. Paruit illa, ſeque Lindam curru deportari, ac viro Catholico duce, ter circum Aram majorem geniculatim duci curavit. Eodem loco ac momento, ſanitate redditâ, alacris ſurrexit, & fulcrum, quo hactenus nixa, etiamque ſacellum ingreſſa fuerat, nulli deinceps ſibi futurum uſui, perpetuum ſanitatis monumentum ibidem ſuſpendit Anno MDCLIV. ad IV. Calend Julias.

IV.

Mulier, à fide catholica aliena, B. V. Lindenſem in curando pede minimè alienam experta.

Inſterburgum, opulenta ac populoſa in Ducatu Pruſſiæ civitas, Polonis vulgò *Inſtrucie* dicta, leucis circiter, vicenis Lindâ abeſt. Inter pagos ad ejus civi-

tatis

tatis pomæria ſpectantes, quidam eſt juribus & dominio Dominorum Dœnhoffiorum obnoxius; in quo Anaſtaſia mulier, Joannis Szymanowicz uxor degebat, alterum pedem clauda, ut ſurgere è ſtrato nulquam poſſet. Integros tres annos ita lecto affixam Deipara tandem relaxavit. Apparuit quippe dormienti, matronæ cujusdam ſpecie, &, ſi levamen ſanitatemque conſequi porrò vellet, Lindam curationis causâ ut adiret, commonefecit. Paruit monitis afflicta dudum mulier, & ſimul ac ſomno eſt ſoluta, voto ſe de itinere Lindam ſuſcipiendo obſtrinxit; eademque horâ, quia ſe omni morbo levatam advertit, lecto ſe proripuit, & citra offendiculum aut dolorem quaquaverſum, prout libuit, perambulare cæpit. Neque porrò iter Lindenſe ingredi diſtulit: Ad VIII. Cal. Aug. Anno MDCLIII. Lindæ coràm adfuit & facellum geniculatim ter obivit; gratias, quas potuit, Deo, juxta ac Deiparæ, ſupplex ac venerabunda egit. Quod ut cumulatius faceret, mulier alioqui non omnino pauper, viam, pro multorum more, nonniſi emendicato pane abſolvit.

## CAPUT XXV.

### Podagrici ope Deiparæ Lindenſis adjuti.

APologus, quem veteres de podagra & aranea ſimul peregrinantibus argutè finxêre, hodie quoque ſibi videtur utcunque conſtare. Ut enim fortaſſe aranea, nonniſi ad pauperes fere divertat, certè podagra, quemadmodum Mors; canente Poëta, *æquo pulſat pede, pauperum tabernas, regumque turres*. Sed nos hic

hic podagram pauperum tabernis excluſam mittamus, ut ſimul eandem regum magnatumq́ue turribus, Deiparæ Lindenſis ope excluſam contemplemur.

I.

Illuſtriſſimus magni Ducatus Lituaniæ Cancellarius, magnum ſe à Deipara Lindenſi levamen in podagra expertum teſtatur.

Nondũ ſatis maturo Anni MDCLIV. vere, appulit Reſſelium novus Collegii Rector, P. Petrus Steffanowicz & unà ſecum geminos ex argento pedes affabrè elaboratos, Deiparæ Lindenſi attulit dicandos. Miſſi fuerant à Magno magni Ducatus Lituaniæ Cancellario, S.R.I. Principe, in Olyka & Nieſwiez Duce, Alberto Stanislao Radivilo; qui frequenter è Lituania in Pruſſiam ultro citroque commeando, nullam reviſendæ B. Virginis Lindenſis occaſionem nactus fuerat; quoad denique Anno MDCLIII. Tucholiâ in Lituaniam redux, Lindam versùs iter ſtudio flexit Reſſelio; ut Deiparæ Virgini (quam & pleriſq; libris, tanto Principe haud indignis, jam aliàs ab ſe editis, & pluribus virtutum ſuarum exemplis, longè lateq́ue celebrârat) pro ſuo, aliorumq́ue more, ſupplex apud Lindam coràm fieret. Gratum fuit Deiparæ id clientis ſui officium, ſive enim ille ſupplex ab illa popoſcerit, ſive etjam illa ultro clienti ſuo largita id fuerit, podagra certè & qui ex ea dolores ac cruciatus, pertinaces juxta ac vehementes, diſtringere ac diſtinere pedes ſolent, magnopere eo anno remisêre. Quod ille, cùm advertiſſet, non potuit committere,

quin

quin tantæ Patronæ ac ſoſpitatrici aliquod grati animi monumentum ſubmitteret. Miſit proinde jam memoratas pedum effigies. Quas quidem, quemadmodum & dicta virtutum exempla, quotquot in tanto Principe fuerint contemplati, nunquam ſe à terra rebusq; terrenis promovere, & progredi ad cæleſtia deſiſtent.

## II.

### Illuſtriſſimus Epiſcopus Varmienſis, ſingulare apud Lindam Marianam podagræ levamen, ſæpius expertus.

Quo cultu Lindam Marianam proſequatur, quo item propagandi ejusdem cultus Mariani ſtudio feratur, Illuſtriſſimus Wenceslaus Comes de Leſno Epiſcopus Varmienſis, jam aliàs (a) ſpectari potuit. Mirum quocirca videri non debet, ſi ipſa viciſſim Deipara Lindenſis, tam ſtudioſum ſui clientem pari, quin longè etjam majore proſequatur ſtudio; &, cùm cæteras in eo animi corporisque dotes foveat atque augeat, tum etjam inolitos cum tempore morbos, aut penitus levet, aut majorem in modum leniat. Conſtat, quibus ille chiragræ ac podagræ doloribus identidem affligatur; par eſt, ut conſtet, quibus ille præſidiis contra eosdem armetur. Quanquam enim ille, apud Badenſes in Auſtria thermas, quas iterum atque iterum reviſit, non minimum expertus ſit dolorum illorum levamen, non tamen minùs ſe in Lindæ Marianæ umbra fatetur reperiſſe medecinæ. Haud ita longo temporis intervallo accidit, ut Elbingæ (quæ inter primas Regiæ

(a) *lib. 4. cap. 6.*

Pruſ-

Pruſſiæ urbes numeratur) Divæ Lindenſis, mirorumque apud ejus Lindam Dei beneficiorum mentio incideret; cùm nonnemo civium, cætera quidem haud ignavus negotiator, verùm fœda Mennoniſticæ ſectæ lue (quæ à Batavis in Pruſſiā prorepſit) miſerè corruptus, pro more & ſalibus ſcilicet iſtiusmodi ſectarum troſſulis in ſaliva natantibus, interceſſit, &, ecquid podagra, inquit, quâ Varmienſis Epiſcopus identidem laborat, apud Lindam curatur? Quod ubi Illuſtriſſimus Antiſtes auditione accepit, præſente viro, è Ducatu Pruſſiæ, eximie illuſtri, enimverò, curatus, inquit, eſt, & adhuc curatur! tum ad eum, cui hiſtoriæ Lindenſis cura non minima incumbebat, Eja Pater, inquit, vide, sîs, ut & hæc ad Dei Deiparæque gloriam literis mandentur.

Atq; hæc tum, pro Deiparæ honore magnus Antiſtes; neque minora pro ſui clientis incolumitate, eodem ferè tempore, cæleſtis Patrona. Cùm enim ille pro ſingulari, qua plurimum excellit, prudentiâ, uti cæteris in rebus, ita in curanda quoque valetudine, divinis humana jungeret præſidia, Badenasque iterum deſtinaſſet iter ſuſcipere; non potuit à recepto ſibi more recedere, & ante divinum, per Divam Lindenſem, auxilium non implorare. Aſpera erat hyemis Anni MDCLIII. tempeſtas, ſed menſe Februario omnium aſperrima; nihilo minus ipſe eodem ipſo tempore, atq; ſub ipſum Februarii initium, Lindam perrexit; ut, profeſtâ Purificatæ Virginis luce, coram adeſſe, &, ſi per valetudinem liceret, etjam ad Aram facere poſſet. Et adfuit ille quidem; ſed quia pedibus ne quidem inſiſtere poſſet, ſuccollantium

 tium

tium baculorum manibus intra sacellum deportatus; ubi, dum inter alia beneficiorum divinorum monumenta, ad majorē Aram suspensā etjam memorato magni Ducatus Lituaniæ Cancellarii intuitus pedes, eos ob singulare à Deiparæ in podagricis cruciatibus levamen dedicatos esse didicisset; ductis ab imò pectore suspiriis. Ego verò, inquit, si in simili positus necessitate, per Deiparam fuero adjutus, non argenteos duntaxat, verùm & aureos eidem pedes dedicavero. Poterant, hæc subito quodam animi impetu, alicui videri dicta; at subitum, & eo loci vix agnitum, tametsi præsens Deiparæ auxilium, probavit, diviniore quodam instinctu fuisse dicta. Ab eo quippe temporis momento (quanquam ipse in se nō respiceret, atque animo per piam meditationem aliò fortasse avocato, quid obtinuisset, necdum sentiret) vires animi corporisq; ita auctæ sunt, ut continuò animus ac desiderium subierit, sacris in asperrimo illo, & podagricis, chiragricisq; doloribus plurimùm adverso frigore operandi. Nō deerant, qui quodammodò comperendinandum, & id genus officii divini, in aliud tempus suaderent differendum. Verùm major erat ille animi impetus, qui etiam corporis vires haud dubiè intendebat, quàm ut ullius frangi oratione posset. Quocirca is, qui vix momentis aliquot elapsis, consistere ac niti suis pedibus haud poterat, suis se viribus erigit, ad aram progreditur, & longè supra dimidiam horam, in ea, quam diximus, frigoris pertinacia facit: tum iterato in preces, gratiasq; pro more agendas effusus, quanquam suarum sibi virium necdum subiret animo conscientia, iterum



Digitized by Google

ſe non modò ſponte ſuâ erigit in pedes, verùm & ſacellum, quà oculis quà etjā pedibus quaqua verſum dimenſus, pedibus quoq; ſuis ad currū uſq; progreditur; quin & Reſſelium delatus, necdum tamen virium ſuarum ſibi conſcius, de curru ultro deſcendit, & citra ullum bajulorum adminiculum, pedibus ſuis intra ſocietatis Collegium aliquot jugerū emenſus ſpatiū, ubi intra triclinium obambulare pluſculum cœpit, quaſi ad ſe primùm reverſus, & quadantenus attonito ſimilis, ad præſentem Vicarium generalem, Reverendiſſimum Dom Albertum Pilchowicz (qui unà Divā Lindenſem viſitârat) Quid hoc, inquit, rerum eſt! Ego Lindam cùm pergerem, conſiſtere pedibus non potui; at potui Lindæ ad Aram tanto tempore faciendo ſtare, potui ſacellum perambulare, potui ad currum uſque perreptare, potui huc delatus non modò de curru, pedibus, viribusque meis deſcendere, ſed & tot paſſus ad hunc uſque locum citra difficultatem emetiri, poſſum denique etjamnum ſtare inambulare, & quaquaverſum progredi. Nunquid hæc manifeſta ſunt Deiparæ Lindenſis beneficia? Nemo omnium erat, qui idipſum cenſeret; quippe qui beneficii magnitudinem, non oculis duntaxat, verum & manibus ſibi viderentur ſuis uſurpare Dabant proinde omnes Deo & Deiparæ laudem, quæ Antiſtitem ſuum paucos ante annos (quod ſuo loco (a) videbimus) maris & præſentis naufragii, nunc verò tantis hiemis frigoriſque exemptum periculis, etjam graviſſimis podagræ liberaſſet cruciatibus. Iam verò ipſemet Antiſtes multò



(a) *lib. 4. cap. 31. §. 1.*

Digitized by Google

accuratius, tum hujus tum aliorum Deipar Lind. beneficiorũ magnitudinem, apud animum suum trutinat. ac, si per belli temporumq; iniquitatem liceret, brevi oculis omnium, gratissimi in B. V. Lindensem animi objiceret monumentum.

III.

Hæreticus quoque verbi Minister, per Deiparam Lindensem à podagra curatus.

Severum Imperatorem ex podagra claudicantem, atq; idcirco, velut imperio à quibusdam indignum habitum, Xiphilinus & Dio ferunt, illos sui contemptores in jus vocâsse, & capitali sententia perculisse. Qui delicti veniam, cùm à Cæsare peterent, audiverunt, nullam ipsis eâ sententiâ factam injuriam, ex qua discerent, atque adeo jam sentirent non pedes sed caput in homines sceleratos jus dicere atque imperare. Neque Cæsar, neque Imperator erat, in pago Alt-Tolcksdorff, Lindâ haud longè dissito, verbi, ut vocant, Minister sectarius: Severum tamen fuisse, vel supercilium, quod istius generis homines, plus quàm Basilicum sibi sumunt, abunde probat. Neque claudicatio Severi Imperatoris nostro isti severo, quam ex podagra contraxerat, deesse potuit: quanquam major insuper animi clauditas, qua & à Catholica Christi Ecclesia, & à salute exerrabat sua, non defuit. Sed de hac, minus, ut fieri solet, solicito homini, prioris illius curandæ solicitudinem omnem podagrici dolores intenderunt. Quid nõ egit rabula hæreticus? quo se auxilii causâ nõ vertit? Ad extremũ compulsus est, apud Lindam Marianam implorare opẽ. Quò cùm venisset, &, quantumvis

vis immeritus atq; indignus, opem nihilominus de conſueta Deiparæ benignitate inveniſſet, adeoqúe eo ipſo in loco podagræ cruciatibus liberatus eſſet, ſtupenti ſimilis (quemadmodum magnus ille Vir, quem honoris causâ toties appellamus Otto à Grœben auritus teſtis, & ex illo P. Simon Hein in commentariolo retulit) patriâ linguâ exclamavit: Verè locus iſte ſanctus eſt! Credidiſſes, aliquem Jacobum Patriarcham audire te diſſerentem, atque illud (a) Patriarchæ Jacobi uſurpantem: *Verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam! non eſt hîc aliud, niſi domus Dei & porta cæli*: ſed Miniſtris, uti ſolenne eſt uxoris quærendæ causâ, vel in Moſopotamiam Syriæ cum Jacobo peregrinari ita inſolens omnino eſt, ſcalā ad cælos uſq; pertingentē, aſcendentesq; & deſcendentes per eam Angelos cernere, ne dicam comitari.

## CAPVT XXVI.

**Manci, & brachiorum, manuumvé morbis affecti, opem B. Virginis Lindenſis conſecuti.**

MAnibus pedibusque in ſententiam ire, fuit olim proverbio, inter veterum judicia locus; ſit & nunc inter collecta magnæ Dei Matris præconia. Cujus in mortalium pedes beneficia ſanitatum, cùm paulò ante retulerimus, jam ad manus, earumq; curationem accedendum nobis eſt.

### I.

**Diuturnus brachii dolor, ope B. V. Lindenſis, votoq; ad eam concepto, depulſus.**

Calendis Juniis, Anni MDCXXXVIII. ut Deo



(a) *Gen.* 28.16.

ac Deiparæ gratias, quas debebat, ageret Michaël Gerich è Seiberswald municipii Seeburgensis pago æditus ac pædotriba, Lindam venit. Longo ac permolesto brachii cruciatu, ut ipsemet conscientiæ suæ arbitro palàm explicuit, districtus erat; cùm interea uxor mariti vices cruciatusque miserata, ut Peregrinationis ad Divam Lindensem votum nuncupet, enixè consulit. Audit ille, & supra peregrinationem, tum peccatorum suorum exomologesin, tum sacri epuli synaxin, in sacra Lindæ æde vovet. Necdum tertius à voto nuncupato abierat dies, cùm omni dolore ac morbo solutus, Lindam sine cunctatione adiit, & gratiis semel actis, semper agendas, quin & referendas, quoad quidem posset, adjecit: promissâ nimirum annuâ, quoad vita suppeteret, ad Deiparam Lindensem peregrinatione, & Sacramentorum pænitentiæ atque Eucharistiæ usurpatione.

## II.

### Brachium periculosè luxatum, voto ad B. V. Lindensem facto, restitutum.

Eodem Anno atque mense, 3. Calend. Iul. votum Lindæ solvit, grata erga Deiparam, Ioannis Lobensteni uxor. Luxaverat illa casu, incertum quo, brachium; unde ad ingentes cruciatus, tumor accessit propè enormis Quamvis autem brachium ita luxatum, quaternis jam vicibus, suo esset loco restitutum, tamen pristina atque usus brachij restitutus non est. Simul ac votum mulier

Divæ

Divæ Lindensi ritè nuncupavit, simul dolor atque tumor inveteratus abiit, nec non usus brachii ad munia quæque ritè obeunda integrè rediit.

## III.

### Alter brachii, pedum alter usum, Deiparæ ope recuperârunt.

Duo è Meelsaccensi municipio homines, ad XV. Cal. Iul. Anni MDCXXXIX. voti reddendi causâ Lindam advenerunt Brachium alter, alter pedes miserum in modum habebat affectos. Pertentata sunt, quæ usquam reperiri poterant, tantorum remedia malorum, sed nulla prorsum reperta, quemadmodum ipsimet sunt palàm fassi. Quò gratioribus etjam animis fassi sunt B. V. Lindensi sanitatem (quam aliunde sperare quidem poterant, obtinere vero nullo poterant modo) in acceptis esse referendam.

## IV.

### Nobilis è Masoviâ matrona, ob restitutam sibi manum, argenteum manus simulacrum B. Virgini Lindensi offert.

Tot sunt hujus rei testes oculari, quot publicæ supplicationi è Masovia ad B. V. Lind. Anno MDCXLI. institutæ, & ad duodeviginti circiter leucas, solenni pompâ & eximiâ pietate Lindam usq; deductæ præsentes adfuerunt. Adfuit enim inter alios, matrona

nobilis Sophia Borska, quæ in obtentæ per Divam Lindenſem ſanitatis, Teſſeram, argenteum reſtitutæ ſibi manus ſimulacrum, eidem ſupplex offerebat. Qua de re, cùm ipſius ac totius dictæ ſupplicantium turmæ Dux & Curio, ſcriptum reliquerit teſtimonium, operæ precium eſt, idipſum ad poſterorum memoriam Deiparæque laudem, hoc loco recenſere. Sic autem Latinè è Polonico idiomate reddi poteſt:

*Anno Domini, milleſimo ſexcenteſimo, quadrageſimo primo, die prima Iulii, Nobilis Domina Sophia Borska, ſolennem, quam ad ſacrum Lindæ locum duxi, comitata ſupplicationem recognovit, quod & ego, Anno & die ſupra dictis ipſemet oculis meis uſurpavi; nimirum, quòd ope & interventu ſacratiſſimæ Virginis hoc ipſo in loco, ſanitati reſtituta fuerit. Cujus rei comprobandæ causâ, eodem in loco manum argenteam reliquit. Ejusdem rei ac teſtimonii teſtis eſt, Pater Stanislaus Glinicki Decanus. R. P. Parochus Chorz. mp.*

## V.

### Mulier aliquot annos manca, voto Lindam facto, convaleſcit.

Anno MDCXLIII. ad XIV. Calendas Decemb. (quemadmodum in commentariolo P. Stephanus Reich ſcribit) adfuit Lindæ *Matrona, ex pago Eſchenau diſtrictus Meelſaccenſis ; quæ aliquot annos unâ manu manca, voto facto convaluit. Grata pro beneficio accepto, pedes Divam Virginem Lindenſem inviſit.*

VI.

## VI.

## Manus falce admodum periculosè sauciata, Deiparæ Lindensis auxilio persanata.

Anno MDCXLIV. ad III. Nonas Iunias, voto perfunctus est, quod Lindam nuncupârat Andreas Linck, civis, ni fallor, Guttstadiensis. Graviter ille falcem in alteram manuum impegerat, ut & venæ, & & nervi succiderentur. Nihil videbatur propius abesse, quàm ne omnino redderetur mancus; præsertim, cùm remedia variè multumque adhibita, prodesse neutiquam possent. Vnicum restabat, quod fortasse è Divi Joannis Damasceni historia mentem subire potuit, remedium; nempe ut, quemadmodum ille præsectam à crudelissimo Tyranno manum, Imagini Virginis Deiparæ exhibuit, & continuò integerrimè sibi restitutam recepit; ita & ipse suam protenderet ad Deiparam ejusvé aliquam iconem, undique desperatam manum. Protendit igitur; & quidem non alio quam ad Marianam ipsius Lindam; apud quam se, & supplicem & gratum fore spopondit. Accepit Deipara clientis sui preces atque votum; & ille continuò manum ope Deiparæ probe persanatam recepit.

## VII.

## Manus & pedes gravi tumore ac pustulis affecti, voto Lindam nuncupato persanatur.

Non mihi constat, hæretica an catholica fuerit mulier, quæ id beneficii obtinuit; quocirca rem iis-

 dem

dem planè verbis, quibus à P. Petro Althoff est in commentariolum relata, hîc percensebo. *Catharina Iacobi Munk ex Moltzich filia, intumuerant manus pedesque, ad genua usque, pustulis rubris & desuper albicantibus, magno cum dolore. Varia adhibita remedia, etiam superstitiosa: nihil effectum. Devota ab aliis Lindam, ut cereu accensister Altare, ter Ecclesiam obiret, statim pustulæ decidere & vulnera sanari cœperunt; ita ut tertio die perfectè sanata fuerit. Votum explevit, & rem factam enarravit 27. Iunii* 1654.

## VIII.

### Faber annum integrum mancus, usum manus à B.V. Lindensi impetrat.

Quod jam memoro, ipsemet Anno MDCLIV. ad VI. Cal. Sept. ex ejus, qui beneficium impetravit, sermone didici. Bartholomæus Ritting is erat, faber clavicularius Meelsaccensis. Is publicam à tota civitate Meelsaccensi supplicationem, cujus postmodum erit mentio facienda, egregiè adornatam comitatus, ut & suo & civitatis totius nomine gratias ageret, Lindam accesserat. Præterquam enim, quod cùm cæteris omnibus præsente incendio fuerat ereptus, privatum insuper à Deipara Lindensi beneficium acceperat, sive nervorum oppilatione, sive alia ex causâ id evenerit, sanè haud constat; constabat tamen omnibus, eum anno integro manus alterius officiis defungi non potuisse; tantum abest, ut ad operis opificiique sui usum potuerit eandem adhibere. Quid non tentavit? quid non adhibuit unguentorum, & aliorum undiq; subsidiorum? Ne carnificum quidem,

quæ

Digitized by Google

quæ ab unguentis ex adipe humano confectis petuntur, neglecta sunt auxilia Rebus undique desperatis, auxilium, voto Lindam nuncupato, à Deipara postulavit; &, quemadmodum tum suscepta illa peregrinatione tum appenso Lindæ insigni monumento professus est, facilè invenit.

## IX.

### Civi Meelsaccensi dextra manus persanata.

Inter Anathemata Lindæ ad Aram majorem pendentia, est manus dextra, ipsa sui magnitudine præ cæteris spectanda; cui inscriptum; *Sancta Maria Mater Iesu, ora pro nobis. Ioannes Hanman* 1650. Tacitè indicat enorme ac periculosum vulnus, quod idem Ioannes Hanman, inter Meelsaccenses genere, industriâ, opibusq; facilè primus, sibi inflixit. Paucis abhinc annis gratum domi suæ hospitem nactus inter alia grati hilarisq; animi signa edita (sponte, an casu, mihi incertum) in vitreum poculũ impegit vehementius manum ut vitrum non modò se per volam manus penetraret, verùm & nervos succideret. Difficillima erat periculosi vulneris curatio, nisi implorata Deipara Lindensis, quod anathema testatur, faciliorem reddidisset.

## X.

### Hæretica quoq mulier, manuum pedumqúe doloribus per B. V. Lindensem levata.

Sub idem fere tempus è Sorquiten pago sub Prædicantũ jugo adhuc gemente, præstò fuit mulier Eva nomine, Martini agricolæ conjux. Hæc graves manuũ pedumq; morbos experta, si iis Deiparæ Lind ad quam se receperat, ope levaretur, vovit & manuum, & pe-

& pedum cereas Lindam effigies, perceptæ sanitatis monumenta ab se deferenda, suæque sospitatrici dicanda; adhoc vovit & ceream candelam, quam accensam manibus præferret, dum Aram majorem, ter geniculatim obitura de more esset. Neque secus fecit, simul ac voto edito pristinam à Diva Lindensi recepit sanitatem.

## XI.

### Alia itidem hæretica mulier, manus pedesque sanata, quotannis Lindam invisit.

Anno MDCLIV. pridie Idus Augusti, Dorothea Martini Træger ferrarii fabri in Babeins pago, sesquileucam Lindâ circiter dissito uxor, præter morem hæreticorum, Resselii in conventu Virginum candelam & fictos è cera pedes manusque sibi emit. Dum inde abit, obviam habet quendam è Soc. Iesu sacerdotem; qui cùm à fide Ecclesiaque catholica non nesciret alienam, interrogat, quem tandem in finem, præter candelam, cereas illas manuum pedumque Icones sibi comparasset? Biennium, inquit illa, jam præteriit, cùm quatuordecim hebdomadas manuum juxta ac pedum amiseram usum, morbo ita utrobique sæviente, ut ne commoveri quidem aut manus possent aut pedes. Ego verò cùm subsidium malis reperire nusquam potuissem, Lindam me, voto facto, recepi, & continuò integram recepi sanitatem. Quæ causa est, ut, quoad vita fuerit superstes, nunquam adeundæ quovis anno Lindæ, agendarumque gratiarum occasionem intermittam.

CA-

Digitized by Google

## CAPVT XXVII.

### Ulcera, vulnera, Herniæ, & apostemata Divæ Lindensis auxilio curata.

MVlta simul expedienda hîc sunt; non tam, quòd ea vel ad speciem cognata sibi sint, quàm, quod rem admodum vastam, in pauca contrahere sit necesse.

### I.

### Nobilis vir brachium sclopo periculosè trajectus, Divæ Lindensis ope periculum evadit.

Antonio Duczyminski, ex illustri Duczyminiorum in Masovia genere, nomen erat, & pares generi, tum ab hereditate, tum à Regia liberalitate fundi atque prædia. Tantæ fortunæ, valetudo haud respondebat, brachio plumbeâ glande trajecto, magnopere labefactata. Periculum, quod etjam vitæ imminebat, vix evasisset, nisi Lindam facto peregrinationis voto, confugisset, inde certum juxta ac subitum lethali jam vulneri auxilium. Ille verò jam probè sanus, Anno MDCXLIV. ad VI. Cal. April. Lindam venit, & voto solutus est.

### II.

### Mulier fœdo & incurabili apostemate laborans, Lindam per somnum monita invisit, & sanatur.

Branscium sive Branskum civitas est, in ea Regni Poloniæ provincia, quam Podlachiam vocant, memoranda

memoranda inter primas, quadraginta propè leucis à Linda Mariana sejuncta. Degebat inter cives Stephanus; cujus uxor pedem fœdo apostemate habebat graviter affectum, cui sive curando, sive potius dolori utcunque leniendo, suasu consilioque amicorum, arboris tiliæ folia admovebat, nihil interim de vera Deiparæ Tilia, seu Linda Mariana, ab ullo mortalium edocta; cujus ne quidem nomen fando unquam audierat. Verùm illa Tiliæ folia, vulneri admota, tantùm abest, ut profuerint, ut etjam vulnus indies latius inde patesceret, & caro fœdum in modum putresceret. Solicitæ quocirca de tanto periculo mulieri, ac de remedio propè desperanti, spectandā se per somnum offert Matrona gravis, formâ & vultu, quàm mortalium conditio ferat, plurimum augustiore: &, tu verò, inquit, folia tiliæ ita vulneri appone, ut te potius ad ipsum Tiliæ templum conferas. Experrecta amicis somnium enarrat, & quod tandem, aut, ubi illud tiliæ sit templum, interrogat? Aderant nonnulli, qui sive sacram, sive, qualis quotannis messe instante fit, profanam in Prussia peregrinationem aliquando obierant, & de Linda Mariana (quæ Polonis sacra tilia vulgò dicitur) partim auditione, partim experientiâ ipsâ teste plurima didicerant, quæque didicissent, coram disertis verbis explicabant. Mulier ad eam narrationem, sacro quasi œstro permota, visendæ quàm primum Lindæ Marianæ votum nuncupat; &, uti monita in somnis erat, Tiliæ folia vulneri, majore quàm unquam fiduciâ applicat. Continuò vulnus per sese coire, & sanari; adeoque cicatrice obduci; ut paullò post, tam longum



Digitized by Google

gum iter, comitante ultro marito, non sit verita ingredi sanitate in horas augescente, &, cùm ad ipsum Lindæ sacellum venisset, omnino perfectâ. Quæ omnia, quemadmodum retulimus, tum ipsa mulier, tum ejus maritus, sanctè juxta ac constanter testati sunt, evenisse Calendis Iunii Anni MDCLI.

## III.

### Fædum & incurabile ulcus, in peregrinatione ex voto Lindam suscepta, apertum & curatum.

Sub eadem fere tempora, ex eadem Podlachiæ seu Subsilvaniæ provincia, adfuit Sophia Virgo Matthæi Armentowski filia, & voto, quo se Divæ Lindensi obstrinxerat, soluta est. Vt se porrò obstringeret ac peregrinationem tam longinquam susciperet, ulcus insanabile adegit. Faciem illud, os inter & nares insederat, & ad justũ pruni, ut vocant, Hungarici, magnitudinem excreverat, non minorem spectantibus horrorem, quàm pudorem Virgini doloremq; incutiens. Medicorum aliquot industriam laboremq; omnẽ malũ illud lassaverat atq; eluserat; à quibus medicamentorũ plurimum, sanitatis nihil afferri potuit; cùm neq; corrosivis, ut vocant, rumpi neq; emollientibus ad profundendam saniẽ aperiri posset; dolorq; adeo in momenta intenderetur, ut & aures & caput Virginis prorsum occuparet. Vnicũ cælestis Reginæ, ad cujus Lindã, suo aliorumq; consilio, peregrinationẽ voverat, salutare fuit præsidium. Vix enim promissã aggressa erat peregrinationẽ, atq; iter ingressa,

cùm

Digitized by Google

cùm ultro ruptum eſt ulcus, & ſanie ubertim profuſâ, ſenſim curatum, quemadmodum præter cæteros, qui tum Lindæ aderant, ſpectavit, &, quæ hic recenſuimus, coram audivit admodum R. D. Matthæus Behm Collegiatæ Gutſtadienſis Eccleſiæ Canonicus & Decanus.

## IV.

### Voto Lindenſi Deiparæ facto, fiſtula pedis ſanata.

Quod Lucillus Synicenſis Eccleſiæ in Africa Epiſcopus, teſte S. Auguſtino (*a*) conſecutus eſt beneficium, dum glorioſi Protomartyris Stephani ſacra geſtaret Lipſana; idem conſecuta eſt, nuncupato Lindam voto, Catharina Virgo, in Schœnwald, Allenſteinenſis Coloniæ, Paræciæqúe Klebergenſis pago, Ambroſii coloni filia. Illi *fiſtula*, ut ait S. Auguſtinus, *cujus moleſtiâ jam diu laboraverat, & familiariſsimi medici, qui eam ſecaret, opperiebatur manus, illius pia ſarcinæ vectatione repente ſanata eſt*: huic itidem fiſtula, in ſuſcepto de Lindenſi peregrinatione voto eſt ſanata; quæ ſicut pedem totumqúe corpus non moleſtiâ duntaxat, verùm & dolore ac periculo ingenti afficiebat, ita curari nullâ mortalium ope poſſe videbatur: quemadmodum Catharina tum admodum Reverendo Dom. Parocho, tum R. P. Rectori Reſſelienſi; qui rem hanc literis breviſſimè conſignavit, coram faſſa eſt, 2. Iulii 1652.

V.

(a) 22. civit. 8.

Digitized by Google

V.

## Puer ab Hernia liberatus.

Anno MDCLIII ad XV. Calend. Julias, annuam, pro more peregrinationem Martinus Kraus expedivit. Pro more, inquam, ſuo; quia inde jam à puero, quotannis eam proſequitur, tum voto matris ſuæ, tum Deiparæ Virginis beneficio æternùm obſtrictus. Biſteini is natus, & paulò pòſt divæ Lindenſi à matre devotus erat. Devovendi cauſam matri, hernia parvuli filii dedit: niſi enim malo filii, initio ſtatim occurriſſet, actum de filii valetudine in omnem vitam erat. Quî autem, malo remedia humana omnia ſuperante occurreret? Ad eam ſibi ſcilicet recurrendum cenſuit, quæ ſupplicibus neque ſolet, neque fere poteſt quidquam negare. Divæ quapropter Lindenſi filium offert, &, quoad vixerit, Lindenſe quotannis ſacrarium ſpondet piè aditurum. Maternæ deprecationis finis, initium partæ filio ſalutis fuit. Ab eo tempore, Martinus nunquam eo morbo tentatus; nunquam ſervatrici ſuæ gratias agere, & Lindenſem peregrinationem frequentare deſtitit.

# CAPUT XXVIII.

### Hydrops, aut pravus membrorum tumor per Deiparam Lindenſem curatus.

Vlneribus ulceribusque tumorem ſubnectimus, & tumori conjungimus Hydropem; quia cùm tumor vel in illa tandem erumpat, vel in hunc deſinat, utriſque agnatus quodammodo affiniſque eſt.

## I.

### Hydrops à fæmina depulſus.

Anno MDCXXXIX. ad VI. Id Sept. mulier quædam Reſſelium venit; poſtridie, voti ſolvendi causâ, Lindam pertectura, & ibidem ſacro Euchariſtiæ epulo reficienda. Voti cauſam ajebat hydropem fuiſſe, quo diffuſus toto corpore tumor, omnem manus pedesvé movendi facultatem ademerat. Commovit ea membrorum quies mulierem, ut animo ſe erigeret, & præſidium humano melius certiusque à diva Lindenſi precaretur. Ea verò deprecatio ſupplicis, commovit etjam DEI Matrem; ſubitò enim à nuncupato peregrinationis Lindenſis voto, ſanitati accedenti tumor & morbus omnis ceſſit. Ut porrò etjam ab animo, ſi quid reſideret morbi, cederet, ſacroſanctis pænitentiæ & euchariſtiæ ſacramentis, tanquam certiſſimis contra animi morbos antidotis, uti frui apud B. V. Lindenſem deſtinavit.

## II.

### Hydropicus ope Deiparæ Lindenſis curatus.

Auguſtino Welck homini nomen erat, qui in Komeien Vormditenſis coloniæ pago, agriculturæ operam, pro ſua conditione, navabat. Navo cæteroquin operario, ab hydrope ignavia ſe inſinuavit, aut potius infudit. Quo enim de immani tumore accedebat corpori plus molis ac magnitudinis, eo plus decebat virium, ut neque exercendo operi, neque trahen-

trahendæ quoque animæ, ſatis eſſet idoneus. Sed brevi idoneum Deipara Lindenſis fecit; ad quam voto ſingulari cùm ſe recepiſſet, ab hydropiſi confeſtim liberatus, Anno MDCXLIII. ad IV. Non Junias, ut ſuum Virgini, votum redderet, Lindam venit.

## III.

### Puella trimula ab hydrope liberata.

Anno MDCLI. ad IX. Calend. Jun. Catholica mulier, ex hæretica in Ducatu Pruſſiæ civitate Neideburgo, tridui, ut paulò antè memoravimus, itinere Lindâ abjuncto, trimulam circiter filiolam, voti unà ſecum ream, Deiparæ ſtitit. Ludibunda, pro illius ætatulæ innocentia, atque innoxia libertate, tum puella, curſu & ſaltu Deiparæ ſacellum pervolitabat, quæ paucas ante hebdomadas movere ſe loco non poterat. Dirus hydrops corpuſculum totum ita occupârat, ut non modò in minoris vaſis, tonnulam vulgò appellant, molem excreverit, verùm & totum, quemadmodum mater ajebat, transparere videretur. Conſumptis nequidquam variis tum ex apotheca, tum aliunde petitis medicamentis, ſolicita, & pro materna pietate, nimis anxia parens, quartâ vel quintâ majoris hebdomadæ feriâ, depoſitam & ab omnibus jam deploratam filiolam, Deiparæ Lindenſi devovet. Tantum voti à matre concepti, apud Matrem miſericordiæ pondus fuit, ut ipſo Dominicæ Reſurrectionis die, quod mater etiam interpoſitâ ſacramenti fide aſſeruit, ſana & prorſum incolumis ſurrexerit.

## IV.

### Aliaitidem puella ab hydrope curata.

Sub idem circiter tempus, Walpurgis horti
cujusdam è Mikohlen Seeburgenſis municipii
filiola, depulſo per divam Lindenſem hydrope
ta eſt. Duas minimum hebdomadas malum
corpore diffuſum tenuit; tenuiſſetque etjam p
xius, niſi parentum voto ad Divam interpoſito,
feſtim fuiſſet depulſum.

## V.

### Nobilis vir diſcuſſo per B. V. hydrope ſanatu

Anno MDCLII. ipſo Deiparæ Eliſabetham
ſentis die, multa inter hominum millia, quæ e
quotannis confluere potiſſimùm ſolent, aderat
dæ generoſus D. Adamus Zalusky, è Nedzwi
enſi Paræcia, in Maſovia ſita, tridui minimum iti
à Mariana Linda diſtante. Non ipſum modò, ve
& plures de domeſtica familia, minimè familiare
ſum hydrops invaſerat; adeoque tum filiam tum
rem jam extinxerat. Ne porrò & ipſe, quem ad
cereviſiarii (tonnam vulgò appellant) magni
nem immanis humor diſtenderat, extinguer
conſanguinei cæterique amici intercelſerunt;
ſcilicet ad divam Lindenſem interpoſito. Ab eo
voto revaleſcere mox æger cæpit, brevique ita
valuit, ut & viæ ſe tam longæ dare non dubitâri
i

ipſe, quæ recenſuimus, præſentibus è magiſtratu ſpectabilibus viris, D. Paulo Radigk, & D. Trabant, ipſoque Collegii Reſſelienſis Societatis Jesu Rectore, ſecundùm Anathema Deiparæ oblatum, Lindæ præſens, ſanctè affirmârit.

## VI.

### Puero tumor, collum periculosè obſidens, depulſus.

Conſequente inde MDCLIII. anno, puer duodennis, Chriſtophori Weerdich, è Sturmhubel Reſſelienſi pago, ſartoris filiolus, votum & gratias Deiparæ ſolvit. Noxius collum tumor inſederat, ut propè ſuffocaret. Quinque certè dies ita fauces obſtructæ erant, ut ne tantillum quidem cibi ſumere, aut trajicere æger poſſet. Parentibus varia adhibentibus, & de aliis inſuper remediis anxiè ſolicitis, ipſe puer, ut à diva Lindenſi remedium poſcatur, ſuggeſſit. Audierunt parentes ritè monentem; nec minus ritè votum ejus nomine conceperunt: neq; minus ad extremum B. Virgo preces ac vota ſupplicum audiit; quandoquidem continuò ſanitas priſtina puero rediit.

## VII.

### Periculoſus itidem colli tumor curatus.

Anno MDCLIV. pridie Nonas Junii, me coram ſanctè profeſſus eſt Thomas Wichert, incola pagi Brunsbergenſis, vulgò Schalmay dicti, quòd uxor

ipſius Anna, magno omnium artuum cruciatu jam diu afflicta, nuperrimè verò etjam colli graviter intumeſcentis, quin & in ulcera fœdè exuberantis, vulneribus adacta, nuſquam niſi apud Deiparam Lindenſem, præſidii locum invenerit. Majo quocirca menſe exeunte votum Lindam adeundi fecit, & continuò mali vis omnis remittere cœpit. Cæterùm, cùm ipſa præ virium languore, qui morbum gravem excepit, necdum auderet, aut fortaſſe marito vetante, non poſſet tam citò ſeſe itineri committere, maritus interea, ne quid mora officeret, ejus loco iter ſuſcepit, & votum perſolvit.

## VIII.

### Cervix propè fracta, per B. V. reſtituta.

Laurentius Wapp, è Wererkaim hæretico pago, vir catholicus, incertum, qua causâ, ſub ipſas D. Jacobi ferias Anni MDCLIII. non potuit, tumorem juxta ac dolorem colli vehementem, non experiri; quando cervix ita inclinata ac propè fracta erat, ut caput antrorſum propenderet totum, nec attolli ſurſum, nec teneri ſublatum, niſi admoto poſſet adminiculo. Nervi inſuper brachiorum ac ſcapularum, venæque ita ſunt hebetatæ, ut neque progredi, neque brachia levare ſurſum, neque veſtibus indui, niſi alienâ ope poſſet. Adhibitæ varia inter remedia, etjam Altheæ & olei unctiones; nihil tamen profectum, nedum perfectum. Quocirca ad communem Deiparæ Lindenſis Aram animi aciem vertit; voverque annuam, quoad vixerit, ad Lindenſe ſacrarium pere-

peregrinationem. Etſi verò eventus voto necdum reſpondiſſet, ille tamen, ut promiſſis reſponderet, citra moram, quà potuit, iter ingreſſus, ubi Lindam venit, ſcipioni utrâque manu innixus, non ſine periculo lapſus, ita debilis adhuc & imbecillis erat, Aram circuit. Eodem momento ſuus venis nervisque vigor, ac vires corpori rediêre; ſed & cervix erecta ac firmata, brachiaque ac lacerti ſunt conſolidati, ut manus ultro citroque attollere repente & operæ cuiſcunque admovere, citra moleſtiam, poſſet. Quod & tum, qui hominem nôrant, aliique, qui aderant, coram ſpectaverunt, & ipſe conſequente Anno MDCLIV. tum aliis tum ſuæ in primis conſcientiæ arbitro, lubens volensque enarravit.

## IX.

### Tumor pedum, nullis aliis remediis, niſi Lindenſi peregrinationi, voto ſtabilitæ, cedit.

Hîc verum fuit illud Poëtæ: *Vrget præſentia Turni.* Helenæ Bartholomæi Bobowsky uxori pedes immani tumore ſuffuſi erant, ut lecto affixa nullam in partem movere eos poſſet. Tentata omnia, quæ uſquam haberi poterant remedia, nihil profectum. Quin & vota Lindam per alios non modò facta, verùm & abſoluta ſunt; ſed neque id profuit: niſi fortè ad majorem ægrotæ ſpem atque fiduciam, erga Deum ac B. Virginem accendendam profuerit. Non enim toties quodammodo repulſam paſſa mulier ſpem abjecit; quin majore etjam fiduciâ, ſeipſam Lindam uſque, ſi revaluiſſet, profecturam, & ter ſacram Ædem geniculatim obituram vovet.

Tum enimvero auditæ ſupplicantis preces, & depulſo confeſtim omni tumore, pedibus ſanitas, reliquo verò corpori vigor & vires rediêre; ut ad v. Calend. Junias Anni MDCLII. Lindam potuerit adire, & quæ abſens ſpoponderat, opere coràm exhibere.

X.

Ulceribus & enormi periculoſoque corporis tumore, per votum Lindam factum, liberatus.

Haud procul Graudento, quæ inter Pruſſiæ Regiæ civitates non poſtrema eſt, & quatuor minimum itinere dierum Lindâ abeſt, pagus eſt Bzowo indigenis dictus; in quo Matthias Zyorwsky, operâ triturandis frugibus addictâ, mercenarium agebat. Ipſo natalis Deiparæ pervigilio, febri extemplo corripitur Anno MDCLII. poſtridie verò, ipſo videlicet natali die, caput ulceribus ſcatere, ac mox corpus univerſum, ingraveſcente nimium morbo, vehementer cæpit intumeſcere. Omnis cum viribus ambulandi facultas receſſit, ita ut ſolidas propè duodetriginta hebdomadas, dolore juxta ac tumore miram in modum diſtentus, ad fornacem decumbere cogeretur. Etjam altera Februarii anni ſequentis dies, Deiparæ in Templo purificatæ ſacra illuxerat; cùm æger, qui interea de B. Virginis Lindenſis beneficentia, non pauca didicerat, conſilium apud ſe, de voto Lindam faciendo, dies noctesque agitare, & ſubſidium maximâ fiduciâ implorare à diva, cujus neque nomen antè unquam audierat. Commodum eâ ipsâ die ſacerdos, in ejus pagi Templo, ſacris operaturus advenerat;

rat; de quo poſtquam æger cognovit, enixè à patrefamilias & alio quodam amico flagitat, ut ſe, qui pedibus inniti ſuis non poſſet, ad Templum, quâcunque tandem ratione, deducant, aut potius deportent. Deportatus eſt, & jam in Templo poſitus, tantùm abeſt, ut genibus niti potuerit, ut ægerrimè ſtans, aut ſatius baculo innixus hærens, primùm quidem pænitentiæ per exomologeſin, deinde verò ſacratiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum uſurpârit; nil magis, quàm adeundæ primo quoque tempore Lindæ votum animo verſans. Crederes eum, qui animo jam Lindæ præſens erat, corpore quoque fuiſſe: ita ſubitò tumor & cum tumore pertinax ac diuturnus morbus ſubſidit, ut, qui alienis manibus ad Templum erat deportatus, pedibus ſuis, & quidem nullius, ac ne ſcipionis quidem adminiculo fultus, domum remearet. Atque hæc ipſemet diſertè juxta ac ſanctè apud Lindam aſſeruit, VIII. Idus Martii, Anni MDCLV. hæc etjam præſentes, Conſul & conſularis quidam Reſſelienſis, præter P. Petrum Althoff Societatis JESU manibus ſuis hunc in modum ſignârunt:

*Ita eſſe teſtor, Simon Hagnau Proconſul Reſſelienſis.*
*Ita eſt, Simon Flaxbinder manu propriâ.*

## XI.

### Ulceribus periculosè obſita mulier ſanata.

Wysztyniec oppidum eſt in Lituania, ad ipſos Pruſſiæ fines juxta Olitam ſitum, viginti minimùm leucis ſemotum Lindâ: ex quo nihilominus Anna Milewska III. Cal. Jun. Anni MDCLIV. Lindam uſque

peregrinationem voto firmatam abſolvit pedes. Per dimidium anni, ulceribus cùm reliquum corpus, cum alterum maximè pedem ita erat obſita, ut perpetuò decumberet, & omnes de pede illo actum cenſerent. Tamen ubi & plerique amicorum, & ipſa quoque adeundæ Lindæ votum nuncupârunt, extemplo, quæ per octo ſeptimanas cibi nihil ſumere potuit, cibo refecta, pedi jam perſanato commodè inniti, ac progredi quaquaverſum potuit, ut paulò pòſt etjam Lindenſe iter perficeret.

## XII.

### Hæreticus, ab hydrope ſimul & hæreſi, ex voto convaluit.

Nobilis eſt Rogalliorum in Maſovia ſtirps, è qua nonnemo famulum è Ducatu Pruſſiæ, ſibi magis quàm Deo Eccleſiæque fidum habuit; quippe hæreſi à puero innutritum. Ad tantam animi luem, altera corpori ab hydrope acceſſit: ſed utraque Deiparæ Lindenſis ope receſſit. Poſtquam enim herus illum divæ Lindenſi devovit, hydrops continuò defluxit; poſtquam verò ipſe Dominus Rogalla famulum Lindæ ſtitit, etjam hæreſi ſolutus eſt ad XVI. Cal. Novemb. MDCXLIII.

## CAPUT XXIX.

Variæ febres per B. V. Lindenſem depulſæ.

NUllum à condito orbe fuit ſeculum, quo verum non fuerit illud Poëtæ (a)

Poſt

(a) *Horat. lib. 3. ode 3.*

*Poſt ignem ætheriâ domo*
*Subductum, macies, & nova febrium*
*Terris incubuit cohors.*

Planè cohors febrium incumbit generi humano, ut enim morbi alii intra unius quaſi ſtirpis anguſtias ſe continent; ita febres, totas armant in nos cohortes. Hinc Amphimerinæ aliæ, aliæ tertianæ, quartanæ, ardentes, & quæ generis ejus ſunt. Omnes in perniciem noſtram, ita armatæ, ut interdum ſigillatim, interdum conjunctis quaſi viribus graſſentur. Hinc tertianæ duplices, duplices item quartanæ, & id genus. Nihilominus etjam contra hasce cohortes, victrix apud Lindam ſuam Deipara triumphat. Accipe nonnulla de plurimis exempla.

I.

Vir in Lituania, genere & dignitate illuſtri, voto Lindam nuncupato, curatum ſe à febri profitetur.

Thomas Karniewsky is erat, nobili in Maſovia genere natus, in Karniewo, Malechy, *&c.* Dominus ac heres: dignitate verò non modò in Aula, ſummi Magni Ducatus Lituaniæ Marſalci, verùm & in Republica haud poſtremus; quippe VVaſilkovienſis, ut vocant, *Tenutarius*, & Suraſienſis Propræfectus. Tantam in viro generis honorumque excellentiam, inſignis erga Deum pietas eximiè ornabat: quam ille cùm aliàs ſæpe, tum etjam præclarè teſtatus eſt, quando ad Templum Societati Jesu Pultoviæ à fundamentis erigendum, ejusdemque ac Collegii ſarta tecta

Google

tecta conſervanda, paulò antè memoratum prædium Malechi, perpetuo jure, Deo & Societati addixit: ut mirum videri minimè debeat, ſi Deus eam in ſe liberalitatem, majore in eum per Divam Lindenſem redonârit. Qua de re præſtat ipſum, in ſuo chirographo, quod extat, audire hunc in modum diſſerentem:

*Thomas Karnievvsky Tenutarius VVaſilkovienſis, Vicecapitaneus Suraſienſis, teſtor hoc chirographo meo, quòd me ex febri graviter decumbentem, Illuſtriſſima Domina Dom. Alexandra de Sobiesz in VVieſiolovvska, magna magni Ducatus Lituaniæ Marſalca, Tykocinenſis, Suraſienſis, Kleſcielienſis, &c. Capitanea, Domina & Benefactrix mea clementiſſima, Lindam ad ſacellum B. Virginis vovendo obtulerit; ex quo ſupremum Numen confeſtim me, per interventionem beatiſſimæ Virginis, uti planè confido, priſtinæ ſanitati reſtituit. In quorum fidem hæc, in eodem ſacro Lindæ loco, ſcripſi & ſubſcripſi 4. Octob. 1642.*

*Thomas Karnievvsky manu propriâ.*

## II.

### Periculoſa aliquot hebdomadum febris depulſa.

Varium & fallax malum eſt febris; ſæpe lento quaſi ſerpit gradu, interdum verò malignè in ipſam involat vitam. Non eſt proditum, quo tandem pacto fuerit aggreſſa Matthæum Sebaſtiani, Allenſteino oriundum, ſed in familiam perilluſtris & admodum R. D. Alberti Rudnitzky Præpoſiti Varmienſis, Gneſnenſis, Vniejovienſis, &c. Canonici adſcitum: proditum eſt tamen, tribus minimùm hebdomadis illâ febri-

febrili jactatione exagitatum, concepto ad B. V. Lindenſem peregrinandi voto, confeſtim ex illa jactatione ereptum, & ſub eadem fere tempora Lindæ voto ſolutum fuiſſe.

## III.

### Variâ febri exhauſtus adoleſcentulus, Lindæ curatus.

Filius is erat Domini Simonis Tauſch Wormditenſis, & Brunsbergæ literis operam dabat. Tertiana primum febris in eum fecit impetum, quæ ſubitò in quotidianam degeneravit; ita ut, cùm nonnihil, ſive medicamentis, ſive aliis remediis fracta remiſiſſet, multò quàm ante ſæviùs recruduerit. Spe propè omni decollante ſanitatis, ad divam Lindenſem, tanquam certam ſpei Anchoram, confugit, & iter Lindam ingreſſus, cùm etjam pedes nonnihil, magnâ contentione eſſet emenſus, ubi Lindæ propior eſt factus, febris extemplo refugit, pridie Calend. Junias MDCLI. Anni.

## IV.

### Virgo à diuturna febri liberata.

Sub eadem circiter tempora (neque enim proditum eſt, quo Anni MDCLI. menſe, aut die) ſupplex divæ Lindenſi gratias egit, Barbara Antonii Zimmerman civis Gutſtadienſis filia. Ab ipſo fere Autumni initio, ad ſequentis anni ver planè adultum, variis æſtuabat febribus: primùm enim tertianâ, tandem & quar-

quartanâ, malo utique admodum pertinaci, & ſummorum etjam medicorum conſilia operasq; eludente, laborârat. Neque minus varia, adhibita ſunt à variis remedia; ſed febri idem curſus eademq; vis fuit; quoad tandem voto Lindam concepto, remedium à Deipara flagitatum eſt. Ab eo enim tempore ita revaluit, ut nullum deinceps morbi veſtigium fuerit reſiduum.

## V.

### Plurimæ febres, aut ſimiles febribus morbi, abacti.

Neque omnes, etjam eorum, qui Lindam curati accedunt, morbi diſertè exprimi, neque conſignari literis, neque ad extremum, jam conſignati, ſciri aut in ſcripto haberi potuerunt; ob cauſas alio loco (a) à nobis memoratas. Ex iis, qui conſignati ſunt, paucula vel unius duntaxat MDCXLIV. anni afferam exempla ut de cæterorum ſive numero, ſive qualitate, æſtimari queat. *Kalckſteino ex pago, diſtrictus Vormditenſis. Mater pro filio, ope divæ Virginis Lindenſis ſanato, votum perſolvit die decimâ Maji.* Eodem menſe, ut idem Commentariolus memorat, *Simon Moczytowsky, ex diſtrictu Brunsbergenſi ager, voto facto ad ſacram Tiliam convaluit.* Similiter menſe Junio: *Tertia Iunii Meelſaccenſis civis, cum duobus liberis antea ægris, beatiſſimæ Virgini ſupplex, gratias egit pro ſanitate filiorum recuperata. Item ex pago Ducali VVillemberg duæ matronæ hæreticæ, votum beatiſſimæ Virgini perſolverunt, ob recuperatam illius ope valetudinem.* Quinta die Junii: *Ex VVuslacenſi pago*

(a) *lib. 4. cap. 1.*

*pago Hedvvigis hortulana, tribus ſeptimanis agra, voto facto Lindam inviſendi, convaluit; pedes votum perſolvit. Item Dominus Lettau Aurifaber Gutſtadienſis, gratus D. Virgini pro recuperata incolumitate, obtulit velum, pro calice tegendo.* Sextâ Junii: *Dominus Ioannes Kalau civis Heilsbergenſis, pro ſanitate ope D. Virginis impetrata, munuſculum D. Matri Lindenſi obtulit.* Decimâ: *Virgo quadam, Barbara Brunsbergenſis, venit Lindam gratias actura diva Virg. pro curatione morbi.* Duodecimâ: *Colona quadam Lauterenſis gratias egit pro capite ab inflammatione liberato.* Vigeſimâ primâ: *Piſcatores Paſterienſes, pro liberis ſuis ope divæ Virg. curatis, vota exolverunt.* Vigeſimâ ſecundâ: *Quidam Brunsbergenſis ſenecio, gratias egit pro ſanitate reſtituta.* Vigeſimâ octavâ: *Dua matrona ducales, à ſeptem milliaribus, voto diva Virgini exolverunt, pro liberis & pecoribus facta.* Atque hæc intra unius menſis cancellos; quàm multa, imò quàm propè innumera, quàm denique varia eſſent, non modò quæ notata fuiſſent, niſi per oblivionem vel alia de cauſa excidiſſent; ſed etjam, quæ ex jam notatis, per ſingulos annos, & menſes, & dies excerpenda eſſent?

## VI.

### Anathemata quædam ac monumenta, febrium aliorumque ſimilium morborum, per B. V. depulſorum.

Etſi, uti diximus, etjam ex iis, quæ in commentariolos de febribus, aliisq; id genus morbis relata ſunt, recenſeri nõ poſſunt, quædam tamen monumenta, ut de plurimis alijs judiciũ inde fiat, præteriri nõ debent. Inter

Inter Tabellas votivas, ex argento factas, propè centum ſunt, & quædam ex iis admodum inſignes, quæ vel nullam omnino, vel nonniſi communem aliquam, citra ullius morbi memoriam, habent epigraphen. Ex iis verò, quæ paulò exactiùs rem memorant, aliquot, ſunt quæ depulſarum ſunt monumenta febrium. Earum una hoc Epigramma habet:

*Hoc inſigne Bernardus Pilgrim Meelſacenſis, aſſiduâ febri vexatus, ac tandem eadem deſtitutus, in feſto Aſſumptionis, B. V. M. in honorem D.O.M. & auguſtiſſimæ* Dei *Genitricis Mariæ, ſibi ſuiſq; in animæ ſalutem, ex voto poſuit, Anno* 1644. Altera verò: *Ego Dorothea Elertſche, nata Ludvvigin à Dehmut, liberata à quotidiana febri, per interceßionem beatißimæ Virginis* Mariæ 1646. Ex iis verò, quæ morbos in genere duntaxat memorant depulſos, una epigraphen hanc præfert: *Votum beatæ Virgini Mariæ Lindenſi factum in morbo à Domino Samuele VVoysky, Anno Domini* 1640. Altera verò hanc: *Nicolaus Skorszevvsky Canonicus Cracovienſis, ope Virginis beatæ Lindenſis, levatus morbo periculoſo, voti reus* F.F. 1642. Tertia: *Ioannes Rudzky, hoc monumentum reſtitutæ ſibi ſanitatis, grati animi ergo, Virgini Matri poſuit.* Potuiſſet idem ſimilem epigraphen addere gemino candelabro & gemino itidem emunctorio, B. V. Lindenſi, & argento dedicato; ſed id humilitas, quæ inter maximas viri iſtius virtutes ſingularis erat, non permiſit. Quarta: Deo, *divæquè Matri, cælorum Reginæ auguſtiſſimæ, ob recuperatam Anno* 1647. *valetudinem, in grati animi teſtificationem offert dedicatquè Albertus Rudnitzky Præpoſitus Varmienſis.*

CAPUT

# CAPVT XXX.

### Lipothymia, curæ, angores, & cruciatus animi, per B. V. Lindenſem abſterſi.

FEbribus Lipothymias, hoc eſt curas edaces animi, cruciatusqúe ſubjungamus; quia non minus ac febres, etjam corporis vigorem viresqúe depaſcuntur. Cujus rei indicio poteſt eſſe ipſe ſitus, qui in corpus ab animo exundat; ita ut pleroſque intra horarum aliquot, aut noctis unius intervallum, non modò ſitu & ſqualore, ſed & canis ſubitò adſperſos fuiſſe, memoriæ ſit proditum Quem animi ſqualorem, adeoqúe & ſitum corporis, piiſſima apud Lindam Mater etjam abſtergit. Vnde neceſſe eſt, ut hîc cum Eccleſia Græca ( *a* ) illam invocemus: *Medere cordis mei vulneribus, ô Puella; & motus animæ meæ, ô Virgo ad divinam voluntatem dirige. Tentationes demitiga, & fluctus miſerandæ animæ meæ compone; cor denique meum in anguſtiis poſitum ſolatio refove.*

## I.

## B. Virgo, Exhilaratricis nomen, vendicare ſibi apud ſuam Lindam poteſt.

Eſt in Picardia Regni Galliæ Provincia, prodigiis



(a) *In Menæis 2. Ianuar. Ode 4. apud VVagnereck. num.* 11. ἴασαί μου τὰ τραύματα, κόρη, τῆς καρδίας, καὶ κατευόδωσον τοὺς ψυχῆς μου τὰ κινήματα, εἰς θεοῦ, παρθένε, τὰ θελήματα, τοὺς πειρασμοὺς καταπράϋνον, τὰ κύματα κοίμησον τῆς ἀθλίας μου ψυχῆς, καὶ ἐν θλίψει ὑπάρχουσαν τὴν καρδίαν μου παρακάλεσον.

clariſſima Dei Matris Imago, quam *Exhilaratricem*, ſeu *Dominam noſtram Gaudiorum*, vulgò appellant, ex eo, quòd non modò germanos tres fratres, illuſtri apud Gallos genere natos, & inter Rhodios S. Ioannis Equites, virtute militariq; laude illuſtriſſimos, apud Soltanum Ægypti, fœdo ac diuturno in carcere detentos, adventu ſplendoreque ſuo ſub annum MCXXXI. mirè exhalarârit, ſed conſequentibus deinceps annis, omnes ad ſe recurrentes, perfundat gaudio. Cũ enim tres illi religioſiſſimi Chriſti milites (uti Iacobus Boſius apud Fridericum Forneriũ (a) in palma triumphali fuſiùs percenſet) neq; ſuppliciis, neq; Iſmeriæ Soltani filiæ Blanditiis vinci, vel a Chriſto avelli ad Mahometem poſſent, quin imò, cùm Iſmeriã ipſam, quæ illos etjam ad impuras carnis illecebras, juſſu patris pellicere ſatagebat, ad Chriſti fideiq; Chriſtianæ, & magnæ in primis Dei Matris intaminatæq; Virg. amorem oratione ſuâ accendiſſent, non potuit Iſmeria Deiparæ Virginis, vel in ſua Imagine videndæ non maximo flagrare deſiderio. Et ecce omnibus de Imagine ſolicitis, cælitus Imago Deiparæ ad carcerem miro cum ſplendore, maximaque militum lætitiâ ac ſupervenientis deinde Iſmeriæ hilaritate, delata eſt! qua Regia Virgo ad Chriſti fidem magis inflammata, & cum iiſdem fratribus, aſſumptâ ſecum Deiparæ Imagine, fugã capeſſens, ex Ægypto in Galliam uſq; haud dubio Angelorum miniſterio, unà cum Imagine, religioſisq; militibus propè momento, in ſomnis translata eſt. Ibi non modo ab Iſmeria, quæ apud militum illorum matrem piiſſi-

(a) *Lib. 5. cap. 22.*

piiſſimam exegit vitam, verùm & ab univerſo populo, in condita ipſi Æde plurimum coli cœpit, hodieq; colitur, recepto ubiq; Exhilaratricis nomine. Quidni verò idem ſibi exhilaratricis nomen Diva Lindenſis vendicet, quæ rem ipſam, à tot jam ſeculis, poſſidet? Neſcio an ex iis, qui Lindam plurimi frequentiſſimiqúe prope indies confluunt, ullo ſe alio loco magis exhilaratum quispiam ſenſerit. Quid, quod pleroſque in ſitu ac ſqualore animi longè alibi poſitos, ubi ad Divam Lindenſem ejusqúe præſidium, animi aciem flectunt, exhilarari, & animis ſerenari, exempla docent? Paucula de multis audi.

## II.

### Vir nobilis, unà cum conjuge, fatentur ſe maximis animi anguſtiis per B. V. ereptos.

Memorat id Commentariolus ad XVI. Cal. Octobres, verùm præſtat, poſitum apud Lindam rei monumentum intueri, & ex eo de omnibus edoceri Tabula argentea eſt, cui ſequens epigramma eſt inſculptum:

*D.O.M. & B. V. M. Reginæ Angelorum, conſolatriciqúe afflictorum, Ioannes à Boianczyce Boianecki, & Vrſula à Quaſſen coniuges, in ſummis anguſtiis conſtituti, accepti beneficii memores, votivam hanc tabellam dicant, Anno 1641. die . Martii.*

Qui igitur hunc in modum ab illis animo offuſis tenebris, per B. V. Lindenſem ſe levatos ſenſerunt, non poterant deinceps in offuſa

oculis ſilioli ſui caligine, non maximam collocare in B. Virgine ſpem atque fiduciam, ac pro ſpe fiduciaq; ſua votorum compotes fieri, uti alio jam loco à nobis memoratum. (*a*)

## III.

### Cracovienſis quidam, ob depulſam ab animo dolorum acerbitatem, Deiparæ apud Lindam gratias agit.

Habet hoc præ cæteris arboribus Tilia, quòd, cùm melleo abundet rore, opibus etjam longiſſimè advolentibus, gratiſſimum præbeat pabulum, juxta ac hoſpitium. Gaudium, & tranquillitas animi quæ in *hac valle*, ut ajunt, *lacrymarum*, haberi poteſt, merum animarum mel, aut melleus potius ros eſt: *hic enim* (quod melleæ author eloquentiæ (*b*) ſcribit) *tantummodò rorat, pleno alveo, à fonte illo Deitatis, in ipſa beatitatis patria decurrit*. Hoc rore melleo, Tilia Mariana carere non debuit; quæ, vel ob unicam patrocinii Mariani umbram, tot populis ac gentibus, inſtar apum per denſa ſupplicantium agmina, quaſi per apum examina identidem confluentibus gratiſſimum præbet hoſpitium. Quos inter, apis inſtar advolavit, qui longiſſimo ſeptuaginta omnino leucarum ſpatio, Cracoviâ uſque Lindam advenit; &, quemadmodũ commentariolus ad Anni MDCXLVI. decimam ſeptimam Iulii diem memorat, è ſummis anguſtiis liberatus cùm eſſet, Deiparæ Lindenſi gratias egit.

IV.

(a) *lib. 4. cap. 9. §. 9.* (b) *Ioan. Rho varia hiſtor. lib. 1. cap. 9.*

## IV.

### Decem nobiles matronæ, ex ipſa uſque Vkraina peregrinæ B. Virgini Lindenſi, quæ ſe è periculis animique ſummis anguſtiis eripuit, gratias agunt.

Quartus in decurſu annus eſt, cùm pax Polonos inter ac Tartaros icta fuit eâ conditione, ut redituris è Polonia Scythis viaticum è Poloniæ provinciis ſumere, & prædas in futurum commeatum liceret agere. Agebant more ſuo Tartari; & alias quidem citeriores Provincias rapinis, alias verò omnes timore & periculis repleverunt; ut nemo, præſertim cis & trans Leopolim, ſecurus à prædonibus, timoris verò & angoris plena eſſent omnia. In iis animorum anguſtiis, decem nobiles matronæ, amiſſis pleræque eo bello ac terrarum vaſtatione maritis, variè palantes, alicubi ſimul coactæ, cùm in Vkraina quoque longè ac latè beneficia Deiparæ Lindenſis perſonarent, eò ſibi recurrendum cenſuerunt. De communi proinde conſilio Deiparæ Lindenſi votum nuncupant, ſi ex eâ belli prædonumque tempeſtate, ſalvæ atque incolumes evaſiſſent, Lindæ ſe Deo ac Deiparæ gratas coram futuras. Evaſerunt; & proinde, quemadmodum voverant, ſumpto pauperum ac mendicorum habitu, quin & mendicato per totum iter victu, pedibus iter aggreſſæ; pedibus itidem confecerunt; & leucas plus centum ita emenſæ, tandem pro ipſo B. V. Eliſabetham Viſitantis feſto Anno MDCLIV. Lindæ præſentes, magno cum animi gaudio gratias egerunt.

egerunt. Vix erat, qui eas ita mendicabulorum more ornatas, quæ & unde eſſent, agnoſceret: ignotumq; ad hanc diem eſſet Deiparæ beneficium, niſi earum quædam, ob filiolum morbo impeditum, cæteris domum remeantibus, in Pruſſia hærere coacta, & ſequente poſtmodum anno, Lindam iterum iterumq; reviſens indicium feciſſet.

V.

Quidam anathematis & votivis tabellis, depulſos ab animo per B. V. ſqualores mærorumque nubes profeſſi.

Ad cæteras votivas ex argento tabellas, Anno MDCL. acceſſit, quædam; ex qua facilè intelligas, nonniſi in ſummo animi ſqualore, atq; anguſtiis promiſſam, ac deinceps, iis ope Deiparæ Lindenſis feliciter abactis, dicatam eſſe. Sic enim ſymbola, & lemmata ſymbolis adjecta habent. In medio effigies eſt B. Virginis, cui ſupernè inſcriptum: *Ecce Mater tua!* Ad dextram ſpectatur Cor gladio confixum, cum adjecta epigraphe: *Non ignara mali, miſeris ſuccurrere diſco.* Ad ſiniſtram, Gallina pullos ſub alas congregans, cum lemmate: *Ita ego conſolabor vos. Iſa. 66.* Deniq; infra effigiē Deiparæ adjectum: *Maria Mater Ieſu, Conſolatrix afflictorū, ora pro nobis. Catharina Vagnerin* 1650. Similis propè eſt tabella alia, in qua Cor ſeptem gladiis confixum cum rythmo Germanico in hunc ſenſum. *Ad te, ô Mater dolorum, eſt ex corde refugium meum* (a) *Gertrudis Schœnhoffin.* 1647. Paucioribus, neque

(a) Zu dir / O Mutter der Schmertzen /
Stehet mein Zuflucht von Hertzen.

neque tamen minùs apertis explicatiſque verbis idipſum argentea itidem tabella alia loquitur. Cordis in ea ſculpta eſt figura: & circumadjectæ literæ Z. S. M. E. At verò à tergo tabellæ atramento inſcriptum. *Sophia Z. à cordis dolore, patrocinio B. V. Lindenſis liberata, hanc tabellam Lindæ offert.* Fortaſſe idipſum profitetur alia, in qua cordis Imago, & lemma adjectum. *Sancta Maria, ora pro nobis.* At verò à tergo inſculptæ literæ *M. A. A. P. VV. Anno* 1653. quæ indicant tabellam, ab admodum R. D. *Michaële Axamitovvsky archipresbytero Parocho Vormditenſi* eſſe dicatam: à quo quidem inſuper eidem Lindenſi Deiparæ dicata eſt tum lampas argentea plus centum florenis comparata, tum tabella itidem argentea in genæ humanæ figuram efformata, tum denique alia, cui inſcripta B. V. imago & pedibus ejus ſubſcriptum *M. A. C. VV. Anno* 1646. Denique hoc etjam indicare tres aliæ tabellæ videntur, quarum alteri adpictus Chriſtus in medio cordis quieſcens, cum epigraphe: DEUS *cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Vrbanus Bucholtz*: alteri verò inſcriptum rythmo Germanico (*a*) ad illius Latini ſenſum: *Dum fortuna favet, caveto tolli: Dum fortuna tonat, caveto mergi.* Tertiæ verò itidem inſcriptum: *Salus infirmorum, Refugium peccatorum, Conſolatrix afflictorum.* Catharina Georgii Eiſenbleters uxor Anno 1652. die 8. Iunii F. I.



(a) Clemens Schwartz/ſeine Haußfraw Chriſtina. Im Glück erhebe dich nicht/ in Unglück verzage nie. Gott iſt der Man/ der alles wenden kan.

# CAPVT XXXI.

A variis Elementorum, præſertim verò aquæ tempeſtatibus, ſubſidio B. V. Lindenſis erepti.

NE hominum duntaxat, aut terræ ſolius Reginam crederemus MARIAM, imperium, quod in mundum, omniaqúe mundi elementa divinitus ſibi conceſſum exercet, ſatis indicio nobis eſt. Quod quidem imperium, quàm illa apud Lindam quoque adminiſtret, exempla, quæ jam adferemus, ſumpto à mari & aquis initio, docebunt.

I.

B. Virgo MARIA, etjam apud ſuam Lindam Marianam eſt vera Maris ſtella.

S. Bonaventura, in eo, quod de B. Virgine expolivit, ſpeculo, *Legitur, & verum eſt*, inquit, *quòd nautarum mos eſt, ut, cùm in aliquam terram navigare diſponunt, unum ſidus eligant, cujus ſigno, luce radiante, in eam, quam deſiderant, partem poßint ſine errore adduci. Tale certè officium eſt ſtella noſtra,* MARIAE, *quæ navigantes per mare mundi in navi innocentiæ, vel pœnitentiæ, dirigit ad littus cæleſtis patriæ.* Hinc mellifluus Deiparæ Panegyriſtes Bernardus, *Ipſa eſt*, inquit (*a*) *præclara & eximia ſtella, ſuper hoc Mare magnum & ſpacioſum neceſſariò ſublevata, micans meritis, illuſtrans exemplis. Si inſurgunt venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum; ſi jactaris ſuperbiæ undis, ſi ambitionis, ſi detractionis, ſi æmulationis; reſpice ſtellam, voca* MARIAM: *ſi iracundia,*

(a) *hom. 2. ſuper* Miſſus.

*dia, aut avaritia, aut carnis illecebra, naviculam concuſſerit mentis, reſpice ad* MARIAM *: non recedat ab ore, non recedat à corde.* Hinc denique, ut alios mittamus, & S. Amedæus, *Dici*, inquit (*a*) *non poteſt, quoties hos aſperrimis ſcopulis naufragaturi offenderent, illi in Syrtes peſſimas non reverſuri inciderent, hos Scyllæa vorago hiatu horribili mergeret, illos Sirenarum cantus in exitium dulce retinerent; niſi ſtella maris perpetua Virgo* MARIA, *ope validiſſimâ obſtitiſſet; ſuosque jam fracto gubernaculo, & rate conquaſſatâ, omni humano conſilio deſtitutos, cæleſti ducatu ad portum æternæ pacis applicandos eveheret.* Verùm hæc, inquies, myſtica ſunt. Ita quidem; ſunt myſtica, ſed quæ magnæ Dei Matris ſupra naturam univerſi hujus imperium non tam minuant, quam exaggerent. Si enim mentis humanæ fluctus, qui profectò immaniores, quàm in ipſo Oceano, ſunt, componere ac domare poteſt; quid ni fluminis, quid ni etjam cujuscunque pelagi tempeſtates compoſuerit, atque perdomuerit? Quod cùm alibi, tum apud ſuam Lindam, quo pacto, vera maris ſtella, Virgo Deipara faciat, pauca de multis jam docebunt exempla.

## II.

### Illuſtriſſimus Epiſcopus Varmienſis, ſæviſſimâ in Balthico tempeſtate triduum jactatus, facto ad B. V. Lindenſem voto, à præſente naufragio, cum aliis omnibus ſervatus.

Inter votivas apud Lindam Marianam tabellas,



(a) *hom. 8. de laud. Virg.*

Digitized by Google

præ omnibus in oculos magis incurrit, quæ cæteris omnibus major eſt: cubitum enim propè integrum longa eſt, paulò minùs lata. Nullum prorſus habet inſcriptum verbum; exaratis tamen ſymbolis, rem prudentibus utcunque eloquitur. Principiò enim ſtemma, dextram partem versùs inſculptum, tabulam ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino VVenceslao comite de Leſno, Epiſcopo Varmienſi S. R. I. Principe, dicatam teſtatur. Deinde navis immanibus aquarum, non tam fluctibus, quàm verticibus propemodum hauſta, præſentiſſimum naufragii periculum enuntiat. Denique B. Virginis, puerum IESUM ſinu manibusquè geſtantis, effigies, intra nubes ſupernè eminens, non minus præſens Deiparæ in eo naufragio præſidium indicat. Res in hunc modum geſta. Anno ſeculi hujus ſupra quadrageſimum quinto, fortunatiſſimus Poloniæ Rex Vladislaus IV. pro deducenda è Galliis Regina, ſereniſſima Ludovica Maria, legatos, & in his legationis Principem Illuſtriſſimum Epiſcopum Varmienſem, expedivit. Ad XVI. Calendas Septembres, Balthico in Belgium deportandos. Gedani cum præcipuis è familia (nam equi tercentum, cum ſuppellectile ac familiâ reliqua, aliis vehebantur onerariis) navem conſcendit. Progreſſis nonnihil è portu navibus, ea incubuit maris tempeſtas, qualem Princeps Poëtarum jam olim depinxit (a) Nam & venti.

Incu-

(a) *Virg. 1. Æneid.*

*Incubuêre mari, totumquê à ſedibus imis*
*Unà Eurusquê Notusquê ruunt, creberquê procellis*
*Africus & vaſtos volvunt ad litora fluctus.*

Qui aliàs non rarò navigârant, & maris pericula tempeſtatesquê haud ſemel experti fuerant, nunquam ſe paria expertos fatebantur. Cùm igitur cæteris navibus aliò divulſis & fœde jactatis, præcipua illa non tam fluctibus quàm fulminibus quaſi videretur, &, ut ejusdem Poëtæ verbis utar, omnibus *præſentem intentarent omnia mortem*, adeoquê Medicorum nonnemo, periculorum iſtiusmodi haud ignarus corporis animiquê viribus, labantibus mortuo propior, intra carinam jaceret, ut revocari ad ſe atque erigi ægerrimè poſſet; ne navarcho quidem ſatis aut animi aut fiduciæ erat: quippe palàm edicenti, ni tempeſtas remiſerit, quatuor intra ac viginti horas pereundum omnibus eſſe. At tempeſtas triduum integrum, ſine requiete ulla, tenuit, ſumpto à ſabbathi die initio: qui quidem dies, Deiparæ per omnes Eccleſiæ Catholicæ fines, præ cæteris ſacer, facilè omnes in eo periculo verſantes, Patrocinii ejusdem Deiparæ, tanquam ſacræ Anchoræ, potuit admonere. Illuſtriſſimo certè Epiſcopo ſicut animus extra pericula, ita pietas erga Deiparam ſua conſtitit. Tametſi enim in eo periculi, quin & mortis præſentis articulo per ſacrum pœnitentiæ Sacramentum ſeſe armaverat; nunquam tamen de ſummâ in patrocinio Deiparæ fiduciâ vel tantillum remiſit. Quin adeò in eâ ſacræ Anchorâ ſpei, ſtellaq; maris, etjam apud Marianã ipſius Lindã, clariſſi-

clariſſimè effulgente, defixerat oculos, ut concepto mox voto, ſingulari ſe illi pietate obſtrinxerit. Eo voto edito, & quaſi anchorâ, non jam in ſalo ſolove, ſed in cælo conſtantiſſimè fixâ, non animo tantùm verùm & corpori ſerenitas rediit; navisquè toto Balthico variè graviſſimequè jactata, ac propè fatiſcens, haud procul Lubeca, ad Inſulam Bornholm dictam, ſalvos & incolumes expoſuit univerſos. Quocirca Illuſtriſſimus Antiſtes, ubi confecto in Galliis feliciter negotio, domum ſe recepit, nihil antiquius habuit, quàm ut ſe voti reum teſtaretur; & non modò ſuſpenſo illo ad Lindam anathemate, verùm & frequenti ad eandem Lindam peregrinatione, dignas tanto beneficio ageret gratias.

## III.

## Civis Traumburgenſis, maximo naufragii periculo ereptus.

Anno MDCLII. ad XII. Cal. ſextiles, voto, quo Deiparæ Lindenſi obſtrictus tenebatur, abſolvit ſe Andreas Herbſt civis Traumburgenſis. Sinus Balthici maris eſt, cui Traumburgum oppidum inter cætera adjacet (Habum vulgò appellatum) qui Traumburgenſibus tum piſcandi, tum Elbingam, Gedanum, Regiomontum ultro citroque navigandi occaſionem facultatemquè præbet egregiam. Eâdem uſus, quem nominavimus, Andreas Herbſt, Regiomontum lembo vectus erat; &, confecto feliciter negotio, reditum maturabat. Sed reditus non perinde felix illi fuit, ac niſi Diva Lindenſis in partem felicitatis vocata adfuiſſet, prope nullus. Re-

verten-

venientem enim principio ventus adverſus, deinde etiam coorta vehemens procella, non tam excepit, quam cum navi propè obruit: obruiſſetque haud dubiè, niſi invocata, ut diximus Virgo Lindenſis perituro adfuiſſet. Poſteaquam illi ceræ ſupra pondo ſemiſſem vovit, ilico & tempeſtas, & venti poſuére: naviculaque proſperè Traumburgum appulſa vectores ſuos incolumes reddidit.

## CAPVT XXXII.

### Ab igne & incendiis per B. V.Lindenſem ſervati.

AB Elemento aquæ, ad ignem gradum facimus, & quaſi ab imo ſurſum ferimur; non minùs in igne, quàm in aqua reperturi, tum periculi ac perniciei in mortales, tum patrocinii Deiparæ Lindenſis in eosdem.

### I.

### Libertinus Meelſaccenſis ab incendio liberatus.

Libertinos in Pruſſia, vocant agricolas illos, qui nobiles inter ac ruſticos mediæ ſunt ſortis; nam & cum his, genus commune habent (niſi quod pleriq; eorum nobili ſtirpe procreati genus ſuum aut ignorent, aut non æſtiment) & cum illis libertatem: neque enim ad onera operasque ruſticas, ut alii, ſunt adſtricti; quippe qui perinde ac cæteri nobiles, militarem, ut vocant, ſervitutem præſtent. Aut enim ſinguli, aut pro fundi, quem poſſident, ratione, plures ſimul juncti, quoties res poſcit, armis probè muniti, campum Martium exercitandi ingrediuntur,

rur, inde in aciem, & quaſi ex umbra palæſtræ, in ſolem ſtrictorumque in hoſtes præſentes armorum lucem proceſſuri. Ex eo hominum genere, quidam in Meelſaccenſi provinciâ erat, qui Anno MDCXLIV. ab exorto repentè incendio graviſſimum fortunarum omnium ædiumque diſcrimen adierat. Sed omni prorſus diſcrimine exemptus eſt, ubi ſe in eo incendii æſtu ſub patrocinii Mariani umbram, nuncupato Lindam voto, recepit. Cujus voti reus ad VII. Id. Junias ejusdem anni, Lindam adiit, & ſervatrici ſuæ gratias ex animo egit.

II.

Schulenſis pagus, ab incendio per Deiparam Lindenſem immunis publicâ quotannis ſupplicatione Lindæ gratias agit.

Satis conſtat, proximis à ſacratiſſimi Corporis Chriſti diebus, ſolitos piâ ſupplicantium pompâ, adeſſe quovis anno Lindæ, omnes aut plurimos Schulenſis pagi, ad Heilsbergenſem Coloniam pertinentis, inquilinos: non tamen perinde conſtat, quo anno ſint ab incendio, cujus depulſi causâ adeſſe ſolent, erepti. Scultetus uterque (ita Præfectos villarum appellant) ædes incendio illo conſumptas jam habebat, habiturus brevi & vicinorum omnium; niſi interim ſuppliciter invocata Deipara Lindenſis, ſuo interventu flammas ac latiùs graſſaturum ignem domuiſſet.

III. Cir

III.

Cives Biſteinenſes, à graviſſimo incendio, per B. V. Lindenſem exempti, inſtitutâ extra ordinem publicâ ſupplicatione, Deo ac Deiparæ gratias agunt.

Solennis eſt quovis anno, uti aliàs memoravimus, Civitati Biſteinenſi, ad Divam Lindenſem ſupplicatio, qua, ob depulſam à ſe peſtilentiæ luem, grandem cereum, qui ad Aram toto utatur anno, deferunt. Præter hanc, inſtituta eſt extra ordinem alia perinde ſolennis, IV. Nonas Februarii, ipſo videlicet Purificatæ Virginis die ANNI MDCLIV. qua & molis ejusdem cereus oblatus, & gratiæ pro averſo incendio ſuppliciter actæ. Sub finem Januarii ejusdem anni diem & noctem integram vehemens perflabat ventus, ut etjam grandiores arborum ramos frangeret, ac quaquaverſum proturbaret. Erant inter Suburbii horrea Ædes macerando fingendoque in uſum cereviſiæ hordeo idoneæ, *Braſeatorium*, vulgo dictæ: in quibus paries ligneus gliſcentem ſecretò ignem jam ante conceperat. Excitatus vento tam vehemente ignis, ſubitò erupit, & latè diffuſus, non dictas modo ædes, verùm & horrea vicina populaturus erat. Nox erat, & cives ſub ejus prope medium ſomno oppreſſi: quo majus omnibus imminebat periculum. Accurrit cum venerabili Sacramento Parochus, accur-

accurrunt & cives ſomno exciti; præſentique in Euchariſtia Deo, atque ejusdem Virgini Matri, voto ſolennibus verbis concepto humi ſtrati omnes, publicam ad Lindam Marianam adpromittunt ſupplicationem, & Cereum, pacis priori magnitudinis, in eadem ſupplicatione dedicandum. Vix ſolennes illæ preces abſolutæ ſunt, cùm & ventus, & flamma, quæ civitati incumbebat tota, retro agi, & quaſi refugere civitatem cæpit. Imminebat nihilominus grave horreis diſcrimen, præſertim cùm lupulus, quo ædes jam ardentes refertæ erant, jam accenſus provolaret, & in horrea etjam remotiora, impellente vento deferretur. Ea tamen fuit præſidii Deiparæ vis, ut neque horreum, ignem ullum conceperit, neque ædes illæ jam ardentes integræ conſumptæ ſint; quin & lupuli, & hordei pars non exigua in iisdem ſervata: magno utique divini præſidii ac patroçinii Deiparæ Lindenſis argumento.

## IV.

### Civitas Meelſaccenſis, à præſente incendio ſervatam ſe inſigni ad Lindam ſupplicatione profeſſa eſt.

Ad VI. Calend. Septemb. Anni MDCLIV. inſignis, ſi qua unquam, ſive numerum, ſive ordinem, pietatemvé ſpectes, Meelſaccenſium fuit ad Lindam Marianã ſupplicatio. Quindecim minimùm leucas abeſt Lindâ Meelſaccum: & tamen id tanti itineris ſpacium, nemo fere niſi pedes emenſus eſt; etjam anus decrepitæ & matronæ liberaliùs educatæ pedeſtri intereſſe agmini piâ ambitione contendêre. Ita nimi-

nimirum ab igne, qui paulò ante graſſari in civitatem contendebat, accenſæ ſunt pietatis & amoris divini exaggeratæ faces. Pridie Nonas Majas ejusdem anni, ipsâ noctis duodecimâ hòrâ, gravidis procella nubibus excuſſum fulmen in horreum Suburbii incidit, & momento flammam concepit; flamma verò, in vicinas effuſa ædes, eodem malo eas involvit. Trepidi è ſomno cives accurrunt, & manus ſiſtendo igni nequidquam admovent. Accurrit demum, pro recepto more, ipſe loci Curio, idemque Archipresbyter; &, quo armatus erat, divinæ Euchariſtiæ ferculum graſſanti, & (ni Deus obſtaret) immenſum graſſaturo igni obtendit. Cives interea, præſens in Euchariſtia Numen conſpicati, vota quisque ad præſentis Numinis matrem, ejusdemque Lindam, clàm, palàm, ut cuique pietas ac neceſſitas permittebat, ingeminare. Hic verò quaſi frænum quoddam incendio injectum! Nam cùm paulò antè latiſſimè, etjam ſupra duo paſſuum millia flammæ volitando ſpargerentur, & non prunæ modò, verum & tigna integra quaquaverſum à vento impellerentur, jam flamma intra ſeſe coacta, coni in modum quietiſſimè ſurſum ferri, ac ſenſim emori cæpit. Quin & prunæ, quæ vel ſponte in vicina horrea, ſtramine tecta cadebant, vel impellente vento in citeriores ædes igni ac voraci flammæ perinde obnoxias ferebantur, innoxiæ omnino erant: & tam manifeſto ſui ſpectaculo, aut potius miraculo, cunctos reddebant attonitos. Præter terna horrea flammis initio correpta, nihil cætera horrea ædesve, quantumvis

vicinæ, ab eo incendio etjam in ſuburbiis paſſæ; intra murum verò, quo etjam carbones ac tigna ardentia perrumpebant, ne quidem veſtigium ignis relictum. Ita tum, ita quinque hebdomadum interjecto deinceps ſpatio, à fulmine ædibus aliis iterum illapſo ortum immane incendium, non hominum, ſed Dei ac Deiparæ Lindenſis patrocinio, reſtinctum quievit. Quod beneficiũ etſi publicâ, ut diximus, ſupplicatione grati Meelſaccenſes venerati ſunt; ne tamen ejus memoria, cum impreſſis ab ſe humi veſtigiis, præteriret, aut futuris aboleretur temporibus, publico id monumento, atq; anathemate, voluerunt apud Lindam relinquere conſignatum. Tabula eſt argentea affabrè elaborata, plus pedem geometricum longa; in qua civitas in medio ſculpta, cum epigraphe Germanica (*a*) *Civitas Meelſaccenſis.* Superne eminet effigies ſupremi Numinis, quaſi manu aquam ſpargentis, cum adjecto lemmate: *Dabo prodigia in cœlo & in terra; ignem & vaporem fumi, Ioël.* 2. Infernè ſupplicibus humi procumbentibus adjectum; *Sub tuum præſidium.* Deinde verò: *Parce Domine, parce populo tuo.* Atque hæc civitas univerſa: jam verò Dominus Joannes Hanman, cujus alias meminimus (*b*) ſingulare expertus beneficium, dum ipſius horreum flammis atque incendio admodum vicinum, illæſum intactumque perſtitit, ſingulare ex argento anathema poſuit, cum adjecto lemmate: *Sub tuum præſidium.* Denique & Bartholomæus Mentzel inter oppidanos non poſtremus, quamvis horreum ipſius incendio conſumptum eſſet; quia

(a) Die Statt Meelſack (b) *lib.* 4. *cap.*

quia tamen ſui unius noxa placatum Numẽ agnovit, in aliorum ſalute ſuam conſiſtere ratus, gratias egit, & in grati monumentum animi, tabellam itidem argenteam dedicavit, quâ vernacula linguâ obſecrat, tum, ut DEUS cæteros ad egeſtatem ne redigat, tum, ut Mater DEI ſupplicem ſe pro omnibus interponat (a)

## CAPUT XXXIII.

### Ab aëris inclementiâ, & peſtilentiæ contagione, Divæ Lindenſis præſidio defenſi.

OMnes quidem morbi, ſed præ cæteris, ſæva peſtilentiæ lues mortales nos eſſe palàm declarat; cùm non per decimationem, ſed interdum etjam viritim, de cenſu mortalium dependit tributum. Nihil in eo malo veteres præſidii potioris invenere, quàm columbarum eſum; quas, dum peſtilentia graſſatur, *in honore menſarum AEgyptiis fuiſſe* tradidit Horus (*b*) Plinius quoque laudat earum carnes, tanquam peſtilentiæ adverſantes (*c*) Nobis vel ſolus adſpectus, adverſus peſtem ſubſidio eſt illius, cui toties in divino Epithalamio Columbæ elogia ſponſus attribuit. Quæ quidem elogia, etjam apud ſuam Lindam eximiè illa meretur, ut aliàs vidimus (*d*) & hic quoque exempla oſtendent.



(a) Ach Gott vom Himmel/ laß doch nit viel arme Leute werden. Heylige Mutter Gottes/ bitt für vns. Bart. Mentzel 1654. (b) *lib. I. Hierogl.* (c) *apud Pierium lib. 22.* (d) *lib.*

## I.

### Nonnulli Traumburgenſes Deiparæ Lindenſi, ut peſtis domitrici, eximiam magnitudine Imaginem dicant.

Anno MDCXL. Imago paulò major, quippe aliquot cubitos longa, B. Virginis Chriſtum Dominum de Cruce depoſitum ſinu geſtantis, apud Lindam dedicata eſt. Qui, & qua de cauſa eam dicarint, inſcriptio vernacula lingua infernè adjecta (a) hunc in modum edocet: *Ex voto quorundam Traumburgenſium, hac Imago ad locum hunc delata eſt Anno* 1640. Dubitandum minimè eſt, quin propitiam experti ſint in ea contagione Lindenſem Divam, quam aliàs ſæpe experiuntur; ut nullus ſit annus, quin Traumburgenſes, quanquam Linda admodum diſſiti ſint, gratias acturi plures Lindam accedant.

## II.

### Illuſtriſſimus Dux Radivilius, à graſſante Regiomonti peſte ſervatus, grati animi monumentum Deiparæ Lindenſi poſuit.

Anno Domini MDCLIII allata eſt Regiomonto, inſignis quà labore, quà mole tabella argentea, in qua, circum ſtemma Illuſtriſſimorum Ducum Radiviliorum, ſequentes notæ ſunt adjectæ: *I. V. R. S. R. I. Princeps D. in* O. *N.* quæ indicant, anathema illud miſſum

(a) Auſʒ Gelöbt etlicher Traumbürger / zur Abwendung der Peſt / iſt dieſʒ Bildt hergebracht Anno 1640.

miſſum fuiſſe à Ioanne Vladislao Radivilo, ſacri Rom. Imp. Principe, Duce in Olyka & Hieſwiez. Cauſa, præter ſingularem illius Principis erga Deiparam religionem, quæ tum Regiomonti fædè graſſabatur, peſtis. Qua quidem præter alios extinctus eſt, longiore ævo digniſſimus P. Joannes Kühn Societatis JESU Sacerdos, magni apud Regiomontanos, etjam à catholica Eccleſia alienos, præſertim verò Academicos, tum nominis, tum etjam authoritatis, quam illi & doctrina planè ſingularis, & ingenii facultates eximiæ, & mores humanitate atque facilitate mirâ conditi, etjam ad ipſorum admirationem adverſariorum pepererunt. Quarum, ut & plurimarum aliarum illius virtutum elucent veſtigia in illa, quæ ſub Audifacii nomine prodiit, Epiſtola; in qua recenſentur pleraque, quæ in diſputatione cum Dom. Drejero glorioſiſſimè in Academia Regiomontana habita, intervenerunt. Quo ipſo tempore, cùm Illuſtriſſ. Radivilus Regiomonti degeret, & non rarò etjã cum ipſo P. Kühn verſaretur, non poterat ſe, niſi in ipſo contagionis illius incendio conſtitutũ non exiſtimare. Sed neq; aliunde præſentius, quã à Linda Mariana, poterat amuletum expectare. Eo amuleto cùm ipſe, tum familia ipſius univerſa, incolumis ſervata eſt.

III.

Civis Regiomontanus ex voto Lindam nuncupato, tum ipſe à lue, quin & morte ereptus, tum familia incolumis conſervata.

Eodem anno, atq; eodem ex loco, allata eſt Lin-

dam argentea tabella, cum hac epigraphe, ante Crucifixi Imaginem genu adorantibus ſubſcripta, *Caſparus Krabath, & Barbara Krabatſche.* Divinari potuit eadem quoque ex cauſa allatam fuiſſe, ſciri tamen liquidò tum non potuit; quoad conſequente demum anno clariſſimè eſt cognitum. Nam Caſparus Krabath civis & Frenifex Regiomontanus, vir in paucis ſtrenuè catholicus graſſante in ea urbe peſtilentia atque ædes ipſius undique obſidente, eâdem lue tandem & ipſe quoque afflatus, non uno ſed pluribus ſcatebat ulceribus: quibus malum, quod viſcera penitus inſederat, foras quoque prorumpebat. Conjunx ejus Barbara, admirandorum Deiparæ Lindenſis beneficiorum haud ignara, Reſſelio quippe oriunda, virum in extremis jam poſitum, ſeque ipſam, cum familia univerſa, fixis humi genibus, maximâ, qua poteſt, religione devovet; & continuò peſtilentiæ tum jam graſſanti; curſum tum aditum quærenti, viam interclufit. Ab eo enim voto, & reliqui omnes intra domum incolumes ſervati ſunt; & Vir ipſe confeſtim perſanatus. Qua causâ, uterque vel ſaltem eorum alteruter Lindam quotannis reviſit, ut Deiparæ tantis pro beneficiis agat gratias. Et ſuperiore quidem anno uterque adſuit, atque dictam tabellam, perpetuum accepti beneficii monumentum ad Aram Deiparæ appendit; hoc verò, anno uxor, ſuo ac viri nomine cùm Lindam acceſſiſſet, rem, uti memoravimus, atque uti geſta eſt, ſanctè enarravit.

IV.

# IV.

## Civis Gedanenſis beneficio Divæ Lindenſis à peſte liber.

Etjam Gedanum illius ejusdem anni lues perrupit, & non minus quàm Regiomonti deſæviit. Degebat ibi Georgius Luchs apud Generalem Illuſt. Epiſc. Cujavienſis Vicarium cauſarum actor, Inſtigatorem vulgò appellant; cui tanquã avunculo materno, in præſente contagii illius flammâ poſito, Margaretha Virgo, Ioannis Conradi civis Tolkmitenſis filia ſuccurrit. Poſtquam enim vidit avunculi ſui domum utrinque jam à peſte obſideri (in altera enim contiguarum domorum nonniſi unus, in altera verò nonniſi duo ex omnibus ſuperſtites relicti erant) rem illius tunc maximè agi rata, *paries cum proximus arderet*, Deiparæ Lindenſi illum ſupplex commendat, & votum peregrinationis ad Lindam ſuſcipiendæ pronuntiat. Audivit Deipara ſupplicem, & avunculum ſervavit incolumẽ. Inde Margareta voti rea, IV. Cal. Iulias Anni MDCLV. Lindam uſque pedes accurrit, & gratiis ex animo fuſis pedes itidem, magnâ cum alacritate, iter totum relegit.



Digitized by Google

V.

## Vniverſa Civitas Heilsbergenſis, inſtituta ad B. V. Lindenſem publicâ ſupplicatione, ejusdem ſe præſidio à graſſante peſtilentia ereptam teſtata eſt.

Sub id ipſum tempus Varmiam eadem peſtilentiæ lues alicubi invaſit, & Kerwinen Heilsbergenſis coloniæ pagum aliumquéin vicino poſitum, populata eſt. Quin & Heilsbergam non tam irrupit, quam per incuriam civis cujusdam Regiomonto deducta eſt. Emerat ille merces quasdam Regiomonti, quibus Heilsbergam deportatis, epimetri loco adjecta fuit peſtilentia. Simul enim ac domi illas merces depoſuit, uxor, hauſtâ ex iis peſtilente aurâ, propediem defuncta eſt. Neque dum tamen vicinis peſtilentiæ metus eſt injectus, etſi ſuſpicio quibusdam injecta eſſet; quoad aliis ſuper alios ſenſim contabeſcentibus, Scintilla in flammam erupiſſe jam viſa eſt. Hic admodum R. D. Ioannes Slichtenberg Archipresbyter, ſuo civiumqué ſuorum nomine, ut alibi innuimus (a) voto Lindam facto, vim impetumqúe mali continuo ſtitit; neque enim plures duodeviginti civium, cum paullò pluribus de vulgo fæmineaqúe gente (cui maximè infeſtum erat malum, ſublati ſunt; ut eo manifeſtius Dei ac Deiparæ Lindenſis beneficium eſſet: ideoqúe inſtitutâ ſuo tempore, publicâ omnium civium ſupplicatione celebraretur magis. Qua quidem in ſupplicatione

(a) *lib. 1. cap. 25.*

catione non pietas duntaxat, verùm & ipſe ſupplicantium ordo atque præclarè accommodata ad religionem pompa, omnium admiratione plauſuqúe excepta eſt. Principiò innoxia puerorum ſcholarium turba, labaris templi pro more, quaſi per turmas diſtincta, ipſumArchipresbyterum, cæterosqúe de clero, anteibat: ſequebatur cum Conſulibus, & aliis è Magiſtratu, numeroſum agmen civium, cui vexillum, & argentea inſuper tabula, ex voto nuncupata, vel ipsâ mole ſpectabilis, à patriciis præferebatur: Extremum agmen conſtabat Virginibus matronis, & aliis de muliebri populo; quibus itidem nigri coloris vexillum fuit prætenſum; ne ſcilicet ignorarent, ſibi quoque, quantumvis imbelli populo, ad cælum vi expugnandum, ſub ordinibus militandum eſſe. Cæterùm tabella votiva beneficii memoriam hunc in modum conſignatam habet. Supra ipſius civitatis expreſſæ Imaginem, hinc B. Virginis Iconi ſubſcriptum: *Regina Angelorum*; hinc verò Angeli percutientis: *Ceſſet jam manus tua.* Denique imam tabulæ partem occupat epigramma iſtiusmodi: *Divæ Virgini Matri votum, ob conſervatam à peſte civitatem Heilsbergenſem Anno* 1654.

## VI.

### Etjam in Auſtria poſita nobilis matrona, à peſte & morte, per imploratum Deiparæ Lindenſis auxilium, erepta.

Nolo id aliis, quàm, quibus proditum eſt, verbis commemorare. P. Ioannes Aloyſius Kühn, Gutſtadii in Pruſſia apud Varmiam natus, ſed in Pro-

vincia Auſtriæ Societatem Ieſu ingreſſus, magnum ſui deſiderium, paucos ante annos de ſtatione vitæ decedens, omnibus reliquit. Ea fuit Viri virtus atque doctrina, ut vixdum ſacris initiatus ad sereniſſimæ Imperatricis Eleonoræ miniſteria Aulæ fuerit repentè admotus. Is igitur literis, quas III. Non. Ianuar. Anni MDCL. Leobio, ad P. Georgium Leyer Collegii Reſſelienſis eo tempore moderatorem dedit, rem, qua de agimus, hunc in modum perſcripſit: *Perſona non ignobilis, ex Aula auguſtiſſimæ Imperatricis Viduæ Eleonoræ, decem ipſos dies, in agonia poſita, cum morte conflictabatur; Medicis nequidquam, etiam precioſiſſimis pharmacis, proficientibus. Evocor Lincio per poſtam repente (à confeſſionibus in Aula pœnitenti fueram) ut animam curem, & aliquod ſolatium adferam. Nec ſenſus, nec ratio, nec vis loquendi fuit amplius. Invoco Deiparam Auxiliatricem Lindenſem, quæ in articulo illo, mihi prima tunc incidit. Medicis omnibus viſum miraculum; oculis me advocat ægrotans, poſt dimidiam circiter horam, nomen* IESU *&* MARIAE *pronuntiat; animi contriti ſigna edit; poſt intervallum loquitur; oleo ſacro peruncta Viaticum expetit. In horas propè ſingulas virium experta incrementum, poſt non multos dies è lectulo conſurgit, valetudine etiamnum firma. Neſcio, an non præſentiſſimum* DEI *&* DEIPARAE *patrocinium, nos, qui nobili huic perſonæ adſtitimus, ſimus experti. Nam deprehenſum eſt, pio zelo & charitate eam quinque noctibus, clàm cuidam è Gynecæo famulæ, domi ſuæ peſtiferâ lue (quæ etiam extincta fuit) laboranti adſtitiſſe: atque Sacerdote domum*

*poſt*

*poſt datum Viaticum revertente, partes egiſſe boni Chriſtiani, animando & hortando ad pium agonem. Hinc virus hauſit, quia carbunculum (quem ulcus vulgare putabat) pia Matrona linguâ ſuâ deterſit, ut mihi aliquid ſuſpicanti deinde faſſa eſt) ne tergendo panniculis dolorem inferret. Et diva Virgo mihi indidit, ut medicum monerem, de ſimilibus pharmacis præſcribendis, quæ venenum à corde depellerent. Hoc ad primum ingreſſum ſuaſi: nihil tamen profeciſſemus iudicio omnium, niſi ſalutem Diva Lindenſis depoſitæ propinâſſet.*

## VII.

## Domus tota à peſte per B V. Lindenſem exempta.

Anno MDCLIV. ad III. Cal. Iunias, Catharina Ertmanni Keyſer, in Drewantz municipii Meelſaccenſis pago ſculteti uxor, ſuo ſuorumque nomine votum & gratias Lindæ perſolvit. Lues ex dyſenteria orta nonnullos jam ſuſtulerat, ita ut ædes illius, ne malum ſerperet, obſervarentur. Obſeratis tamen ædibus perruperunt Lindam uſque piæ preces; quibus etjam Dei Mater annuit, & omnes quanquam peſte infectis miſcerentur, incolumes ſervavit.

# CAPVT XXXIV.

### Etjam pecora à lue, vel aliis periculis ope B. V. Lindenſis ſervata.

NE quis fortaſſe alieno prorsû à Pauli Apoſt. mente, dicat, ſenſu: *Nunquid de bobus cura eſt Deo*? Ipſa

quoque Dei Mater, minimè à ſua dignitate alienum duxit, boves, cæteraqúe hominum pecora, quod & apud Lindam ſuam facit, curare. Neq; enim vile poteſt, etjam circa viliſſima, miniſterium, quod hominibus, ſi fortunâ aut potius induſtriâ ſuâ, uti ſciant, in obſequium magni Dei cedit.

## I.

## Civis Gutſtadienſis ob ſervatum pecus gratias agit.

Anno MDCXLI. ad VIII Idus Sept. honeſta matrona, Petri Prang, civis Gutſtadienſis uxor, votum Deiparæ Lindenſi adjectâ, ut par erat, gratiarum actione ſolvit. Magnam in pecore aliquamdiu calamitatem experta fuerat, alio ſubitâ morte ſublato; alio, ſi forte mors abfuiſſet, morbis conſumpto. In ea calamitate nullum certius ſubſidium, quàm apud Divâ Lindenſem occurrit quærendum. Quocirca votum eò peregrinandi nuncupatum eſt; & ab eo voto ſanitas pecori extemplò reddita.

## II.

## Plurium pecori ſanitas reſtituta.

Anno MDCXLIV. ad XVI. Cal. Iunias multi ex Allenſteinenſi municipio affuerunt; &, quas poterant, Divæ Lindenſi gratias ac vota reddiderunt. Multa nimirum per eam tempeſtatem in pecora lues redundaverat; &, ut malum malo ſeritur, corruptis & aſſumptis hinc inde pecoribus, operas quoq; agricolarum, quin & aliorum, vel abſumpſerat, vel certè corru-

corruperat. Tantis igitur malis, & frænandæ in primis lui indies magis graſſanti, nullum opportunius remedium viſum, quàm apud Divam Lindenſem. Ad eam proinde ſupplices, ſua per vota recurrunt; & cùm vota piè fuiſſent exaudita, luesque ſedata, ipſi quoque beneficii memores ac grati, Lindam uti diximus, accurrerunt.

## III.

### Civis Meelſaccenſis votum ob ſervata pecora exolvit.

Eodem anno, quamvis non eodem ex loco, eadem tamen de cauſa, gratiæ Lindenſi Divæ, qua decebat, reverentiâ ac pietate ſunt redditæ. Non uno quippe in loco, per eam anni tempeſtatem lues in pecora deſæviebat. Itaque cùm etjam Meelſacci vires ſumpſiſſet, & cuidam civium, non pauca, pro ejus tenuitate, pecorum capita ſuſtuliſſet, adhibendum malo remedium cenſuit. Cæterùm animo in diverſa acto, nuſquam præſentius remedium quæri poſſe advertit, quàm à Linda Mariana. Et verò quærit ſuppliciter, edito confeſtim peregrinationis Lindenſis voto. Habuerunt pondus vota precantis; qui impetratâ pecori ſanitate, nihil prius antiquiusvé habuit, quàm ut votum redderet. Reddidit pridie Nonas Junias ejusdem, uti diximus, MDCXLIV. anni.

## IV.

### Equi partim à lue graſſante, partim à militum rapinis, per B. V. Lindenſem ſervati.

Loterberg Meelſaccenſis coloniæ pagus eſt; in quo

quo duobus colonis magna in equis, quæ imminebat, clades præſidio Divæ Lindenſis depulſa eſt. Alterius jumenta, lues, quæ paſſim gliſcebat, invaſerat; & jam partem erat depaſta; cùm ille (neque enim aliud malo remedium validius fore ſperabat) Deiparæ Lindenſi ſupplex accidit, & ſi exauditus foret, peregrinationem ad Lindam Marianam vovit. Exauditus eſt; proinde ad IX. Cal. Iunias, Anni MDCLI. quo primùm licuit tempore, ut votum redderet, Lindam acceſſit. Iam verò alter, cujus pecora luem evaſerant, ideoque à cæterorum planetarum injuriis libera jam erant, ut à Martis quoque, non tam influxu, quàm attractu rapacitateqúe libera eſſent, quid non tentavit? Graſſabantur tum, pro ſua licentia, milites, & cum cæteris colonorum opibus, tum maximè equis piceas admovebant manus. Quod cum colonorum quidam non neſciret, quidquid equorum generoſioris habebat ſtirpis (ut certe Varmienſes inter reliquos Prutenos, inter Varmienſes verò, facile equis cæterisq opibus Meelſaccenſes coloni excellunt (tutiore collocaturus loco, ad Virum nobilē in vicina Ducatus provinciâ deduxit. Et poterat ſecurus de loco, collocatisq; eo loco jumentis eſſe, niſi invidia illuc quoq; perrupiſſet, aut militibus ad irrumpendum, patefeciſſet aditum. Reliquorum enim colonorū non nulli, quibus fortè res ſuæ, ac jumenta derepta erant, ut vicinum ſuum in eandem ſecū navim compingerent, militibus, tanquā harpyjis ad omnia intentis, equos alio traductos prodiderunt. Ergo ad objectam ſeſe accingunt prædam, quin & momento provolant. Interea colonus rerū

equo-

equorumq; ſatagens ſuorum, omne in Diva Lindenſi præſidium ſpemq; collocat. Neq; verò ſpe excidit: Quantumvis enim harpyjæ illæ omnia pervolitarent, ac pervolitando ſcrutarentur, equos tamen reperire non potuerunt. Vnde colonus beneficii accepti memor, grates dictâ die apud Lindam Virgini Deiparæ perſolvit.

## V.

### Depoſito jam equo, ſanitas reſtituta.

Tertium jam diem Vrbani Benig Meelſaccenſis inquilini equus, morbo planè extremo conficiebatur: ut, deſperatâ illius ſanitate, iterum atq; iterum in apertos propelleretur campos, avibus canibusque futurus præda. In circum continuò agebatur, capitis haud dubiâ vertigine impulſus, & hinc fortaſſe ob irrequietum belluæ motum, feris avibus necdum acceſſus patere ad lanienam potuit. Tertiâ die herum miſeratio belluæ ſic agitatæ cæpit; ut admotâ jubæ manu retro in gyrum aliquoties circumegerit. Verùm bellua ad ingenium gyrumque priorem rediit. Tum Vrbanus animo commotus in genua provolvitur; Dominicamque orationem precatus, votum adjicit, ac, ſi equus convaluiſſet, Lindam ab ſe ducendum promittit. Momento equus ad ſe rediit, & recto tramite curſum agens, omni deinceps morbo liber VIII. Idus Iunii Anni MDCLIV. Lindam cum gratiarum actione ab hero deductus eſt.

VI.

## VII.

### Ob depulſam à pecore luem, gratiæ nomine pagi totius B. Virgini Lindenſi actæ.

Eodem anno, menſe Auguſto ad VII. Iduum, univerſi pagi Lilienthal, Meelſaccenſis, ni fallor, municipii, nomine Martinus Newman, cũ adjuncta viciniorum manu, gratias Deiparæ acturus Lindam acceſſit. Octiduum integrum ſæva in pecora lues graſſabatur; ut paſſim, etjam integra ac ſana pecoris capita, repente corruerent ac morerentur. Non ignari beneficiorum Lindenſium coloni voto ſe Deiparæ obſtringunt; & exinde pecori ſuo ſalutem reddunt: nullum enim deinceps aut morte ſublatum, aut morbo tentatum. Die proinde jam dictâ, quaternas è cera candelas, craſſitie ac magnitudine eminentes, per Virgines, quæ matronis miſtæ frequentes aderant, deportari Lindam, & Deiparæ in gratiarum actionem, dicari curarunt.

## VIII.

### Equis ſanitas, aut vires redditæ.

Sub idem fere tempus, admodum R. D. Georgius Joannes Caſtnerus, aliquod ſuæ in rem catholicam Deiparæque Virginis cultum obſervantiæ, vel potius Marianæ in ſe benignitatis argumẽtũ ſenſit. Is triginta circiter ante annos, cùm Regiomonti, totoq; adeo Pruſſiæ Ducatu, I. C. & cauſarum advocatum ageret: facileq; ceteros, qua dicendi vi, quà dexteritate agendi ſuperaret, præter omnium ſpem, deſerta Lutheri

Sectâ,

ſectâ, ad Eccleſiæ ſe catholicæ ſinum recepit; exactisque non paucis inde annis, defunctâ conjuge in Presbyterum conſecratus, rem catholicam, majore propè vi atque conſtantiâ, quàm vel ratio temporum, vel nonnulli etjam amicorum permitterent, contra ſectarios promovit; non ſine inſigni erga Deiparam Lindenſem demonſtrata ſemper pietate. Nullum enim aut tempus aut occaſionem fere elabi ſibi patitur, quin Lindam reviſat; &, quoad quidem temporis ratio fert, ad Aram faciat. Hujus fortaſſe in Deiparam Lindenſem pietatis aliquem fructum nuper tulit. Reſſelium enim gravibus in negotiis delatus, equum præter ſpem, gravi correptum morbo, è quadrigis ſuis vidit. Moram nullam negotium patiebatur: ſed neque morbus jumenti patiebatur vel tantillum itineris capeſſere. Quid in eo rerum articulo ageret? ſupplex Divæ Lindenſi votum concipit, & jumentum commendat. Extemplo jumentum convaluit; ut eâdem fere horâ proſequeretur iter. Cujus beneficii anathema, inſignem è cera candelam (cui, ut nemo beneficium non adverteret, Equi appendit effigiem) Lindenſi Divæ conſecratam miſit. Cæterùm ego hoc ipſo loco, magnam ingrati animi notam incurrerem, niſi par omnino beneficium, quod proximo itinere à Deipara Lindenſi expertus mihi omnino videor, prodidero. Bellorum turbine in Regnum Poloniæ undique detonante, ne Pruſſia quidem, inter ultimas Regni ad Balthicum provincias, immunis ab eo potuit eſſe: è qua Prid. Non Septemb. digreſſus, dum Sileſiam Auſtriamque versùs iter meditor, in hoſtes, qui primùm Varſaviam, deinde verò

N n      & Cra-

& Cracoviam occupârunt, propè incautus incurro. Flectendum proinde non modò ad latus, verùm aliquoties etjam retro iter erat, & non modò Masovia ac Polonia, verùm & Podlachia primùm, deinde verò & Hungaria, quod non speraram, adeunda Necdum medium itineris confeceram, cùm jumentum, curriculo junctum, prorsum defecit. Sive magnitudo difficultasque itineris, sive virium imbecillitas, aut etjam morbus aliquis causa fuerit, incertum est. Qui mihi Lublino comes erat itineris, P. Christophorus Schenck, cùm prostratis omnino viribus cespitare aut labare jumentum per aliquot dies cerneret, identidem author fuit; ut, si prosequi cæptum iter vellem, aliud jumentum emerem. Jam & mihi animus eò inclinabat, cùm beneficiorum Deiparæ Lindensis memoria ad meliorem me spem erexit; ut non dubitarem verbis quoque eam erga Dei parentem fiduciam datâ occasione contestari. Non est necesse reliqua, quæ tunc apud me statueram, producere: illud sanctè profiteor, ab eo tempore vires jumento rediisse, ut & magnam Poloniæ, & majorem Hungariæ partem, non æquo duntaxat, verùm & eximio, cum cæterorum jumentis passu, non sine mea aliorumque admiratione, Viennam usque me deportârit.

## IX.

### Etjam hæretica, & nobilis in Ducatu Prussiæ matrona, voto Lindam facto, luem à pecore depulit.

Rem, uti in commentariolum à P Jacobo Barscio fuit relata, verbis iisdem reddam. Sæviens inter peco-

pecora lues, nobilem quandam in Ducatu Pruſſiæ aulam invaſerat: in qua non paucis jam extinctis pecoribus, cæterorum interitum in dies expectabat aulæ Domina. Quæ ubi nota ſibi remedia irrito conatu adhibuiſſet, vidit humana ad avertendum malum nullius eſſe momenti præſidia. Multùm itaque afflicta, ad Deiparæ Lindenſis, de qua plurima jam inaudierat, opem confugit, & tres illi ceræ libras offerendas ſpondet. Haud inani ſpe: ſiquidem & lues ceſſavit ilico; & pecus jam infectum, ſalvum & incolume evaſit. Quare ceram in formam bovis figuratam, per fidelem ſibi fæminam (quæ hoc de Domina ſua, frequenti concione interrogata, bonâ fide atteſtata eſt) voti rea transmiſit Anno MDCXXXII.

## CAPUT XXXV.

### Steriles & parturientes, à B.V. Lindenſi adjutæ.

PRæſens mortalium vita, ſui ubique ſimilis, difficiles perinde aditus atque exitus habet; ut non minora fere naſcentem, quàm morientem pericula hominem excipiant. Neque verò ea pericula ſolis aut partubus imminent, aut prolibus: ipſas perſæpe matres involvunt, ut dum parturiunt aut pariunt, modò fetui, modò ſibi, interdum utrisque mortem pariant. Tanto verſantes in periculo matres, non poteſt DEI Mater negligere; ſi præſertim ad ſuam quoque Lindam, auxilii causâ ſe recipiant.

## I.

### Nobilis matrona à partu & gravi lapſu, opem B. V. Lindenſis experta ſingularem.

Necdum partus advenerat tempus, prægnanti Nobilis in Maſovia viri, Adami Raysky, in Telonio Praſniſienſi Notarii, conjugi; cùm fortuito caſu de gradibus prolapſa & graviter eo lapſu concuſſa eſt. Acceleravit is caſus pariendi neceſſitatem, ut abortiens immaturum effunderet fetum. Sed, & animam unà propè effuderat: biennio certè integro, ægrè animam ex eo morbo trahens, ſummo verſabatur in diſcrimine; quoad voto ad B. V. Lindenſem facto, convaleſcere extemplo cæpit: & paulò pòſt, integrè ſibi reſtituta, ad XVI. Cal. Septemb. Anni MDCXLI. Lindam unà cum marito, & parvo filio Alberto (cujus etjam ope B. Virginis ſanati alio loco hujus libri meminimus) Lindam venit, redditæque tum ſibi tum filiolo ſanitatis, argenteam tabellam perenne monumentum Deiparæ dicavit. Quæ quemadmodum ſunt memorata, P. Matthias Lesky Societatis JESU Reſſelii tum moderator, in commentariolum retulit, & maritus ipſe manu ſuâ hunc in modum ſubſcripſit; *Adamus Rayſky, Notarius Telonei Praſniſienſis nobilis.*

## II.

### Matrona Gutſtadienſis, auxilio B. Virginis, periculoſo partu ſoluta.

Anno MDCXXXVII. ad VI. Non. Jul. Chriſtophori Stef-

ri Steffen, civis Gutstadiensis uxor, eò quòd difficillimo ac periculoso partu, per Deiparam Lindensem expedita fuisset, quas debuit, gratias ac vota dependit. Messem fortasse in campis promotura, parum abfuit, quin ipsamet libitinæ messis fieret. Præter spem, acceleravêre parturientium dolores; iique, à mortuo intra uterum fetu, supra quàm dici potest, auctiores ac vehementiores. Sola in agro erat, ut nullius vel Levanæ, vel Lucinæ, vel etjam obstetricis auxilium præstò esse posset. Tanto in discrimine positæ, Levanam experta est Lindensem divam; ad quam ubi verbis, aut tacitis pótius animi votis sese vertit, effuso repente mortuo fetu, & periculo omni & doloribus exempta est.

## III.

### Difficillimus partus, per B. Virginem Lindensem citra periculum expeditus.

Non quidem Rebecca, sed Anna erat Wormditensis civis, Matthæi Siwert uxor; Rebeccæ tamen sortem, aut potius in partu pericula erat consecuta. Quod de Rebecca (a) memoratur, *iam tempus pariendi advenerat, & ecce gemini in utero eius reperti sunt*, memorari etjam de Anna potest; nam & hæc geminorum partu laborabat. Ac priorem quidem prolem satis feliciter enixa est; cum altera verò, ad mortem propè luctandum usque fuit: mortuus quippe fetus, quin & transversim intra uterum situs, exitum sibi, matri verò spem vitæ præcludebat. A pomeridianis horis ad multam noctem parturiendi conatus



(a) *Gen. 25.*

ſummus erat, incredibili cum dolore, at eventu nullo. Conclamatis jam undique rebus, matrona quædam, parturienti admodum familiaris, miſeræ ſortem atque cruciatus miſerata, extra domum ſe proripit, & ſub dio, ad B. V. Lindenſem, quâ poteſt animi contentione, votum pro incolumitate periclitantis concipit. Eodem ipſo tempore partus, majore utique quàm humanâ vi, confractis lateribus, ac manibus ſupra caput protenſis, utero effuſus, vitam, quam habere ipſe non poterat, matri reſtituit. Quæ tanti haud ingrata beneficii, ad IV. Idus Sept. Anno MDCL. Lindam veniens, Deiparæ tanquam veræ Lucinæ, quæ ſibi lucem utique reſtituiſſet, ingentes ex animo gratias egit.

## IV.

### Triduum parturiens, partu feliciter ſoluta.

Uxori Domini N. Schuhknecht, civis inter Brunsbergenſes facilè primarii, tempus pariendi advenerat; advenerant unà & parturientium dolores, ſed non item pariendi facultas, ne dicam felicitas. Triduum pariendi cruciatibus exercita, nullum edere partum poterat. Aderant ita laboranti adjutrices, pro more fœminæ, ſed præter commiſerationem & muliebres planctus, nihil afferebant opis. Omnes ergo conſilii inopes, ſpe, præſidiisque humanis planè decollantibus ad divinam vertuntur opem flagitandam. Neque verò facilior tum flagitandi tum impetrandi via occurrit; quam per Divam Lindenſem. Puerpera ipſa, unaque ejuſdem conjux, ſi DEIPARA partum levâſſet, tantum ceræ Lindam dedicandæ

voto

votoadjecto ſanctè appromittunt, quantum infans naſciturus, ad libram exactè appenſus ipſo deſignâſſet pondere. Inerat pondus votis; momento partu mulier ſoluta, paulò pòſt votum ſolutura, nudis pedibus, comitante marito, & prolem natam & promiſſum ceræ pondus Lindam, cum adjecta gratiarum actione & argentea votiva tabella (cui inſcriptum *Anna Schubknechtſche*) detulit. Anno MDCLIV. pridie Idus Septemb.

V.

Puerpera periculoſo morbo levata.

Rarum quidem eſt, at non minùs noxium, quod fit, *in partu naufragium.* Gravidæ fetu matres, ubi poſt tot faſtidia menſium, partu ſolvuntur, quaſi in portu, deportatas longâ jactatione merces, exponunt. Evenit tamen non rarò, ut, vel in portu naufragium faciant, quando vitam, quam filiis in lucem editis dederunt, ipſæ amittunt; vel graviſſimè periclitentur, quando variis à partu morbis involvuntur. Involuta iis fuit Eliſabeth Alexandri Schaw apud Biſteinenſes viri conſularis uxor; quæ à partu in ardentiſſimam primùm febrim, deinde verò etjam in phrenitidem eſt devoluta. Ita jactationem corporis, animi excepit jactatio; in qua tamen pia mulieris Chriſtianæ mens, precium operæ, hoc eſt, fructum, ad quam aſſueverat, pietatis tulit. Quæ enim ſanâ aliàs mente agitaverat, emotæ etjam menti occurſavêre: & quæ aliàs ad Divam Lindenſem reviſendam promptiſſimis ſemper animis deſideriisque æſtuabat, in phreneſi illa non deſtitit ingeminare.

O si liceret, vel semel invisere adhuc Deiparam Lindensem. Hoc animi piissimi æstu, febrilis æstus abactus est; & cùm ægra ad mentem quoque rediisset, votum paulò antè factum confirmavit; confirmataque auxilio Deiparæ valetudine, Lindam gratias actura Anno MDCLV. ad IV. Non. Februarias adiit.

## VI.

### Mulier nobilis, morbidos & claudos partus edere solita, B.V. Lindensis ope sanam & integram prolem enixa.

Christina Zaboklicia, quam inter nobiles decem matronas, ab extrema fere Ukraina, ad B.V. Lindensem peregrinas jam antè recensuimus, supra commune cum aliis, singulari insuper voto apud Lindam expedita est. Geminam ante prolem admodum ægram, quin & claudam, breviq; victuram enixa erat; tertiùm igitur gravida, voto se Deiparæ Lindensi obstrinxit, si salvum & integrum edidisset partum, & se, & prolem natam, eidem se Divæ, cum adjecta gratiarum actione, coràm in ipsius Æde stituram. Audita est; proinde filiolum, quem Deiparæ beneficio incolumem ediderat, & ad id tempus superstitem habebat, tam longinquæ peregrinationis, non tam comitem, quàm pondus assumpsit; & apud Lindam Deiparæ præsentem coràm stitit. Quin ipsa paratam se declaravit, reliquum vitæ haud procul Lindensi Æde, transigere; neglecto etjam bonorum, quæ in Ukraina reliquit, usu; dummodo illa filio, ubi adoleverit, manu capienda serventur.

VII. Ste-

VII.

Sterilitas conjugum, ope B.V.Lindenſis depulſa.

Anno MDCLII. Matthæus Eliæ civis Gutſtadienſis, unà cum uxore Catharina, magnato, & inſigni opere pictam Deiparæ Imaginem apud Lindam dedicârunt. Omnes chriſtiani populi ſtatus atque ordines, ſub expanſo Deiparæ pallio, proteguntur, & adſcriptam infra, uſitatam Eccleſiæ precationem quaſi taciti Germanico idiomate pronuntiant. *Sub tuum præſidium confugimus ſancta* DEI *genitrix; noſtras deprecationes ne deſpicias in neceſſitatibus; ſed à periculis cunctis, libera nos ſemper Virgo glorioſa & benedicta.* Cauſa dedicandæ imaginis fuit recèns à Deipara Lindenſi beneficium. Aliquot annos in conjugio, ſine conjugii fructu traduxerant; quo ut tandem, per illius ſuffragia, potiti ſunt, nullâ interpoſitâ morâ, tum accepti beneficii, tum grati erga Deiparam animi, poſuerunt monumentum.

VIII.

Sterilitas agrorum per B. V. Lindenſem emendata.

Quid ni fertilitatem agris impertiat Diva Lindenſis, quæ, uti vidimus, fertilitatem dat genitalibus, ut vocant, arvis? Id experti non pauci agricolæ, quovis anno, quaſi dimenſum ſuum, Deiparæ Lindenſi de frugibus ſibi conceſſis offerunt; & unà illius in ſe agroſque ſuos benignitatem conteſtantur. Quos inter Thomas Schwarg in Atkamp Reſſelienſis agri

pago colonus, Anno MDCLIV. ipsâ Natalis Deiparæ luce, lubens volensque professus est, duodenas sibi messes admodum provenisse tenues, tritico aut exiguo, aut in lolium herbasque noxias degenerante. Ad Deiparam quocirca Lindensem opis auxiliique causâ se recepit, &, si exaudiretur, quovis anno Candelam ceream apud Lindam dicaturum spopondit. Ex eo tempore Triticum sibi & grano purius; & proventu uberius multò esse.

## CAPUT XXXVI.

A variis, & ignotis morbis, vel calamitatibus Deiparæ Lindensis auxilio liberati.

MAgna est aut spes recuperandæ, aut etjam pars recuperatæ salutis, quando vel ægro, vel saltem Medico manifesta est morbi conditio. Quo infeliciores, & periculo magis obnoxii sunt illi, qui & morbo torquentur, & quæ morbis amuleta sint admovenda, scire non possunt. Optimum in hoc quoque morborum genere, à Diva Lindensi peti solet amuletum; quod jam testabuntur exempla.

### I.

### Mulier diutino morbo Lindæ levata.

Anno MDCXXXVIII. diuturno & gravissimo morbo finem, apud Lindam Marianam invenit mulier, Sartoris Allensteinensis uxor. Quatuor supra viginti hebdomadas morbo illo sævissimè exercita, nusquam aut levamen, aut requiem ullam potuit invenire: unde nihil in votis ita afflictæ magis erat, quàm mors, quæ & vitæ & dolorum intolerabilium finem

ſinem imponeret. Interim conſilio amicorum Deiparæ Lindenſis præſidium implorat, &c, vel ſemimortuam deportari ſe Lindam orat. Ne tantillum quidem ſupererat virium, ut vel accedere poſſet ad currum. Mariti quocirca brachiis deportata, ac vehiculo impoſita Lindam tandem venit; & in terram tum pro ſua pietate, tum etjam præ virium ſumma imbecillitate, proſtrata, preces ad Deiparam fudit. Inde erecta, & ad vicinum diverſorium delata, ſenſim vires atque ciborum appetentiam orexinque ſibi redire ſenſit. Refecta nonnihil cibo & vehiculo impoſita, priùs quàm Allenſteinum rediiſſet, advertit ſibi integram, Deiparæ ſubſidio rediiſſe ſanitatem. Proinde & ipſa deinceps identidem, ut grata ſoſpitatrici ſuæ eſſet, Lindam rediit; & Anno MDCXLIV. Calendis Julii omnia, quæ recenſuimus, ipſamet P. Simoni Hein, qui literis deinde tradidit, ex fide pertexuit.

II.

Mulier graviſſimum duorum annorum morbum, voto Lindam nuncupato, feliciter depellit.

Friderici Bartſch civis Traumburgenſis uxor, plus duobus annis, ad mortem uſque, quam ſibi frequentiſſimè, præ dolorum acerbitate, imprecari ſolita erat, ægrotabat. Sed vota impotentioris, ac planè fœminei, non ſunt audita animi, ut deinceps audirentur Chriſtiani. Paulò enim pòſt ab amicis perſuaſa, ut (cùm medicamenta, cæteraque præſidia humana omnia, nequidquam hactenus fuiſſent admo-

admota) admoveret unicum à Deipara Lindensi præsidium; bene salubriterque monentibus paruit, &, quantâ potuit fiduciâ atque pietate, votum Lindensis peregrinationis, si per vires licuisset, nuncupavit. Vix illud ediderat votum, cùm subitò vires pristinæ sanitasque rediêre; ita ut paulò pòst, pedes iter potuerit ingredi, & septendecim omnino leucas Lindam usque pedes decurrere. Ipsis Calendis Julii Anni MDCLI. Lindæ voto expedita est: &, cùm illi suaderetur, ut iter curru domum relegeret, sentio, inquit, me satis firmam ad remetiendum pedibus iter, quod semel huc emensa sum.

## III.

### Septem annorum ægritudo, à voto Lindam facto, confestim desiit.

Anno MDCLIV. pridie Idus Julii Agnes Rozakowska, viri nobilis è Wierzbolovienſi Lituaniæ provincia, uxor votum Lindæ solvit. Septem omnino annos gravi juxta ac ignoto est vexata morbo; nisi quod malum se tussi & ingenti viscerum convulsione nonnihil proderet. Tussis porrò viscerumque convulsio propè continua erat, ut neque interdiu neque noctu quies miseræ esset. Non desiit remedia, etjam humanis majora adhibere, præsertim à D. Virgine, quæ Zurowiciis, magna religione in Lituania colitur, & miraculis beneficiisque divinis, cuivis illustrium religione locorum conferri potest. Jam septies eò supplicabunda accesserat, sed eventu irrito; quia id beneficium Lindensi Divæ, ut postmodum patuit,

patuit, divinitus fuit servatum. Simul enim atque votum Lindam concepit, tussis illa tam inveterata, ilico desiit. Quod si interdum quandoque redit, moderatissima tamen est, & noctes omnino sinit esse tranquillas.

IV.

Vir nobilis duorum fere annorum morbo, per votum ad B.V. Lindensem expeditus.

Prodebat se vis morbi, in pedes principiò, deinde in manus reliquumque corpus diffusi, apud nobilem è Bielscensi in Subsilvania municipio virum Jacobum Waszkienicz. Pedes enim cingulo tenus non languebant modò, verùm & pustulis sanguinolentis ac purulentis fædum in morem scatebant; manus verò postmodum etjam ipsæ unà cum pedibus contractæ sunt, maximo cum doloris sensu & æstu. Duas minimùm hebdomadas, præ vehementia doloris insomnes exegit, ut ad extremum & corporis & mentis redderetur impotens. Amici hominem miserati, vota ipsius nomine concipiunt tum Juchnovicium & Zurovicios in Lituania; tum in Polonia, Czestochoviam & ad Calvariæ, ut vocant, montem. Sed & hæc irrita erant vota. Tandem, voto, per aliquem amicorum Lindam facto, ipse insuper adjecit, si Deiparæ Lindensis beneficio revaluisset, pedibus se totum iter, quod quinquaginta propè leucarum est, nec nisi emendicato pane, ultro citroque confecturum. Confestim voto pondus fuit; & ipse manus juxta ac pedes persanatus, peregrinationem, uti voverat, Lindæ ad XII. Calend. Septemb. Anni MDCLIV. absolvit.

V. Ru-

## V.

### Rusticus annum fere æger, ex voto Lindensi revaluit.

Martinus Uberlender, è Schalmay Brunsbergensis agri pago, eodem anno pridie Non. Junias, peregrinus ex voto Lindæ apparuit, & Deiparæ, pro obtento beneficio gratias supplex egit. Annum propè integrum æger, ita corpore ac viribus erat exhaustus, ut nemo illi vitam adpromittere auderet. At ille voto ad B. V. Lindensem edito, extemplo revalescere ac vires sensim resumere cæpit, ut & labori operisque consuetis, & quindecim leucarum itineri pedibus ultro citroque conficiendo par omnino esset.

## VI.

### Ex anathematis, & votivis ex argento tabellis, variorum & incognitorum morborum curatio æstimanda.

Quæ de ignotis, passim in commentariolos relata sunt, morbis, non sine magna cura, nec sine majore legentium fastidio percensenda hîc essent. Quis enim citra nauseam eâdem chordâ oberrantes audiat? ut cùm aliquis scribit: *Margareta ægra medio anno, voto facto, Lindensem B. Virginem visitandi, convaluit Anno 1617.* Et iterum: *Gertrudis conjux rustici ex Pratten, sex septimanis ægra, voto facto convaluit.* Aut etjam: *Ioannes Straus civis Bisburgensis filiolus, quatuor septimanis ægrotus, voto per parentes facto convaluit.* Plurima id genus prætereunda nobis sunt; ut vel aliquid ex argenteis anathematis, quæ aliquid habent epigrammatis

(nam

(nam quæ raſæ omnino ſunt tabellæ, aut citra epigraphen, nonniſi expreſſam aliquam iconculam habent, ut alias innuimus, plures centenis ſunt) poſſimus adjicere iis, quæ jã ſuis locis variè retulimus. Neq; verò in percenſendis iis, aut temporis aut dignitatis ordo ratione obſervari poteſt: ut, quæque aliquando nobis in manus inciderunt, ita hîc locum poſſidebunt.

1. Refert, Deiparæ Virginis & Pueri Jesu, ſupra Tiliam Arborem inter radios icones, cum hac inſcriptione: *Beatiſſimæ Virgini Lindenſi, Bartholomæus Kuntzius Decanus Sluchovienſis Anno 1654.*
2. Nil aliud, niſi hanc epigraphen habet: *Matthias Rodovvidci 1653.*
3. Refert B. Virginem intra nubes ſedentem; cui ſubſcriptum *Sancta Maria Mater* Dei, infra verò *Ioannes* von Olſen 1650.
4. Quartæ inſcriptum: *Sancta Maria Regina cæli*: infra verò *Georgius Feieracker, ſenior* 1648.
5. Et huic duntaxat inſcriptum *Eliſabetha Chriſtina Striblinskin* 1654.
6. Rythmum Germanicum hoc ſenſu exhibet (*a*) cum literis I.K.

*Tu nos participes ſummorum redde bonorum,*
*Supremum licuit cui genuiſſe bonum,* I.K.

7. Huic inſcriptum à tergo *Martinus Them* 1653.
8. Et huic itidem à tergo *Michaël Fiſcher* 1645.
9. Incendii, ni fallor tempore dicata tabella inſignis cum hac epigraphe: *Auguſtiſſimæ cælorum Reginæ tutelari, civitas Seeburgenſis ex voto offert, Anno ſalutis 1645. die 10. Iunii.* 10. In-

(a) Mutter der höchſten Gütigkeit/
Erlang beym Sohn Glückſeligkeit.

10. Inſcriptum habet: *Monſtra te eſſe Matrem, Funda nos in pace Mutans Evæ nomen.*
11. Inſcriptum itidem habet: *Chriſtina Karvvatin, Troskiana domo* 1650.
12. *Ex voto, I.T. Notarius arcis Seeburgenſis Ann.* 1650.
13. Circa ſtemma refert literas ſequentes: I.D.D. D. quas adjecto epigrammate ita exponit:

*Sincero vovi Ioannes corde Tabellam,*
*Dambrovvsky Tiliæ Matris in Æde* DEI
*Oro, ſinat ne me de nexa Virgo corona.*
*Qua ſi clauſus erô, iam via ad aſtra patet.*
*Anno* 1645.

14. Nihil habet niſi intra radios *IHS. MAR.*
15. Refert imaginem Crucifixi, cui à dextris expreſſus *S. Adalbertus*; à ſiniſtris *S. Catharina, Anno* 1632. adjectis circa ſtemma duabus literis W.W.
16. Conſtat his epigrammatis: *S. MARIA O.P.N. Item D.O.M. & in H.B.V.M. Michaël Runau Aurifaber Seeburgenſis, cum coniuge ſua Eliſabetha D. D. Anno* 1650.
17. Huic inſcriptum: *S. MARIA, ora pro nobis.*
18. Et huic: *Laurentius Merten, cum ſua coniuge Dorothea*: B.M. M.M. L.M. A.M. G.M. 1654. *oblata* 8. *Septemb.*
19. Huic itidem: *Sophia Kadauſche. Monſtra te eſſe Matrem.*

*Poſthuma Divipara ſua vota Dorothea defert,*
*Et memores filiæ Kadaviana preces* 1629.

20. Similiter huic: *Sancta MARIA, Regina cæli.*
21. In hac expreſſa Matronæ effigies, coram B. Virgine

gine flectentis, adjecto Pſalmi verſu: *Vota mea reddam in conſpectu Domini; in atrus domus* DEI *noſtri, A.D.R.*

22. Circa B.Virginis effigiem ſcriptum: *Ave Tilia* DEI *Patris; Ave Mater* DEI *Filii: Ave Sponſa Spiritus Sancti; Ave Templum totius Trinitatis.* At verò à tergo: *D.O.M.Virgini* MARIÆ *immaculatæ, Georgius VVichman DD. conſecratq;* 1651.

23. Ante B.Virginem, effigies Virginis inter flores genu flexæ, cum Germanica inſcriptione: *Mater* DEI, *ora pro me.* 1650.

24. Expreſſa cordis figura, & miles genu flexo, cum adjectis literis A.K.1641.

25. Reſuſcitatio Lazari opere faberrimo expreſſa.

26. Continet hanc inſcriptionem: *D.O.M.M.V.M. Iacobus à Nenchen, ac Anna VVichmaniana, hanc effigiem obtulerunt.*

27. Epigraphen itidem ſequentem habet: *Quaſi Cedrus exaltata ſum in Libano. In honorem B.V.M. dedicat Andreas Ludig Seeburgenſis Capellanus, olim Kivittenſis* 1634.

28. Virginis flectentis ſpecies, & circa ſtemma literæ A.N.Z.B.

29. Coram B. Virginis imagine ſubſcriptum *Andreas Eckel, Regina Eckelin.*

30. Inſcriptio ſola: *Sancta* MARIA, *ora pro nobis.*

31. Intra expreſſam cordis effigiem ſcriptum: *Cor mundum, crea in me* DEUS *Anno* 1647.

32. Coram fuſili B.Virginis, ſuper laminam, imagine, *Agnes Lettavin* 1633.

33. Epigraphen ſolam habet *Vladislaus Guſtavus, ſtudioſus S.Bennonis* 1645.

34. Et hæc similiter: *S. Maria*, *Ioan. Schroter* 1636.
35. Et hæc *Ioannes VValiszevvsky* 1637.
36. Speciem refert Poloni coram B. V. flectentis cum literis M. P.
37. Sub Nomine IHS subscriptum: *Pro ægra*, *Anno* 1643.
38. Inscriptũ habet *Matthæus Puschman*, *Prisca* 1641.
39. Et hæc: Maria, *Mater* Dei, *Regina cæli.*
40. Item hæc, *Elisabeth Stobbin* 1652.
41. Et hæc, *Ioannes Kunig, ejusq; conjux Iustina H. D. R. Z. E. G. V. D. A. M. G. M. L. Anno* 1650.
42. In lamina deaurata exhibet effigiem B. Virginis sine ulla epigraphe: à tergo tamen atramento inscriptum nomen illustrissimi Palatini Mariæburgensis *Iacobi VVeiheri.* Credo ante annos circiter duodecim, quando unà cum illustrissima sua conjuge Schaffgotschiana, B. Virgini Lindensi coràm se supplicem stitit, dicatã esse.
42. Continet imagines *S. Valentini*, & *S. Reginæ*; cum subjecto nomine, *Valentini Roszinsky* 1654.
43. Refert Jesu & Mariæ nomina: *IHS. MAR. A. Z.*
44. Inscriptionem habet: *D. O. M. in honorem B. V. M. Matthias Kalozinsky fieri curavit* 1653.
45. Similiter & hæc Germanicè: *Mater* Dei, *ora pro nobis*, *Paulus Kusch Anno* 1654.
46. Et hæc: *Sub tuum præsidium confugimus sancta* Dei *Genitrix* 1654.
47. Item hæc, juxta nomen IHS *Ex voto*, Deo, *beatæ* Mariæ *Virgini, Bartholomæus Fischer Anno* 1648. *obtulit.*

48. &

48.& 49. Utraque ejuſdem voto dicata. Et alteri quidem inſcriptum: I F.C.F.F.C. Anno 1654. alteri verò, Joannes Feſter V.F.F.C.1652.utraque à R D Joanne Feſter primùm Vicario, deinde verò Commendario, ut vocant, Freidenbergenſi dicata.

49. B.Virginis Imagini fuſili, fuſiles itidem Angeli diadema utrinq; imponunt. Infra ſubſcriptum: *Ora pro nobis, ſancta* DEI *Genitrix, ut digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.* At verò à tergo: *Hoc curavit fieri ad maiorem* DEI *gloriam, & beatiſſima Virginis* MARIÆ, *Petrus Kruger Conſul Meelſaccenſis Anno* 1646.

50. Huic inſcriptum *Andreas Pilchovvicz Heres in VVilcken, ex voto effigiem hanc B.V.M.offert, dedicatque Anno* 1652.*die* 2.*Februar.*

51. Huic verò, *Ioannes Berg nobilis Livo, B.M.V.Lindenſi, Patrona ſua ex voto* 1633. Hujus voti cauſam ipſemet, Anno 1655.die 24.Aug. cum Gedano ad Raygrodenſem præfecturam, quam poſſidet, iturus Lindam viſeret, ajebat fuiſſe, ſuum è Livonia à Suecis poſſeſſa exilium. Seceſſerat enim in Germaniam; ex qua militaribus auctus honoribus, dum in Moſchoviam Uladislaum IV. Regem comitatur, ex ipſis Moſcoviæ finibus, per P.Chriſtophorum Zalewsky, Orſenſis Collegii S.I.Rectorem, votivam hanc tabellam fieri, & Lindam mitti curavit.

52. Hujus inſcriptio eſt: *Spectabilis Dominus Clemens Bucholtz Proconſul Seeburgenſis, cum Vrſula coniuge ſua fieri fecit, Anno* 1648.*die* 5.*Iulii.*



Digitized by Google

53. Refert cor deauratum crucemque cordi quaſi inſertam cum adjunctis literis C.M.

54. Inſcribitur: *Votum B.V.M. à me D.A.S. Anno* 1652.

55. Itidem inſcribitur *Henricus Delin, Anno* 1625. *die* 8. *Maij*.

56. Similiter inſcribitur: *Si* DEUS *pro nobis, quis contra nos, Simon Nenchen.*

57. Solum nomen inſcriptum *Anna Maria Commytz.*

58. Solum itidem nomen *Georgius Meyer* (*a*) *Ephippiarius Varſavienſ.* 1648.

59. Crucifixi effigiem, cum B. Virgine, & S. Joanne ad latera adſtantibus refert, quibus ſubſcriptum epigramma:

*Urit Amor,* JESU, *Virgo, Patrone Ioannes,*
*Ut ſacro dives munus amore feram.*
*Tres vos, unus ego; vos Unio; munere fiat*
*Unius triplex veſter ut unus Amor.*

Deinde adjectum *Ioannes Lamsheipt, Canonicus Gutſtadienſis Oeconomus Epiſcopatus Varmienſis Anno* 1642.

60. Continet hanc epigraphen: *Tamatus Iacobus VValcker, civis Seeburgenſis, cum Domina ſua conjuge Anna; in honorem B.V.M. fieri curaverunt Anno* 1648.

61. Similiter inſcriptum habet linguâ Polonicâ (*b*) *Terentianus Zochovvsky, Tribunus Ciechanovienſis* 1650.

62. Et hæc: *S. MARIA, ora pro nobis; S. Caſimire, ora pro nobis.*

(a) Hoff-Satler in Warſchaw. (b) *Ziemak Zochovvsky VVoysky Ciechanovvsky.*

*nobis*. Jam vero à tergo, *Ertmudis Dromlerin*, gebohrne Wormin *Anno* 1648.

63. Similiter hæc: *S. Maria, ora pro nobis, Laurentius, & Margarita Klein* 1653.

64. Circa ſtemma: *E.P. à N. ex voto diſcedendo Romam H.E. & H.*

65. Item alia ejusdem: E.P.N. *V*.C.G.C.S.R.M.S. Eſt autem utraque dicata ab Euſtachio Placido Nenchen, primùm quidem Secretario Regio, deinde verò Canon. Varmienſe.

66. Solam hanc inſcriptionem habet: *In honorem* DEI *omnipotentis, & B.* MARIÆ *Virginis, nobilis Iacobus Zagorny, hæres in VVorayn, hanc Tabulam fieri F. Anno* 1652.

67. Refert effigiem B.V. Lauretanæ, ſerto incluſæ, Angelis flares deſuper ſpargentibus, adjectis literis A.H.

68. Conſtat hâc epigraphe: *Salve parve Puer; ſalve virguncula Mater, Heribertus Ioannes Schnetla Anno* 1638.

69. Sub nomine JESU, habet inſcriptionem hanc: *Georgius Eiſenbletter civis Brunsbergenſis* 1645. Retulit autem decimo inde anno, Monumentum hoc ab ſe poſitum ob depulſam ope B. Virginis febrim, qua plus trimeſtri conflictabatur.

70. Inſcriptum habet *Anna Maria, gebohrne Stanislavvski* 1649.

71. Refert Nativitatem Domini, cum lemmate: *Gloria in excelſis* DEO.

72. Germanicè inſcriptum: *S.* MARIA, *ora pro nobis.*

73. Exhibet fuſiles, ſuper laminam, Crucifixi & B. Virginis ac S. Joannis imagines cum epigraphe: *Ad M. D. G. & auguſtiſſimæ Virginis honorem. Reſpice Virgo, vide hoc Amoris pignus, humilemque debitæ ſervitutis teſtem. Hum. Cliens tuus H. I. Hennig* 1639.

74. Sub imaginibus B. Virginis, S. Annæ, & Domini Jesu in medio ſtantis ſcriptum *Clara Steinſohnſche* 1650.

75. Germanicè ſubſcriptum: *Ad honorem ſanctiſſimæ Matris* Dei, *Gregorius Baſner, & Georgius Althoff, uterq; civis Seeburgenſis fieri fecerunt, Anno* 1647.

76. Inſcribitur *Anna Leibin* 1652.

77. Et huic inſcribitur: *Vovit B. Virgini Ioannes Hitz. Heres in Ramſau Anno* 1652.

78. Et huic, *Andreas Kludtk*.

79. Similiter & huic, *Georgius Sobedin* 1647.

80. Itidem huic *Me. Pracillofsky*.

81. Et huic: *In honorem B. M. V. fieri fecit Fridericus Montau, piè defunctus Notarius Seeburgenſis* 1647.

82. Refert imagines B. Virginis cum puerulo Jesu, & ſanctæ Eliſabethæ cum S. Joann. Baptiſta itidem puerulo, additâ epigraphe: *O quàm pulchra eſt caſta generatio cum claritate! Immortalis eſt memoria illius, quia apud* Deum *nota eſt, & apud homines. Sap.* 4.

83. Juxta B. Virginis effigiem continet S. Ignatium flectentem cum inſcripto nomine, *Ioannes Niſvvand* D. D. 1648.

84. Ex utraque refert ſculptas effigies; & in altera quidem Germanicè ſcriptum: *Ave ſanctiſſima*

DEI *Genitrix; Ora pro nobis Dominum, Amen.* 1653. in altera verò: *Sancta Maria, ora pro nobis.*

85. Habet fuſilem pedem ſibi appenſum, cum inſcriptione *Anna Bruchmannin.*

86. Solam habet epigraphen hanc, *Anno* 1626. *die* 4. *Iulii Anna Schutzin.*

87. Refert imaginem B. Virginis cum puero JESU in Ægyptum fugientis, addito nomine, *Margarita Vreiſſin* 1651.

88. Inſcriptum habet: *Sancta* MARIA *maior*: à tergo verò, *Gertrudis Hanmanſche Anno* 1651.

89. Sub B. Virginis effigie, *Laurentius Ballinsky.*

90. Epigraphen hujuſmodi continet: *Regina Michaëlis Elert ſua, ex voto obtulit, B. V. Lindenſi Anno* 1648.

91. Solam inſcriptionem habet, *Fridericus Kodzborsky* 1652.

92. Refert effigiem manus, cum addita inſcriptione *Ioannes Lemke, Anno* 1654.

93. Inſcriptum habet Germanicè *Ioannis Trabanten uxor Anno* 1651. *H.D.M.L.* id eſt, curavit hoc fieri.

Atque hæ ſunt votivæ Tabellæ argenteæ, quæ ab aliqua ſui epigraphe diſtingui, atque hîc conſignari potuerunt; præter quas plurimæ aliæ ſunt, quæ vel nullam omnino aut effigiem aut inſcriptionem habent, ideoque referri huc non potuerunt, vel, ſi habent, jam ſuis locis à nobis commemoratæ explicatæque ſunt, vel deinceps hoc & ſequente libro commemorabuntur.

# CAPUT XXXVII.

A morte, vel præsente mortis periculo, B. Virginis Lindensis auxilio erepti.

TRes sorores veteribus fuerunt, vitæ mortisque arbitræ; quippe stamina vitæ aut producere, aut præsecare potius fingebantur. Verè Parcæ, & nomine & re; quia inexorabiles, præsertim ubi vitæ fila præsecuissent semel. Una nobis, DEI Mater & Virgo est, quæ etjam abrupta, si fabulis locus aliquis est, per Parcas, vitæ stamina restaurat; ideoque & *Mater misericordiæ, & vita atque dulcedo, spesq; nostra*, Ecclesiæ ipsius suffragio audit. Numquid & apud Lindam suam id sibi operæ sumit? Ego quidem non dubitem etjam hîc usurpare, id, quod de B. Virgine Ecclesia Græca universim in Menæis canit, asserens eam mortuorum quoque Matrem, quæ resurrectionem mortuis peperisset. Sic enim Deiparam appellat (a) *Acerbus ligni gustus me occidit: Planta autem, de Te, ô Virgo, exoriens, vitam mihi reddidit. Partus enim tuus est Resurrectio mortuorum, captivorum libertas, erectio iacentium.*

## I.

### Puella tecto domus obruta, ad vitam, per B.V. Lindensem revocata.

Domos ac tecta, servandæ ac fovendæ vitæ causâ stru-

(a) ἡ πικρά με τοῦ ξύλου γεῦσις ἐνέκρωσε. τὸ τεχθὲν ἐκ σοῦ, κόρη, φυτὸν ἐζώωσε. τόκος γὰρ ὁ σὸς, τῶν νεκρῶν ἐξανάστασις, λύσις αἰχμαλώτων, ἀνόρθωσις κειμένων.

ſâ ſtruunt mortales; quibus tamen non rarò mors pro Tumulo uti ſolet. Conata eſt id Allenſteini, perfeciſſetque; niſi præſidium Deiparæ Lindenſis interceſſiſſet. Gertrudis erat puella Joannis Kirſten & Gertrudis conjugum filia; quam mors domi, ipſa domo pro armis uſa oppreſſit. Incertum, quo caſu tectum domus corruit, & tignis lignisque cæteris, puellam oppreſſit. Magno parentum aliorumque molimine, nec minore dolore, inter tigna ac rudera reperta; atque inde exanimis, perfracto brachio, totoque corpore miſerè afflicto extracta eſt. Non potuit aliter cùm à cæteris, tum à parentibus, quàm pro mortua haberi ac tractari; quod & mater deinceps apud Lindam eſt teſtata: ſed & viſcera parentum non poterant, tam acerbo ſpectaculo, non commoveri quàm maximè. Ubi ad ſe nonnihil rediêre, ex illa triſtitiæ dolorumque nube, ad eos, qui à Linda Mariana, beneficiorum divinorum in omnes ſe effundunt, radios reſpiciunt, & DEI Matri, exanimem filiam commendant, adjecto uſurpandæ apud Lindam, tum pænitentiæ, tum euchariſtiæ voto, neque votum eventu caruit. Benigniſſima quippe DEI Mater, hîc ſe & vitam, & dulcedinem exhibuit, reddito puellæ defunctæ ſpiritu; quo per venas ultro citroque commeante, membris omnibus vigor ſuus viresque rediêre. Sanam igitur atque incolumem filiam parentes, Anno MDCXXXVIII. ad IX. Calend. Jun. Lindæ ſervatrici ſuæ coram ſtitêre, votoque, quod nuncupârant, ritè ſunt defuncti.

## II.

### Inter perpetuas liberorum mortes, filiolus præſidio B. Virginis, per viſum parentibus indicato, ſervatus.

Non incommodè locum hîc illud Prophetæ (a) ſibi vendicet: *Quomodo ſi eruat paſtor de ore leonis duo crura, aut extremum auriculæ.* Leonis inſtar graſſabatur mors in liberos Ertmanni Wein civis Gutſtadienſis opificio rotifieis. Jam quinos rapuerat, continuis funeribus elatos; jam & ſexto imminebat; rapuiſſetque, niſi Deipara Lindenſis *tanquam extremum auriculæ de ore leonis*, eruiſſet. Jam enim & hic morbo implicitus, adeoque moriturus certò erat, niſi Deipara morti eripuiſſet. Quadrimus vixdum erat, cùm parens (ut in commentariolo Patris Simonis Hein ſcriptum reperio) Anno MDCXXXVIII. ad VI. Nonas Julias, illum apud Lindam circum Altare geſtavit, *ac dixit mortuos ſibi quinque iam liberos iſto maiores; cumq; vereretur etiam hunc ultimum moriturum, per viſionem monitus eſt, votum ut faceret ad Divam Virginem Lindenſem, & Tabellam per puerulum offerret, ſic enim eum mortis periculo eximendum. Eventus veram fuiſſe promiſſionem probavit. Hodie Tabellam argenteam, ſpectante populo frequente, puerulus obtulit; & pater cum filio ſano domum eſt reverſus.*

III. Re-

(a) *Amos* 3. 12.

III.

Religioſus Ordinis Minorum, voto Lindam nuncupato, à præſente mortis periculo ereptus.

Anno MDCXXXVIII. ad XVII. Calend. Octob. P.F. Ludouicus Pfeil, Ordinis Minorum de Obſervantia Lindam, ab ipſis Poloniæ finibus, cis Poſnaniam peregrinus advenit; & ſtatuam è cera in morem religioſi Ordinis Minorum effictam, Deiparæ Lindenſi, tanquam voti reus, obtulit. Reminiſci non poſſum, quo genere morbi ad extrema fuerit deductus; reminiſcor tamen (quippe qui multis deinceps illo familiariter uſus ſum) cùm mihi, tum aliis pluribus palàm fuiſſe confeſſum, ad ipſam ſe mortem vi morbi fuiſſe adactum, neque alio niſi Divæ Lindenſis præſidio ereptum. Quod quidem non in Aula modò illuſtriſſimi Epiſcopi Varmienſis, verùm & totâ paſſim provinciâ ubique pro comperto ferebatur. Degebat ille, ad id uſque temporis in Polonia, cùm morbo corripitur, cui neque medicorum neque ulla mortalium præſidia (quin pro deplorato, depoſitoque haberetur) paria erant. Rebus igitur conclamatis, ſubit illi mentem præſidium, in Pruſſia, patria ſua (Reſſelii quippe in Pruſſia natus erat) conſtitutum, quo cæteri mortales apud Lindam Marianam feliciſſimè perfruuntur. Quocirca Moderatores, quorum ſub imperio agebat, vel intermortuis vocibus appellat atque obſecrat; vellent, juberent, votum ab ſe Divæ Lindenſi nuncupari, &, ſi revaluiſſet, peregrinationem ad eandem ſuſci-

ſuſcipi. Annuentibus illis, voto ſe ſimul obſtringit, & ſimul morbo mortiſque periculo abſolvitur. Quod ille tanto prædicavit enixiùs, quanto diutius inde hæſit in Pruſſia, & Lindam Marianam, grati animi ergo frequentiùs viſitavit.

## IV.

### Vir in Polonia genere & dignitate illuſtris, voto Lindam pro ſe facto, propinquam evaſit mortem.

Piaculum foret hoc aliis referre verbis, quàm quibus & à jurato civitatis Reſſelienſis Notario ſignatum, & teſtibus fide digniſſimis confirmatum eſt. Sic igitur Notarius ille: *Anno Domini, milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo, die ſecundâ Iulii, illuſtris ac magnificus Dominus, Albertus Alexander Przeczkovvsky, Heres in Zbenin, Theſaurarius Terræ Lomzenſis, & Notarius terreſtris iuxta ac caſtrenſis Rozanenſis & Makovienſis, quæ ſequuntur, coram teſtibus infrà ſcriptis, teſte conſcientiâ edixit. Anno currente, cùm in bonis regalibus Lomzyn, ſubitò gravi, & periculoſo admodum morbo eſſet correptus, ita, ut neque ſui, neque nominis ſui memoriam teneret; à coniuge, cæteriſq; propinquis, varia vota pro incolumitate decumbentis, ad varia loca ſacra edita ſunt: quæ quidem æger, magis propinquorum, quàm ſuâ voluntate, rata eſſe voluit. Interim caſu efferuntur literæ, à P. Stanislao Zberovvsky Societatis* JESU, *de propinqui ſui morbo planè ignari; quibus inter cætera, indulgentias & miracula ad B. Virginem Lindenſem, pro feſto potiſſimùm Viſitationis B. Virginis, exhiberi ſolita commendabat. Hic ſubitò æger ipſe ultro*

*votum*

*votum concipit (quippe qui ad illud interiore inſtinctu, ac vi impellebatur propinquiſquè variè diſſuadentibus obtendebat, ſe omnino, vel inter media iacula de cælo ruentia, voti causâ locum inviſurum) Lomzamquè ad Patrem Societatis* JESU *Andream Bobola ſcribit, ut ſecum, ſuâque causâ votum ad B.V. Lindenſem concipiat. Vix votum emiſſum, cùm æger revaleſcere ſenſim cæpit, breviquè ad perfectam valetudinem vireſquè rediit: ita ut infra hebdomadam, pro officio ſuo adeſſe luſtrationi Equitum Polonorum, ipſeq́; pro more patriæ, inter alios, Eques vehi ac ſpectari potuerit. Quocirca beneficii divinitus accepti memor, & gratus; pro ipſo Viſitationis B. Mariæ Virginis feſto, neque privatis, neque publicis Reipublicæ, Comitiorumq́; terreſtrium negotiis detineri potuit, quin voti reus, itineri ſe committeret. Venit igitur die, & Anno, quo ſuprà; ſacramentiſq́; pænitentiæ & eucharistiæ refectus, quæ ſcripta ſunt, in præſentia teſtium infra nominatorum, referri in tabulas, atque conſignari voluit.*

*Albertus Przeczkovvsky Theſaurarius Terr. Lomzenſ. & Notarius Rozanenſ. & Makovienſ. S.R.M.S.*

*Ita eſſe atteſtor Paulus Mollerus Archipresbyter & Parochus Reſſelienſis, manu prop.*

*Idem teſtor Valentinus Maievvsky Parochus Biſchburgenſis, manu prop.*

*Idipſum teſtor, Thomas Clagius Reſidentiæ Reſſelienſ. Societatis* JESU *ſuperior, manu prop.*

*Idem teſtor Chriſtophorus Schmid Actorum Reſſelienſium iuratus Notarius, manu propria.*

V. Alius

V.

Alius itidem illuſtris è Polonia vir, præſentis periculo mortis ereptus.

Extat hujus rei votiva ex argento apud Lindam Tabella, cum hac epigraphe: *D.O.M. Virginique Matri, Fonti miſericordiarum, Martinus Szyszkovvsky Capitaneus Lelovienſis* Germanus is erat frater illuſtriſſimi Varmienſis Epiſcopi Nicolai Szyszkowsky; ad quem etjam reviſendum è Polonia in Pruſſiam excurrerat. Lætitiam è gratiſſimo fratris conſpectu ſingularem, propè mors præcidit; morbus certè haud leviter interrupit. Paulò enim pòſt, quàm Heilsbergam venerat hoſpes, tanta illum vis morbi invaſit, ut nulla medicorum induſtria, quin pro depoſito haberetur, par eſſet. Quò major illuſtriſſimo Epiſcopo exinde cura atque dolor, cui unicus ille fratrum ſuperst erat, in quo *domus*, ut ille ait, *inclinata recumbebat*. Quocirca etjam majore fiduciâ Divam Lindenſem, cujus, ut ante vidimus (a) honori propagando eximiè ſtudebat, ſupplex accedit, & fratris nomine votum concipit. Extemplo æger ad ſe, rediit, rediêre unà & vires; ita ut paucis interjectis diebus, Lindam accedere, & inter prolixas memoris animi gratias, ſanitatis, quin & reſtitutæ ſibi vitæ monimentum dictum ipſe coràm ſtatuere potuerit.

VI. Ca-

(a) *lib.3.cap.12. &*

## VI.

### Canonicus ob præcipitem ex equo lapſum de vita periclitans, ſibi reſtituitur.

Inter votivas ex argento Tabellas, quædam eſt, quæ Equum per avia, inviaque curſu effuſum, & ſeſſorem humi afflictum ſacerdotis habitu refert, cum addita epigraphe: *Thomas Selbey, C.G. voti reus ſolvit.* Nemo omnium, quibus Lindæ cura hactenus commiſſa fuit, inventus eſt, qui mihi vel dicati anathematis cauſam, vel picturæ myſterium evolveret. Cùm autem ipſe admodum R. D. Thomas Selbey tum quidem Canonicus, nunc verò etjam Decanus Gutſtadienſis, ſuperſtes DEI gratiâ etjamnum eſſet, ipſum datâ occaſione coràm percontatus ſum; &, quæ didici, ex fide jam reddo. Ibat ille aliquando eques ad Capituli Gutſtadienſis prædium, Viertzighuben dictum; jamque villam ingreſſus erat, cùm equus non latratu modò, verùm & morſu canum, in præceps actus ita eſt, ut nullâ habenarum vi, nullâ ſeſſoris contentione flecti, ne dicam ſiſti poſſet. Non ignorabat ſeſſor, quanto in vitæ diſcrimine verſaretur; quò magis præſidium, quod in Deiparæ ope collocârat, animo verſabat. Interea maximo impetu de equo excutitur, & vel ad ſaxum (neque enim ſatis reminiſci poſſum) vel ad terram ſaxo vicinam, eodem alliditur impetu. Actum fuiſſet de vita, niſi, quemadmodum D. Decanus ipſe diſertè fatetur, in ipſo mortis articulo, à Deipara vitam recepiſſet. Quod beneficium & illo jam tempore poſito Lindæ monu-

monumento, actisque divæ ſervatrici gratiis celebravit; & nunc perennibus gratiis agendis, grataque, quoties occaſio datur beneficii deprædicatione, non deſiſtit celebrare.

## VII.

**Præpoſito Gutſtadienſi, conclamata jam ob acerbitatem morbi, vita reſtituitur.**

Si omnium, quæ ſymbola vel notas aliquas habent impreſſas, tabellarum vel anathematum explicare, vel etjam cognoſcere rationes & cauſas arcanas liceret, quanta vel operi huic moles, vel beneficiorum Deiparæ multitudini cumulus accederet? Quot enim capite præcedente omnino intacta præteriri debuerunt, quin & deinceps debebunt? Geminas præterire neque poſſum, quia earum rationem aſſecutus jam ſum; neque ſanè, ut poſſem, etjam debeo; quia, quoad licet, gloriæ & honori Deiparæ Lindenſis detractum nihil volo. Si literam unicam demas, iisdem utraque notis conſignata eſt; altera quidem hoc modo: M. A. B. C. G O V. 1649 altera verò hoc: M. A. B. P. G. O. V. Non difficile mihi fuit aſſequi utramque dicatam eſſe à *Matthæo Alberto Bogursky*, Anno quidem 1649. Canonico, deinde verò 1650. quo poſterior Tabella conſecrata fuit, jam Præpoſito Gutſtadienſi, & ſimul Oeconomo Varmienſi: at vel divinare, quam tandem ob cauſam dicatæ eſſent, per quàm difficile. Auctor ipſe difficultatem ſuſtulit, qui hoc ipſo 1655. Anno, cauſas mihi coràm explicuit. Prior enim Tabella ob vehementes morborum cruciatus, poſterior verò etjam ob depulſum mortis periculum oblata fuit. Anno e-

no enim MDCL. gravibus in negotiis Poloniam adierat; ubi ad uſitatos calculi cruciatus, febris peracuta, aliorumque ſymptomata morborum acceſsêre. Triduum integrum exanimi quàm vivo ſimilior, non ipſe modò, verùm & alii ſpem vitæ abjecerant. Verùm à Diva Lindenſi, cujus & aliàs opem expertus fuerat, & tum maximè implorârat, ſpes vitæ, quin & vita impetrata. Quam ob rem, ubi in Pruſſiam reverſus eſt, nihil habuit antiquius, quàm ut Lindæ ſe, atque unà beneficii tanti monumentum Deiparæ ſiſteret.

## VIII.

### Viri nobilis Villicus, quintum diem extra ſenſus poſitus, voto Lindam nuncupato ſibi reſtitutus.

Ita apud Lindam Marianam ſanctè de ſe aſſeruit Gregorius Radiken, VII. Idus Julias, Anni MDCLII. Agebat Villicum in Elditten apud generoſum virum Euſtachium à Nenchen; cùm interim vehementiſſimo involutus eſt morbo. Quodcunque tandem morbi genus fuerit, vis certè ac malignitas tanta erat, ut abruptâ vitæ ſpe, ipſa quoque vitæ ſtamina viderentur abrumpi: jam enim quintum diem extra ſe, ſenſusque poſitus, nihil cibi aut potionis admiſerat. Frater, qui interim aderat, fratris miſertus, quid miſero afferret remedii, non habebat. Occurrit animo decantata omnibus Divæ Lindenſis poteſtas æquè in mortem, ac pietas in mortales: utramque piiſſima Mater, ut in fratrem ſuum exerceat, ſupplex obſecrat, & Lindæ inſuper à fratre, ubi revaluiſſet, quàm



Digitized by Google

primùm reviſendæ, votum nuncupat. Adfuit repentè homini jam depoſito, invocata Mater DEI, ut poſtridie de illius benignitate licuerit illi tum vivere, ut ederet, tum edere, ut viveret: interjectoque brevi admodum tempore ſanus atque incolumis non tam villicationis, quàm gratitudinis ſuæ rationem coràm Lindæ reddiderit.

## IX.

### Religioſo Societatis JESU Sacerdoti, in Auſtria, per Deiparam Lindenſem vita conſervata.

Nemo id melius, quàm qui expertus ipſe eſt, ſcribendo explicuerit. Eſt autem ipſe, cujus literas paulò antè (a) produximus, P. Joannes Aloyſius Kuhn. Sic enim iisdem ille literis de ſe memorat. *Mitto affectum meum beatiſſimæ Virgini Matri Lindenſi ſub notis Muſicis expreſſum; quandoquidem nonniſi exigua ſigna magnæ Matri transmittere queo. Suum Diva Lindenſis, in has uſque oras, auxiliare brachium extendit. Meam illi in acceptis vitam refero, miraculum tamen ſileo, ne videar vivere miraculosè. Quam ſpem vitæ depoſito mihi Medicus hoc anno præcidit, illa opem ejus imploranti, repentè integra cum valetudine contulit; ut à multo tempore, quo vitam in Societate dego, meliores vires, quàm quibus nunc DEI & Deiparæ Lindenſis beneficio fruor, non ſim expertus.*

X. Vi-

(a) *lib. 4. cap. 33.*

X.

Vidua Regiomontana, voto Lindam facto, periculum mortis evaſit.

Sub Anni MDCLIV. exitum, Walpurgis, civis Regiomontani Melchioris Renner relicta vidua, ſtomachi, viſcerumq; omnium per octo minimùm hebdomadas intolerabiles experta cruciatus, de vita omnino periclitabatur; præſertim cùm omnia incaſſum adhibita eſſent remedia. Evaſit tamen periculum, ubi peregrinationis Lindenſis votum fecit; ſed ita evaſit, ut multa ubique morbi veſtigia reſiderent. Quàm primùm tamen Lindenſe arripuit iter, omnis prorſum dolor receſſit; ut pedes, quidquid interjacet itineris, potuerit emetiri.

XI.

Viro nobili, omnium judicio jam depoſito, vita per B. V. Lindenſem prorogata.

Quod vir in Maſovia nobilis, Dominus Nicolaus Truſzkowsky, Paræciæ Lachovienſis, VI. Nonas Julii Anni MDCLII. coram R. P. Alberto Kuklinsky Rectore (qui etiam id literis tradidit) & Paulo Radig atque N. Trabant, conſularibus Reſſelii viris ſanctè affirmavit, idipſum vicini illius Anno MDCLIV. ad VI. Idus Septemb. cives Colnenſes pari fide confirmârunt. Vis illum morbi ita oppreſſerat, ut tandem vita propè omnis deſtituerit. Qui aderant, nihil intentatum reliquerunt, ut ſenſibus, à quibus jam erat abalienatus, reſtitueretur. Cùm cætera fruſtra eſſent omnia, ſubiit animos Mariana Deiparæ Linda, & apud eam, quamvis

Pp 2 lon-

longè dissitam, præsens ac singularis in omnes benignitas. Votum eò ægri nomine concipiunt; & simul æger, reddito paulatim animo, sensum vigoremque corporis, omnium exspectatione maturiùs recepit. Virium quippe jam compos, haud ita multò pòst in viam se sat prolixam dedit, & sanus atque incolumis Lindæ vota persolvit.

## CAPUT XXXVIII.

Animæ Purgatorii per B. Virginem Lindensem adjutæ.

QUæ, & quanta sit Deiparæ in Animas purgatoriorum ignium carceribus detentas clementia & caritas, vel ex iis, quæ tum Alphonso Cortesio, tum Joanni Ximenio, Societatis JESU religiosis, aliquando in mandatis dedit, facilè colligas. *Illi* enim, teste P. Joanne Rho (a) *qui singulari quâdam pietate Deiparam, per omnem vitam coleret, familiariùs quiritanti aliquando, quod se molestis animi angoribus scrupulisque confici pateretur*, edixit, atque haud dubio oraculo monuit Virgo, *si salvus ac liber esse vellet, animis è purgatorio igne redimendis, operæ plurimum impenderet.* Hunc verò ante suam Imaginem orantem, ac vehementiùs concepto æstuantem amore, sic affatam Deiparam ferunt; *Ximeni, cave, ne animas in Purgatorio igne laborantes oblivioni tradas.* Quæ igitur, quasi conductas suorum operas, pro animabus Purgatorii ita solicitat, suam iis operam suffragiumque deneget? Quod cùm alibi, tum apud suam quoque Lindam accuratè præstat. Proinde qui jam animos mortalium cum mor-

(a) *in varia histor. lib. 1. cap. 4.*

morte vel mortis periculis luctantes, vidimus à Deipara adjutos, jam ut ii cum ignibus purgatorii luctantes, ab eadem juventur, videamus.

I.

Anima cujusdam defuncti, preces ſui causâ apud Lindam Marianam fieri expetit.

Anno MDCI. Idibus Octobris Lindam inviſit matrona Gutſtadienſis, Martini Wagneri conjux: ut ſuis aliorumque precibus ac placaminibus, divinum in fiſcum conferret aliquid, expungendis animæ, quæ ſibi apparuerat, nominibus profuturum. Paucos enim ante dies, cùm ædes ipſius nocturnis fragoribus atq; lamentis identidem perſonarent, ſupplex à DEO petierat, ut, quidquid tandem rei id eſſet, edoceretur; ſe enim ad omnem DEI nutum, dummodo planè de eo ſibi conſtaret; promptam omnino pacatamque fore. Edocta eſt, ac monita per ſomnium, ut ipſa, adjunctis, quas etjam de nomine appellavit, duabus aliis matronis, Lindam pergeret, & preces piaque alia pro ſe placamina faceret. Mulier, quemadmodum monita aut potius rogata fuerat, aliis ſomnium indicavit; ſed cùm ab aliis fortaſſe, tum à viro quodam gravi, indicium illud riſu acceptum eſt, resque omnis anicularum fabellis ac meris ſomniis adſcripta. Ergo, ne ſomnia vigilantibus quoque objicerentur, poſterâ die, ipsâ ſextâ matutina horâ, quâ in Templo ſignum, pro ſacris, ære campano dabatur, vigilanti, atque adeò ad Templum ſe accingenti ſpectandam ſe, in lineis veſtibus animula exhibet, precesque antè per ſomnium poſtulatas, citra ſomnium

ingeminat, continuoque ex oculis disparet: sed disparere ex animo minimè potuit; quoad mulier, quidquid rogata erat, primo quoque tempore, apud Lindam, ritè executa est.

## II.

**Defunctæ conjugis anima, sacro apud Lindam Missæ sacrificio precibusque adjuta, suâ aliorumque quiete gaudet.**

Pontem, quo facilis ad cælum patet aditus, Deiparam Virginem, appellat & adorat, Græca in Menæis (a) Ecclesia. Quid igitur mirum sit, si jam solutæ à corporibus animæ, quæ liquidiùs utique Deiparæ agnoscunt dignitatem, ad ejus suffragia ac patrocinia anhelant? Anno MDCLIII. è vivis excessit Gregorii Schroter civis Guttstadiensis conjux; sed ita excessit, ut per dimidium annum fragoribus terroribusque nocturnis christianæ erga se caritatis ac pietatis domesticos omnes commonefaceret. Viduus maritus nihil suo officio deesse passus, jam stipe egenis, pro sua facultate, liberaliter data; jam sacro sancto Missæ sacrificio piis defunctæ conjugis manibus parentavit; nihilo tamen perstabant adhuc nocturni illi fragores ac tumultus, quia apud Lindam nimirum Marianam, pons animæ illi paratus ad cælum erat. Posteaquam enim maritus sacrum pro defunctis Lindæ se curaturum, & aliquid ceræ ibidem oblaturum vovit, sua manibus piis quies, & ædibus tranquillitas extrem-

(a) *σὲ τὴν εὐδιάβατον γέφυραν, περιφανῶς, μακαρίσωμεν apud VVagnereck. num. 329.*

extemplo rediit. Quocirca maritus, quod voverat, ſine cunctatione executurus, iter Lindam versùs ingreſſus, ad XVII. Calend. Julias MDCLIV, Anni Lindæ apparuit, & voto perfunctus eſt.

## III.

### Plures juvandis piorum manibus, donaria & anathemata Lindam mittunt.

Altiſſimè omnium cordibus fidelium videtur impreſſum, quod ipſa de ſe Dei Mater apud S. Brigittam, Bloſio teſte (*a*) profeſſa eſt. Nam, ut Bloſius inquit, audivit S. Brigitta, ipſam beatam DEI Genitricem Virginem dicentem: *Ego ſum Mater* DEI, *& Mater omnium, qui ſunt in Purgatorio. Quia omnes pænæ, quæ debentur purgandis pro peccatis ipſorum, per preces meas quâlibet horâ, aliquo modo mitigantur.* Quod quidem etjam S. Bernardin. Senenſis (*b*) tradidit: *Beata Virgo*, inquit ille, *in regno Purgatorii dominium tenet; propterea inquit Eccleſiaſtici* 24. *Et in fluctibus maris ambulavi. Pæna ſiquidem purgatorii, ideo dicitur Fluctus, quia tranſitoria eſt; ſed additur, Maris; quia nimium eſt amara. Ab his Tormentis liberat beata Virgo, maximè devotos ſuos. Et hoc eſt, quod ait. Et in fluctibus maris ambulavi; ſcilicet viſitans & ſubveniens neceſſitatibus & tormentis devotorum meorum: imò & omnium, qui ibi exiſtunt; quia filii ejus ſunt, cùm ſint filii gratiæ.* Atque hinc non minimus ſolet



(a) *Monil. ſpirit. cap.* 13. (b) *ſerm.* 3. *art.* 2. *cap.* 3. *de Nomine Mariæ.*

Digitized by Google

esse numerus eorum, qui apud Lindam Marianam juvandis propinquorum, aliorumque in purgatorio existentium manibus, Deiparæ opem implorant. Paucos duntaxat memorabo, qui aliquod suæ illic pietatis monimentum reliquerunt. Anno MDCL. Dominus Jacobus Hanman Consul Meelsaccensis, non longo temporum intervallo, & uxorem, & filium, qui in Olivensi Cisterciensium Monasterio professus jam erat, ereptos sibi indoluit. Ut tamen in altero seculo utrique prospiceret, utrumque Deiparæ Lindensi commendavit, missâ Lindam tabellâ votivâ, cum hoc epigrammate:

*Ad maiorem* DEI *gloriam, beatißimaque Virginis honorem. Pro charißima consorte Anna Silbein, & filio Petro Professo Olivensi, Iacobus Hanman Consul Meelsaccensis 1650.*

Anno MDCLIV. Gregorius Spohn civis Traumburgensis, ad III. Nonas Junias, Deiparæ Lindensi obtulit calicem argenteum, cum velo & omni ad sacrificium necessario apparatu. Velum porrò & reliquos apparatus nigri coloris erat, quia cum cæteris defunctis, tum uxoris suæ manibus consultum maximè cupiebat. Sub idem fere tempus etjam D Georgius Eisenbletter, inter Brunsbergenses, genere & opibus facilè primus, ut defunctæ haud ita pridem matri suæ Deiparam Lindensem redderet propitiam, peregrinationem, ex voto promissam, Lindæ absolvit. Cujus ego quidem votis, haud invitus mea conjunxerim, ut bene sit manibus piæ, & in Collegium Brunsbergense munificæ præ cæteris matronæ. Illa enim socios ad desertum bello Suecico Collegium

post-

poſtliminio revertentes, veſtibus, commeatu, & ſupellectile maximè inſtruxit; illa ſuccedentibus deinceps annis munificam à Collegio manum nunquam ſubtraxit; illa denique, niſi ſuorum nonnemo obfuiſſet, auguſtiſſimam **Collegii illius** rem, aliqua fundi parte, augere cupiebat. Sit merces etjam bonæ voluntati æterna, ab eo, qui teſte Regio vate, *voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet* (*a*) Plures alii ſuperioribus annis defunctorum causâ, è Brunsbergenſibus Lindam peregrinati ſunt; præſertim ubi fama de multorum apparitionibus, totam ita repleverat civitatem, ut etjam totâ latè Varmiâ funderetur. Cui ego famæ, quid, & quantum tribuam, non invenio: niſi quod tum donaria Lindam & ad alia ſacra loca paſſim miſſa, tum imagines aliaque monumenta ea de cauſa erecta, non omnino hauſtam ex vano fuiſſe confirment.

## CAPUT XXXIX.

Quidam ob neglectam Lindæ, vel Eccleſiæ religionem divinitus puniti.

PLures tum ſecundo, tum etjam tertio libro, qui vel deſertum Lindæ locum temerare, vel etjam reſtauratam contumeliâ injuriavé aliquâ ſunt auſi afficere, divinam expertos Nemeſin produximus: pauciores hoc loco producemus, quia eò jam Lindæ Marianæ ſplendor atque dignitas promovit, ut paucos jam vel furor, vel etjam temeritas in eam tranſverſos agat. Quin & hi, qui jam producentur, in ſe



(a) *Pſalm.*

potius, quàm in Lindam fuerunt injurii; nisi pro Lindana etjam reputes injuriâ, quod cùm in vicinia positi sint, aut Lindam etiam de longinquo, sacrorum causâ frequentare soleant, utrique castigatâ divinitus negligentiâ suâ, ad dignam eo loco observantiam, studiumque religionis excitari necesse habeant.

## I.

Qui jejunium sextæ feriæ violat, à morbo, quo corripitur, nonnisi B. V. Lindensis auxilio eripitur.

Quid potest esse crudelius hæresi, cui non propriæ duntaxat, verùm & alienæ salutis negotium, ludus est? Eo namque temeritatis, ne dicam insaniæ nonnulli devenerunt, ut non satis habeant, si ipsi pereant, nisi & alios in exitium secum adducant, & quidem adducant ludendo! Hinc illis non rarò in Prussia mos est, sannis, ludis, &, plus quàm scurrili urbanitate, innoxiæ plebis sensum pervertere, & cùm ad alia suæ sectæ capita, tum ad jejuniorum pellicere contemptum. Hinc illa statis jejuniorum diebus ad vorandas carnes illicia, atque solicitationes. Quòd si suadendo atque solicitando nihil promoveant, uti quidem apud cordatiores, etiam de plebe, rarò promovent, fraude, dolo, & ludificationibus agere, atque, ut in proverbio est, de alieno corio ludere. Nam & ludi ipsorum, persæpe etjam innoxiè seductis noxæ sunt; uti quidem Anno MDCLIV. Thomæ Janowsky è Subsilvania oriundo fuerunt. Rusticas ille operas, apud Goldapensium civium quendam exercebat, salvo tamen religionis Catholicæ, quoad potuit,

exer-

exercitio: nunquam enim adduci potuit, ut appoſitas feriâ ſextâ, aliove jejunii die carnes etiam deguſtaret. Et ecce per ludum tandem pertractus eſt in naſſam! Occuluerant intra olus carnes impii ludiones, nihil vetiti condimenti eſſe aſſeverantes. Credidit homo ſimplex atque olere veſcitur; cùm ecce ſuilla intra olus tandem apparet. Cohorruit illico, & guſtare deinceps religioni ſibi duxit. Nihilominus ludionum verbis perſuaſus, tandem ultro carni manum admovet, & bucceam ori ingerit: ſed non ſine conſequente eodem veſtigio divinâ vindictâ. Repentè enim corripitur morbo, ut decumbendum fuerit. Ita decumbenti, at necdum ſopito, ſpecies humana auguſtior (ille Deiparam fuiſſe ait) coràm adſtare viſa: quæ etiam placidè interrogavit, ecquid deinceps jejunium ſextæ feriæ religioſius ſervare vellet? cùm ille reſpondiſſet, velle, quin & ad hanc voluntatem voto firmatam, adeundæ Lindæ votum adjeciſſet, continuò ſanatus, VI. Idus Julias Lindam adiit, & tum delictis ſuis expiatus, tum votis ritè ſolutus eſt.

## II.

## Ab eſu carnium diebus jejunii, prodigio quidam revocatus.

Sub idem fere tempus, atque eadem fere de cauſa alter Lindæ expiatus eſt. In ipſo verni quadraginta dierũ jejunii capite, atq; adeò ipsâ quartâ feriâ, quæ à cineribus nomen habet, menſæ cujusdam hæretici, haud procul Reſſelio, accubuit; & hoſpiti, pro ſolita hæreticis urbanitate, ad vorandas carnes invitanti,

adeo-

Digitized by Google

adeoque carnes cum quadra offerenti, haud gravatè infelix conviva assensus est. Et jam manus erat admoturus, cùm se inusitato quodam sensu aut potius horrore percelli sensit; quin & tres sanguinis guttas, è naribus in quadram defluxisse vidit. Prodigium id, haud vanè interpretatus est; quippe qui extra id temporis monumentum, neque in pueritia, neque in provectiore deinceps ætate, vel unicam sibi de naribus guttam sanguinis meminisset unquam stillavisse. Eo quocirca prodigio absterritus, non modò carnibus abstinuit, verùm & Lindam haud multò pòst iter instituit, & de servando in posterum religiosiùs jejunio, constanter sibimetipsi cavit.

## III.

### Ad festorum cultum dierum, quidam supplicio divino admonitus.

Carbonarius is erat, & struem lignorum in carbones exurendam, jam habebat paratam. Instabat sacrosanctum Paschatis festum, quod à servili opere quàm maximè coërcere hominem debuerat. Ille tamen cæptum opus urgere, & ipso Sabbatho sancto ignem pyræ subjicere, proinde & ipsa Paschæ Dominica operi intendere. Verùm illâ ipsâ die, vindicem Domini manum sensit: nam & oculis offusa caligo repente est; & pedes labescere ac dolore excruciari continuò cæperunt. Quibus ille malis ut levaretur, auxiliarem Deiparæ Lindensis manum imploravit, & expertus tandem est; quemadmodum permodico spacio interjecto, Lindæ ipsemet professus est.

IV. Al-

## IV.

## Alter quoque ob violatam feſtorum dierum religionem divinitus plexus, voto Lindam facto convaleſcit.

Colonus quidam in vicino Pruſſiæ Ducatu haud longè degebat Lindâ, quò etjam cum reliquis in eodem Ducatu agentibus Catholicis, divini cultus gratiâ, frequentare diebus feſtis ſolitus erat. Obrepſit tandem noxius homini torpor, & fortaſſe etjam ipſum hæreticorum conſortium, quaſi noxio quodam halitu, miſerum afflârat; ut multò tempore domi iners deſideret; &, quanquam duobus tantummodo paſſuum millibus Linda abeſſet, rarò tamen Lindam ſacrorum causâ, etjam feſtis diebus adiret. Tantam animi inertiam, non iners modò, verùm & peracerbus excepit morbus; quo membra omnia obtorpuerunt, & reſolutis nervis enormiter ſunt contracta, ac demum lecto affixa. Senſit enimvero miſer ſupplicium; ſed & ſupplicii cauſam, non potuit intimiùs animo non perſentiſcere. Pervigilium erat Natalis Dominici Anni MDCLIV. quo & ipſe pervigilare de ſalute indipiſcenda cæpit. Quia verò à neglecta Lindæ frequentatione morbi origo fuit, promittit, ſi ex morbo illo emerſiſſet, ipſis Januarii Calendis Lindam aditurum, & cum circumciſo JESU omnes animi noxas amputaturum. Convaluit poſtero abinde die, ipſo videlicet Natali Domini; & advenientibus Calendis Januarii Lindam veniens, non modò per ſacra pænitentiæ atque euchariſtiæ ſacramenta, expiatus

piatus eſt, verùm, ut ad cæterorum exemplum, id divinæ in ſe genus vindictæ literis mandaretur, ſacrum conſcientiæ ſuæ Judicem, magnopere obteſtatus.

# LIBER V.

## *De beneficiis divinis, apud Lindam Marianam, Anno MDCLV. vel exhibitis, vel cognitis, & in commentarium relatis.*

### CAPUT I.

Ratio, & Oeconomia hujus libri.

QUod S. Ildephonſus, eximius ille, & non calculo duntaxat, verùm & veſte candidâ è cælo miſsâ, probatus Deiparæ encomiaſtes cenſuit, reipsâ nos quoque omnium minimi experimur: nimirum Laudis, vel, ut ille loquitur, *Defenſionis Deiparæ, ſatietatem nullam eſſe* (a) *Hæc enim* (ut, quod ſanctus Chryſoſtomus ad cap. 1. Geneſ. hom 3. de S. Scriptura dixit, de B. Virginis beneficiis dicamus) *ſpiritualium fontium natura eſt, ut hoc magis ſcaturiant, & accreſcant ſpiritales gratiæ, quo quis magis ſtudet inde haurire.* Quin imò,

(a) *lib. de Virginit. B. M.*

imò, ſi fides non abrogatur alteri, ut ſic dicam, Ildephonſo, hoc eſt, Richardo à ſancto Laurentio, vero S. Ildephonſi in prædicanda Virgine Deipara collegæ (a) *Talis inveſtigatio* (qualem videlicet Eccleſiaſticus proponit dicens (b) *Vadens poſt illam quaſi inveſtigator, & in viis illius conſiſtens*) *quaſi quidam paſtus eſt animæ: unde ipſa* (videlicet Deipara, de qua agit) *Qui edunt me, adhuc eſurient. Quaſi in ore cordis habet hæc, qui firmiter credit, quaſi maſticat, qui piè inveſtigat; quaſi trajicit in corporis nutrimentum, qui bene operando, imitatur, & qui rectè afficitur erga ipſam.* Propoſitos initiò quatuor libros dum molimur, hoc eſt, dum in illorum Sapientiæ divinæ (quæ per Matrem ſuam & ad nos deſcendit initiò, & nunc mira inter nos operatur) inveſtigatione viarum immoramur, & oblato nobis paſtu reficimur, verum quoque ex parte in nobis fuit illud: *Qui edunt me, adhuc eſurient.* Tantum enim abeſt, ut aliqua nos laboris ſatietas caperet, ut, quod alibi diximus (c) quintus hic liber nobis ſub manibus naſceretur. Ut enim iis, qui mare ingreſſi ſunt, evenit, ſive navi ſive etjam pedibus aquas pertentent, plus ſemper aquarum inveniunt, quo magis à litore recedunt; ita profectò nobis quoque evenit. Magnum eſt MARIA mare; magna aquarum huius maris tum vaſtitas, tũ altitudo. MARIA, inquit, præclarè Dionyſius Car-

(a) *lib.* 2. *partis.* 5. (b) *Eccl.* 14. (c) *lib.* 1. *cap.* 1.

Carthuſianus (*a*) *interpretatur Mare: quia ſicut nullus valet guttas Maris dinumerare, ſic miſericordiam, gratiæ excellentiam, gloriamq́; MARIÆ nullus valet exprimere.* Et S. Petrus Chryſologus alludens, more ſuo, ſubtiliter ad illud Geneſeos 1. *Congregationes aquarum appellavit Maria*: MARIA, inquit (*b*) *Mare vocabatur. Et quomodo non* MARIA *Mare? Congregationes, inquit, aquarum appellavit Maria. Nomen hoc renaſcentibus ſalutare; hoc virginitatis inſigne; hoc pudicitiæ decus; hoc Collegium ſanctitatis.* Et ne quis in ipſa ſyllabarum quantitate (producitur enim media in nomine MARIÆ, cum in congregationibus aquarum corripiatur) ceſpitandi locus relinquatur, piè juxta atque argutè Richardus à S. Laurentio (*c*) occurrit, atque cauſam ita reddit. *Idcirco huius nominis* MARIA, *media longa eſt, ut in eius nominatione diutius immoremur.* Qui etiam in rem præſentem alio loco (*d*) ita eleganter differit. *Sicut nec Maris profunditas, ſic nec* MARIÆ *liberalitas poteſt exhauriri. Indefeſſè enim, & ſufficienter dat gratiam univerſis (niſi per eos ſteterit) quam facillimè invenit apud* DEUM. Quæ quidem inexhauſta prorſum, etiam apud Lindam Marianam MARIÆ liberalitas, hunc nobis librum quintum peperit. Poſteaquam enim illuſtriſſimus Epiſcopus Varmienſis, Encyclicis literis, quas alio loco produximus, Archipresbyteris, cæteriſque de clero edixit, ut miracula ac beneficia Deiparæ Lindenſis vel ipſi colligerent, vel populum ſuum ad ea colligenda enarrandaque exci-

(a) *lib. 3. de laudibus Virg.* (b) *ſerm. 146.* (c) *lib. 12. de laud. Virg.* (d) *lib. 4. cap. 6.*

excitarent; tam multa, quæ vel hoc, vel ſuperioribus annis evenerunt, enarrata collectaqúe ſunt, ut volumen integrum requirerent. Quanquam, ut fortaſſe referri ad priores libros potuiſſent, etjam multis de cauſis expediebat, ſeparato ea libro prodi. Præterquam enim, quòd multitudine magnitudineqúe ſuâ, quartum præcipuè librum, jam cæteris vaſtiorem, plurimũ auxiſſent, intererat lectoris, ut ad levandum ejus faſtidium, nova hîc tractandi methodus adhiberetur. Sicut enim hactenus, beneficia Deiparæ in certas claſſes, juxta cujusque generis materiam digeſſimus, Czeſtochovienſem, VVartenſem, aliasqúe Virginis hiſtorias ſecuti; ita deinceps Hallenſem, Aſpricollenſem, Cellenſem, Silvaducenſem, atque in primis Lauretanam, ſecuturi, temporis duntaxat ordinem rationemqúe habebimus; & res ut, quæqúe vel evenit, vel certè ad noſtram devenit notitiam, proponemus, ſolâ temporis per menſes ſuos partitione adhibitâ. Ad hæc omnino videbatur expedire ea, quæ hoc MDCLV. Anno vel geſta, vel cognita, atque in commentarium relata ſunt, ſingulari volumine tradi, ut ex hujus anni, vel potius aliquot duntaxat menſium anni (potiſſimum enim Majus, Iunius, Iulius, & Auguſtus ſibi librum hunc vendicabunt) proventu atque ubertate, de cæterorum retro actorum ubertate annorum, judicium fieri queat. Si enim par fortaſſe aut in inveſtigando, aut in ſcribendo notandoqúe adhibita fuiſſet diligentia, par fortaſſe collecta fuiſſet Marianæ beneficentiæ, ac divinorum apud Lindam beneficiorum meſſis. Vt porrò major fuerit hoc anno in



Digitized by Google

connotando inveſtigandoqúe diligentia ſtudiumq; adhibitũ, non tamen omnia, aut cognoſci, aut etjam, quæ cognita ſunt, referri in commentarium potuerunt. Nam & pudor quidam ſubruſticus, adhuc quosdam deterruit; ne vel divina prodendo beneficia, ſuas proderent calamitates; vel etjam nominum ſuorũ viderentur quærere in publica hiſtoriæ luce celebritatẽ. Quid, quod ipſæ temporis anguſtiæ impediunt tum populos, pietati Sacramentorumqúe frequentationi maximè intentos, ſuis rebus commemorandis immorari tum ipſos ſacerdotes, miniſteriis tot, non dico hominum ſed populorum gentiumq; accuratè intentos, ſingula attentiùs exquirere, ne dicã rimari? Quid deniq; quod cùm permulta & inveſtigata, & cognita fuerunt, pleraq; tamen connotari haud potuerint; ſive quòd homines, qui connotanda ſuo debebant loco ſuggerere, temporum excluſi anguſtiis, vel etjam comitum ſuorum querimoniis adacti maluerant relegendo ſe itineri, quàm renarrandis ſuis ſuorumqúe rebus accingere; ſive etjam, quod ii, qui connotare debuerant, memoriâ tot inter hominum rerumqúe tumultus facilè fallente, non poterant? Ipſe ego, qui hujus anni æſtatem apud Lindam traduxi, & non minimam connotandis rebus operã intendi, fateri nihilominus neceſſe habeo, non pauca mihi, quæ ſignanda erant, excidiſſe, multo verò plura, quæ mihi iteratò fuerant à variis enuntianda, ſilentio quacunq; tandem ex cauſa, ab iis fuiſſe prætérita. Ad extremum, illud hoc loco neceſſarjo videtur commemorandum, multa hoc libro tradi, quæ hoc anno geſta non ſunt, quia tamen hoc anno indicata, cogni-
ta,

ta, atque consignata sunt, jure ad eum pertinebunt. Nam, ut bene Antonius Balingem ante suos de B. Virgine Ephemerides(a) monuit; *Licèt dies duntaxat, quo miraculum innotuit, signetur, nihilominus hic ille ipse dies potest is dici, quo miraculum accidit. Quod quidem, non quolibet levi argumento firmari potest, sed ex sacrarum literarum usu petito, quibus id familiare est, ut tunc aliquid enuntient fieri, cùm factum esse demonstratur, aut cognoscitur. Vt Genes. 12. ait* DEUS *ad Abraham: Nunc cognovi, quòd timeas* DEUM: *id est, cognoscere feci, seu manifestavi. Vt interim sileam, longè ampliorem Deiparæ provenire honorẽ ex mirabilium eius promulgatione, quàm ex ipso opere mirabili, si lateat, nec ad mortalium aures perveniat. Imò ideo à Numine* DEI *Genitricis interventu patrantur opera ista, supra omnem naturæ facultatem; non quidem ut sub modio delitescant, verùm ut sparsa in auras & omnibus explorata, maiorem ei venerationem concilient.*

## CAPVT II.

Anni MDCLV. mensis Martius.

NOn nos annum cum Romulo priscisq; Romanis sed gestas hujus anni res, à Martio ordimur. Et ordimur, non à Cal. vel Non. vel Idibus Martii: quia apud Lindam Marianam, neque Matronalia Calend. neq; Vejovis sacra Nonas, neq; ad extremũ aut Parricidiũ Cæsaris, aut Annæ Perennæ festum Id. occupant. Quinquatria potius, quæ in quintum ab Id. diẽ, hoc est in



(a) *Ad lectorem num. 12. & 13.*

eſt in XIX. Martii ſeu in XIV. Calend. Apriles incidunt, occupamus; quia eâ luce, divo Ioſepho Deiparæ ſponſo dicatâ, apud Lindam exinde verſaturi, miſſi ſumus. Tametſi enim Linda prioribus anni menſibus, Ianuario nempe ac Februario, beneficiis divinis, quæ etjam libro quarto pleraque ſunt memorata, vacua non fuerit, tamen ut ipſa rerum natura verno tempore, cui Martius initium dat, ſeſe renovat, & quodammodo reviviſcit; ita & apud Lindam pietas atque religio; quæ impeditos hiberno frigore nivibusqúe peregrinos, aliosqúe etjam in vicino poſitos, rariores videbat, à Martio potiſſimùm menſe multò videt frequentiores: ut hic ſuo modo locum habeat, quod de menſe Martio cecinit Poëta (a)

*Quid? quod hyems adoperta gelu, tunc deniq; cedit,*
*Et pereunt lapſæ ſole tepente nives?*
*Arboribus redeunt detonſæ frigore frondes,*
*Vividaqúe in tenero palmite gemma tumet.*
*Quæqúe diu latuit, nunc quà ſe tollat in auras,*
*Fertilis occultas invenit herba vias.*

Et verò quàm non malè Quinquatribus, veterum poſſit cum iis, quæ & alibi, & apud Lindam Marianam agitamus, convenire feſtis, docuit haud indignus Ferdinando utroque Cæſare ſive Orator, ſive conſcientiæ arbiter P. Ioannes Gans, qui, *quaternos concionatorios, de quavis quinque ſolennitatum Deiparæ diſcurſus, quinquatria Mariana appellavit.* Quod ſi aliquid ſupra nudum Quinquatriorum nomen quiſpiam hîc deſideret, ad ea, quæ Ovidius per ſingulos

(a) *Ovid. Faſt. I.*

Digitized by

gulos Quinquatriorum dies agitari ſolita memorat, oculos vertat. Sic enim ille canit:

*Vna dies media eſt, & fiunt ſacra Minervæ;*
*Nominaquè à junctis quinque diebus habent.*

Quòd ſi quis non quinque duntaxat, ſed etjam ſeptem intra Quinquatria Mariana velit numerare, etjam me authore fecerit. Vt enim initium eorum, tum S. Ioſephi ſponſi tum poſtridie S. Ioachimi Patris B. M. Virginis, ita finem eorum excipiunt, tum ipſum Annuntiationis Dominicæ feſtum, tum in ejusdem pervigilio ſolennis Archangeli Gabrielis, per quem Annuntiatio facta eſt, memoria. Sed audi reliqua apud Poëtam:

*Altera, tresquè ſuper ſtratâ celebrentur arenâ,*
*Enſibus expertis bellica læta Dea eſt.*
*Pallada nunc pueri, teneræquè ornate puellæ;*
*Qui bene placârit Pallada, doctus erit.*
*Pallade placatâ; lanam mollire puellæ*
*Diſcant, & plenas exonerare colos.*
*Vos quoque Phœbeâ morbos qui pellitis arte,*
*Munera de veſtris pauca referte Deo:*
*Nec vos turba fori ſenſu fraudata magiſtri*
*Spernite, diſcipulos attrahit illa novos.*
*Quiquè movet cælum, tabulasquè coloribus uris*
*Quiquè facit doctâ mollia ſaxa manu.*
*Mille Dea eſt operum: certè Dea carminis illa eſt,*
*Si mereor, ſtudiis adſit amica meis.*

Si non indignum eſt Deiparâ Virgine profanum Palladis aut Minervæ nomen, præſidia & ſuppetiæ, quæ Poëta Minervæ affingit, ex vero Deiparæ Virg. conveniunt; quemadmodum exempla tum hactenus

cumulatè producta docuerunt, tú hoc ſequentibusq; producenda menſibus, affatim docebunt.

I.

Adoleſcens lethali morbo liberatus.

Atque ut ab illa ipſa XIX. Martii die, quam Quinquatriorum Marianorum primam ſtatuimus, ordiamur: Laurentius Zabrodzki, è Polonia quidem oriundus, ideoque homo catholicus, ſed in acatholico pago Pilſen, duo circiter millia Paſſuum Lindâ diſſito, inquilinus & paſtor, teſte conſcientiâ retulit, quod etjã ſuo tempore ac loco, præſentibus quibusvis teſtibus, jurejurando confirmare paratus eſt, Ioannem Karwowski adoleſcentem, voto ab ſe, nomine ipſius Lindam nuncupato quamvis catholicus non eſſet, ſanitati eſſe reſtitutum. Raſtemburgo is erat oriundus, & cum patre vietore ad dictum pagum commigrârat. Ibi morbo correptus ita eſt, ut ſex menſes integros pro depoſito haberetur, & nonniſi matris ſuæ manibus geſtari, aut loco moveri poſſet. Quæſita undique ſunt remedia, adeò, ut pro hominum illorum rudium æque ac infidelium more, ſagarum quoq; & pythoniſſarum implorata fuerit opera. Verùm cùm ne iſta quidẽ prodeſſet mater, quæ mira Deiparæ Lindenſis opera, atq; in depellendis hominum morbis vim, id loci poſita ignorari non potuit, quanquam catholica non eſſet, dictum Laurentium, tanquam hominem catholicum accerſit, atque ut filium ſuum jam planè deploratum Divæ Lindenſi offerat, infimis precibus obſecrat. Fecit ille, quod rogabatur, & votum nomine ægroti Lindam, quâ potuit,

tuit, fiduciâ ac pietate concepit. Ab eo voto confestim æger revalescere ac pedibus etjam niti cæpit, ut intra hebdomadam comitari Laurentium, & quidem pedes, Lindam usque, haud gravatè potuerit. Lindam ubi venit, & sacram Ædem pro more ter circum obivit, ipsam tandem Ædem ingressus, præeunte Laurentio, salutationem Angelicam in genua provolutus recitavit; eodemque momento viribus ita integrè restitutus est, ut omnino sanus atque vegetus domum regressus, etjam opificio, ac cuivis alteri operi, operam manusque suas possit admovere.

## II.

### Mulier gravi dentium cruciatu levata.

Eâdem die atque loco, eodemque prorsus conscientiæ testimonio retulit idem Laurentius, dicti adolescentis matrẽ, filii exemplo permotam, non dubitâsse in suo quoque morbo à Deipara Lindensi, opem implorare. Immani dentium cruciatu exagitabatur, cui nullum usquam reperiebat levamen. Minùs erat periculosum, sed nihilominus peracerbum malum, quod nullam diu noctuvé partem quieti relinqueret. Cujus sensus, quò magis ipsam pertentabat, eò magis ad opem, non jam per alium, sed per seipsam à Deipara Lindensi poscendam compulit. Ipsa proinde adeundæ Lindæ, honorandæque Dei Matris votum concipit; & exinde cruciatu illo soluta, ut voto quoque exolveretur, proximum Deiparæ festum oppetiebatur.

### III.

### Mulier gravi capitis, faucium, brachiorumqúe dolore liberata.

Eodem prorſum die, non quidem Lindæ, ſed Reſſelii in templo, Deiparæ Lindenſis ſingularem in ſe beneficentiam prædicavit Catharina, Ioannis Ertman in Robawen vicino pago coloni uxor. Quatuor circiter hebdomadas continuis juxta ac acerbiſſimis brachiorum, gutturis, capitisqúe doloribus exercita, nuſquam niſi ad Divam Lindenſem præſidii causâ ſe vertit. Vovet Imaginem ad ſacram ipſius Ædem, quàm poſſet, celerrimè, ab ſe dedicandam. Repentè omnis dolor reſedit; ut, quæ graviter hactenus decubuerat, continuò ſurgeret, &c, quà liberet, facilè deambularet.

### IV.

### Pectoris, viſcerumqúe doloribus, remedium Lindæ ab hæretico quæſitum.

Ad VIII. Calend. Apriles (qui XXV. Martii dies eſt) *celebrabatur* Romanis, ut ait Macrobius (a) *exordium lætitiæ, quem diem Hilaria appellabant.* Celebrabantur autem Hilaria, ut in Alexandri Severi vita meminit Lampadius, *in honorem Matris* DEÛM. Et quid fabuloſa Deûm Mater Cybele, ad veram DEI Matrem MARIAM? proinde quid veterum Hilaria (quantumvis præ maximâ populi lætitiâ, quovis è populo inſignia cujusque dignitatis liberè ac impurè mentiente, internoſci magiſtratus à ſimulatore vix poſſet, ut in commodo innuit Herodianus) ad ea,

(a) *Saturn.* 1. *cap.* 21.

ea, quibus mundus hac Annuntiatæ Virginis, Incarnatique Verbi die redundat, Hilaria? Ecclesia sanè Græca in Menæis, die hodierna vix aliud magis, quàm gaudium, hoc est *Hilaria*, ingeminat. Nam, vel in uno Angeli Gabrielis & B. Virginis Dialogo, quem è Calamo S. Ioannis Damasceni exceptum, multis hujus diei horis Ecclesia illa decantat, quid gaudio frequentius? quid lætitiâ uberius? Principiò ode primâ invitatur Deipara ad audiendam Angeli vocem, lætitia plenam. *Audi filia, plenam lætitiâ Angeli vocem; nam tale tibi gaudium monstrat, quod nemo potest effari* (*a*) Deinde ipsa Deipara, audito Gabrielis nuntio (*b*) *Dum haurio*, inquit, *ô Gabriel, tuorum ad me verborum lætissimum sonitū, divinis profecto lætitiis tota redundo. Nam gaudium nuntias, & quidem gaudium, quod nulla finiat dies.* Adhæc eadem Deipara (*c*) postquam Archangelum gratulantem audierat, *Tu mihi*, inquit, *iucunda, & prorsus divina indicas nova; dqúe cum acclamatione & plausu*: vel ut citra paraphrasin à Wagneteckio adhibitam, nudè interpretemur. *jucundum Evangelium, & divina præconia, mihi nunc proclamas.* Quibus Angelus respondens, vix aliud, quam ex usitatâ lætantium formula, identidem *Gaude, gaude*; vel, *lætare, lætare*, ingeminat. *Lætare*, inquit, *ô altitudo*



(a) *apud VVagnereck. num.* 298. ἄκουσον θύγατερ τὴν χαρμώσυνον φωνὴν τοῦ ἀγγέλου χαρὰν γὰρ μηνύει σοι τὴν ἀνεκλάλητον (b) ῥημάτων σου τὴν φωνὴν, γαβριὴλ, τὴν χαρμόσυνον δεξαμένη, εὐφροσύνης ἐνθέου πεπλήρωμαι. χαρὰν γὰρ μηνύεις, καὶ χαρὰν τὴν ἄληκτον (c) *Ode* 7. φαιδρὸν εὐαγγέλιον, θεῖα κηρύγματα, νῦν κραυγάζοις μοι.

MARIA, *lætare profunditas; lætare*, &c. (a) Deniq; finē Dialogo imponens Deipara, Angelum, verbis hujuſcemodi, quæ gaudii atque exultationis plena ſunt, ab ſe dimittit (b) *Exhilarata ſum ſermonibus tuis, & te Oratorem agnoſco ab ipſa ſubmiſſum veritate: es enim nuncius gaudii latè patentis, ut cenis fructus ad omnes omnino pertingat*. Quæ affinia prorſum ſunt iis, quæ in ſua illa divina Ode, apud Zachariæ ædes B. Virgo de hoc ipſo Incarnationis myſterio agens cecinit. *Et exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.*

Iſtius gaudii, exultationis, atque Hilariorum particeps inter alios, hac ipſa die ſatagens eſſe, quamvis hæreticus, Stanislai Baginski ex Olszewo Rheinenſis in Ducatu municipii pago, filius Martinus, ſex minimum leucarum iter Lindam uſq; non tam gradiendo, quàm ob vim morbi reptando ingreſſus, pridie feſti Lindam acceſſit; & tum illo tum poſtero die non preces duntaxat, ſed quædam è cera donaria, B. Virgini pro ſui incolumitate obtulit. Auditus ſit, nec ne, haud conſtat: neq; enim ut tot jam allata exempla docent, ipſo in loco audiuntur. Quemadmodum enim plurimi ſimul ac vota domi conceperunt votorum compotes actutum ferunt; ita quidam, neque, tum, neque ipſo in loco, ſed vel in reditu, vel domum reverſi, quod poſtulârant, aſſequuntur. Et ut iſte non aſſequeretur, mirum non eſſet, quia præter aliorum etjam hæreticorum morem, admonitus, ut qui à B. Dei Matre ſalutem corporis poſceret, de ſalute animi per fidem catholicam magis ſolicitus eſſet, obſtinatior

(a) χαῖρε (b) ἥδυν σοῦ τοῖς λόγοις, φαίνῃ μοι ἀληθείας ῥήτωρ· χαρᾶς κοινῆς γὰρ ἐλήλυθας ἄγγελος.

natior in sua secta visus est. Præter aliorum, inquam, morem, quia plerique, etjam longius in Ducatu positi, nisi aut vi Prædicantum, aut quorundam imperio prohiberemur, volentes lubentesqúe fidem catholicam, vel ob tanta B. Virginis Lindensis beneficia atq; prodigia, amplecterentur. Quorum quidem prodigiorum etjam ille testis fuit; qui, quam sanitatem (etjam per emptã multo ære medici, præsertim apud Rastemburgum operam) obtinere non potuit, obtenturum se à Diva Lindense minimè dubitavit.

V.

Febris & veneficia, ope B. Virginis Lindensis depulsa.

Ad eandem Hilariorum divinorum celebritatem, ob difficultatem & prolixitatem itineris, nonnisi postero die affuerunt. Iustina Stephani Rokosiewicz ex Bransko in Subsilvania oriundi, sed tum in Sahstren Allenstein. ditionis pago commorantis uxor, ejusdemq; filia, adultæ jam ætatis puella. Vtraq; singularem Divæ Lind. opem in morbo experta, conscientiam testem, præsentibus atque audientibus pluribus, (quos inter fuit etjam Nobilis ac Generosus Vir Dñ. Samuel Raba) appellavit. Ac mater quidem præteritam æstatem integram, cum gravi ac periculosa febri fuit conflictata, filia verò ædium vicinarũ limen, cui, uti postmodum patuit, maleficia cum aquis suffusa erant, fortuitò prætergressa, iisdẽ maleficiis perstricta, totam hyemem miserandum in modum cruciata, ne pedibus quidem consistere potuit, sed parentum manibus, quoties opus erat, gestari atque loco moveri necesse habuit. Cæterùm ubi votum,

quò ſe ad proximum Annuntiationis B Virginis feſtum Lindæ affuturas obſtrinxerant, utraque ritè nuncupavit, repentè tum mater à ſua febri, tum conſequente deinceps tempore, à veneficiis curata filia fuit.

## VI.

### Oculus graviſſimè affectus, per B. V. curatur.

Triceſimâ die Martii advenit Lindam Gutſtadio, ubi pellionis opificium exercebat, Daniel Hoffman, Allenſteino oriundus; qui conſcientiâ teſte, præſentibus non paucis fide dignis, edixit, oculum ſibi Deiparæ Lindenſis ope reſtitutum. Sub medium circiter Novembris proximè elapſi, ex oculo præſertim ſiniſtro laborare repentè juxta ac graviſſimè cæpit; ut neque cernere, ne dicam verſare ex uſu acum, neque pruritum ac dolorem, qui oculum infeſtabat, perferre amplius poſſet; parumque abfuit, quin præ animi, quæ jam orta erat, impotentia, ipſe ſibi oculũ vi erueret. Interim reddita nonnihil animo quiete, nova lux etjam animo oboriri viſa, quâ planè advertit, non aliunde ſibi, quàm à B. V. Lindenſi expectandam opem. Surgit proinde, & ad ſecretiora ædium ſolus ſe recipit, ibidemque provolutus in genua, non peregrinationem modò, verùm & ſacrorum Pœnitentiæ atque Euchariſtiæ Sacramentorum apud Lindam Marianam uſum, ſi ſanaretur, vovet. Sanatus extemplò eſt, & voto, quàm primùm licuit, ut defungeretur, contendit.

VII.

# VI

## Spinæ dorſi cruciatu aliisqúe doloribus levatus hæreticus.

Pridie Calend. Apriles, *Lavatio* Matris Deûm apud Gentilem Romam agitabatur. Nam, quo primùm die ex Aſia Romam fuit advecta, in Almone fluvio per ſacerdotem eſt abluta; qui mos per ſingulos deinceps annos frequentatus. De quo Ovidius (*a*)

*Eſt locus, in Tiberim, quà lubricus influit Almo,*
*Et nomen magno perdit in amne minor.*
*Illuc purpureâ canus cum veſte ſacerdos*
*Almonis Dominam ſacraqué lavit aquis.*

Iam ante fabuloſam, cum ſuâ Cybele Romam explosimus. Apud Lind. Marianam non hac duntaxat die aut menſe, verùm perennis eſt, non Matris Dei, ſed per Dei Matrem peccatorum lavatio. Quam, ô ſi perinde atq; corporũ ſanitatẽ ibi quærerent hæretici! Ex iis, hac ipsâ triceſimâ primâ Martii die, Lindam cum uxore acceſſit ſartor è pago Schœnflis, duabus inde leucis abjuncto; qui cùm aliis morbis variis, tum immanibus Spinæ dorſi cruciatibus miſerrimè afflictus, octo minimum hebdomadas lecto ſe non potuit commovere. Poſtea tamen quàm Lindæ viſitandæ fecit votum, ad vires ſuas rediit; ut exinde Lindam accederet. Ibi quanquam hæreticus, Aram majorem ter pro more obiit poſtmodum coram in genua proſtratus, ſupplex, uti ipſi ſpectavimus, gratias egit.

CA-

(a) *lib. 4. faſtorum.*

# CAPUT III.

Priores aliquot menſis Aprilis dies.

APrilem veteres Romani Veneri ſacrum fuiſſe prodiderunt; ſive quòd Romulus primos Anni menſes, ad primos Urbis conditores retulerit, ut ſicut Martius Patri Romuli Marti dicatus eſſet, ita Aprilis Æneæ primi è Trojanis Romæ conditoris, matri Veneri dicaretur. Martium nos Deiparæ ſacrum jam diximus, non eo tantùm quod & S. Ioſephi ſponſi, & S. Ioachimi Patris Deiparæ inclytus ſit feſtis, ſed vel maximè, quod illo menſe, per Annuntiationis atque incarnationis myſterium, DEI MATER ſit effecta. Etſi verò Aprili menſi nullum ipſius, aut cognatarum ejus feſtum, niſi fortè Annuntiationis feſtum, propter Paſcha & Hebdomadam ſanctam in Aprilem transferatur: nihilominus Deipara, vel ob effuſa in humanum genus beneficia, ſicut alios, ita & Aprilem menſem, ſibi jure vendicat. Quantas enim vel hoc uno anno illa apud ſuam Lindam meritis cumularit, exempla, quæ damus, oſtendent.

## I.

## Mulier hæretica, in graviſſimo dentium cruciatu, levamen experta.

Quod ſub finem capitis viceſimi quarti, libri primi de Equo hæretici cujusdam perſanato retulimus, ad ipſas Calendas Apriles hujus anni ſpectat:

ſpectat: jam quod referemus poſtridie quarto videlicet Nonas April. evenit. Muhlak eſt agri Raſtenburgenſis villa, plus quàm leucæ unius intervallo à Linda disjuncta; unde colonus, idemqúe villæ prætor Michaël Hein, unà cum uxore, quantumvis hæretici gratias Deiparæ acturi advenerunt Immani dentium cruciatu laborarat paulò ante mulier, & cùm remedium aliud nullum prodeſſet, quantumvis varia eſſent adhibita, non leve remedium à voto Lindam facto experta eſt. Vnde & maritus, comes perinde itineris, atque voti beneficiiqúe accepti teſtis, Lindam unà venit; neque tamen ſacellum unà ingredi potuit, eò quod prædicantem, è vicino Beslacenſi pago in taberna, perpotantem inveniſſet. Veritus enim, ne ab eo proderetur, ac deinceps à ſuis multaretur, maluit ſe interim prædicanti in popina, quàm uxori in ſacello adjungere ſocium. At uxor, majore interim confidentiâ ſacrâ ingreſſa ædem, quas potuit, Divæ Lindenſi gratias egit.

## II.

### Hæretico ſalus animi reſtituta.

Ne is, quem proximè memoravimus, ſacellũ Lindenſe initio unà cũ uxore ingrederetur, prædicans, uti vidimus, obſtaculo fuit; at verò ut alter, de quo jam agimus, per ſacramentum Pænitentiæ catholicã Eccleſiã, uxorem comitatus ingrederetur, prædicans itidem cauſa ex parte fuit. Fuit homo ille paſtor ex villa Paris, Linda plus tribus leucis diſſita, nomine Henricus, qui matrimonium cum fæmina catho-

catholicâ initurus, pro more, opem atque operam Prædicantis implorabat Non denegabat prædicans operam, ſed, pro more itidem ſuo, operæ precium, multò, quàm paſtoris tenuiſſimæ facultates paterentur, extorquebat. Ergo paſtor, catholicâ præſertim ſponsâ invitante, Lindam venit; ubi prius quàm novæ nuptæ, in facie Eccleſiæ, jungerentur, Deo ipſi & ſponſæ Dei Eccleſiæ catholicæ, per Sacramenta, pridie Nonas Apriles, junctus eſt.

III.

Pedum uſu deſtitutus, voto Lindam facto curatus, ad promovendam eodem remedio aliorum curationem ſtrenuè laborat.

Ipſis Nonis Aprilibus, Albertus Woyt peregrinationem, quam ter quovis anno Lindam facit, conſuetâ cum gratiarum actione abſolvit. In Subſilvania, haud procul Bransko, in Parochia Stradunenſi ortus ille erat, & quatuor annos ulceribus internis obſitus, Raygrodum amicorum ſuorum votis oblatus, nonnihil ad ſe redierat; cùm paullò poſt in graviorem etjam relapſus morbum, exhauſtâ gradiendi facultate, uſum pedum omnem amiſit; dimidio circiter anno nonniſi alienâ operâ manibusque portandus, aut loco movendus. Inde Lindã ſuo ſuorumque voto oblatus, Deiparæ ope confeſtim revaluit; ut pedum uſum, quem eadem ope recepit, nemini magis quàm Deiparæ conſecratum velit, ternâ quottannis peregrinatione Lindam ita inſtitutâ, ut ſimul vel aliorum curationem eadem Deiparæ ope promoveat.

promoveat, vel etjam vota jam curatorum perferat: quemadmodum hoc ipſo menſe, IV Cal. Majas iterum Lindam rediit, & trium aliorum nomine, qui à febri aliisqúe morbis, per Deiparam ſanati erant, vota, preces, atque gratias reddidit.

## IV.

### Operarius ab hæreſi reductus, & vicinorum inſolentia pro merito caſtigata.

Eâdem ipsâ die, Biſteino advenit operarius quidam, ut non tam corporis quàm animi ſaluti conſuleret. Verſabatur anno proximè elapſo apud ſuum fratrem, qui in vicino Pruſſiæ Ducatu intra Prædicantum caſſes irretitus innoxium quoque fratrem iisdem irretierat. Nam, ubi frater ſubitò implicitus morbo mortis videbatur adiiſſe diſcrimen, prædicantem ad ipſum vocat; à quo, quà dolo, quà minis (cùm ſibi præ vehementia morbi, non admodum conſtaret) ut profanam ejus ſynaxin admitteret, tandem inductus eſt. Verùm ubi ad ſe viresqúe priſtinas utcunque rediit, errorem ſuum, fratrisqúe juxta ac prædicantis fraudes deteſtatus, cùm præter Lindam, nullum ad Eccleſiam, Deumqúe redeundi locum faciliorē inveniret, eò ſe quàm primùm contulit, & voto ſuo potitus eſt. Quo tempore quorundam, è vicino pago Stamplak, inſolentia & hæreticus furor ſe prodidit. Præfectus pagi, Sculterum vulgò appellant, cum aliis liberalius in popina hauſerat, & adjuvante fratris filio, contumeliis primùm inter rixam ortis, deinde etjam vulneribus in-

noxios quoſdam affecerat. Tametſi verò eodem loco ac tempore retundi is furor potuiſſet, viſum nihilominus fuit, jure potius deinceps agendum, & aliquod, etiam in futurum, beneficio juris ſtatuendum exemplum. Quod ubi inſolentiæ authores adverterunt, multis per ſe ſuosque precibus, ut res citra juris rigorem componeretur, contenderunt. Concedendum aliquid ſeræ inſolentium pænitentiæ fuit; præſertim cùm & ad futuram Lindæ fabricam aliquid operæ ab iis ſperaretur, & ingruentes undique belli tempeſtates, viam juri intercluderent.

## V.

## Studioſorum Reſſelienſium, aliorumque proceſſiones.

Quod libri primi, capite viceſimo ſecundo tradidimus, de proceſſionibus, ab ipſis Cal. April. uſurpare identidem oculis deinceps potuimus. Calendis ipſis adfuerunt Clausdorffenſes & Worplacenſes; quos paulò pòſt Münchsdorffenſes, Soowaydenſes aliiq; de vicinioribus Lindæ pagis, ſecuti ſunt. Verùm omnibus vicinis palmam ſtudioſi Reſſelienſes, uti aliàs ita hoc anno, præripuerunt; qui initium menſtruarũ ſuarum ſupplicationum VII. Id. April. fecêre. *Aureum milliarium*, Suetonius in Othone (*a*) Plinius (*b*) Tacitus (*c*) & Plutarchus (*d*) celebrant, vel ex eo maximè, quod ad eam columnam in foro juxta Saturni ædem poſitam omnes per Italiam viæ terminarentur. Aureum ad Lindam milliarium facit, cùm aliorũ

(a) *cap. 6.* (b) *lib. 3. cap. 5.* (c) *lib. 17.* (d) *in vita Galbæ.*

liorum planè innumerorum, tum ſtudioſæ in Collegio Reſſelienſi juventutes, tam frequens peregrinatio, & aurea prorſum, in ea peregrinatione, omnium pietas, atque religio.

## IV.

### Puer à gibbero morbo, & totius corporis macie curatus.

Joannes Marquard inter cives Brunsbergenſes non poſtremus unà cum conjuge ſua Eliſabetha filiolum ſexennem, nomine itidem Joannem, Deiparæ Lindenſi, voti reum ſtiterunt præſentem. Teneros puerulì artus ſuperiore anno incurabilis morbus occupârat; quo, & nervi ita adſtricti ſunt, ut contractis in gibbum ac fere glomum puer, neque circumſpicere retro, neque collum, quod obriguerat, erigere ſurſum ullâ ratione poſſet; & membra totius corpuſculi ita exhauſta ac macie conſumpta, ut præter oſſa ac pellem, nihil propemodum in corpore ſupereſſet corporis. Sed reddita continuò eſt ſanitas puero, ubi, præſidiis omnibus humanis nequidquam adhibitis, à Diva Lindenſi poſtulatum & impetratum eſt alexipharmacum. Cujus rei gratiâ, & parentes ſua vota atque preces Lindæ perſolverunt, & puer dicatam ſuo nomine Imaginem coloribus eximiè expreſſam, ſuis manibus ter circum majorem aram detulit, ac demum ſoſpitatrici ſuæ Deiparæ conſecravit v. Id. April.

## VII.

## Gratiæ ob morbum periculoſum bis depulſum actæ.

Ad IV. Idus Apriles Dominus Zekorn VVartemburgenſis Conſul, unà cum uxore & filio minimùm viginti quatuor millia paſſuum, Lindam uſque pedes confecit; ut Deo ac Deiparæ, cùm alia beneficia plurima, tum reſtitutam bis uxori ſanitatem gratus atque memor in acceptis referret. Illa enim cùm octavum ætatis annum fuiſſet ingreſſa, morbum extrema jam tum vitæ minitantem, non alio, quàm invocatæ Lindenſis Divæ præſidio depulerat. Cùm verò ſuperioris anni æſtate idem aut multo etjam gravior morbus recurriſſet, ne illa quidem aliò, quàm ad eandem ſibi patronam cenſuit recurrendam. Et facilè iterum admiſſa atque audita eſt ſupplex, quæ & novi, & veteris beneficii memorem juxta atque gratum afferebat animum.

## VIII.

## Miles à diuturna febri relevatus.

Venit is ex infecto hæreſi pago Langenbruck, ſeu, ut vulgò appellant, Lembruk dicto; octo circiter paſſuum millibus Lindâ diſſito. An verò ipſe quoq; hæreſi fuerit adhuc infectus, haud conſtat. Cujuscunque tandem ſectæ fuerit, conſtat opem Divæ Lindenſis fuiſſe expertum. Maligna febris non arma duntaxat, verùm & ſalutem homini excuſſerat, ut octo circiter hebdomadas, acutiſſimis cum ardoribus conflictaretur. Adverſùs hoſtem tam domeſticum

cum, inter alia præſidia, intimum quoque à phlebotomia admotum, & ſanguis, qui commeatum videbatur hoſti miniſtrare, imminutus. Sed neque ſic imminutus morbus, contra quem denique à Marianæ Lindæ arce, quam deſperatiſſimis in rebus patere unicuique non neſciebat, petendum cenſuit præſidium. Sanctè igitur apud ſe teſteſque præſentes ſtatuit, non modò ſe aditurum, cùm primum licuiſſet, Lindenſe ſacrarium, verùm & donis pro facultate, ornaturum. Extemplo morbus, qui invaſerat, faceſſere juſſus; & miles jam ſub tanta patrona, de morbo victor, ad III. Idus Apriles, quaſi tropæum quoddam victoriæ apud Lindam ſtatuit.

## IX.

### Equi furore quodam in curſum effuſi, incolumes & illæſi reperti.

Non eſt inſolens, equos in curſum effundi; effuſoſque non modò pavore & conſternatione, verùm & rabie, & furore correptos, per avia & invia, ſusq; deque agi: inſolens tamen ferè eſt, vel homines, vel equos conſervari in eo periculo innoxios. Id periculi, cùm honeſta matrona, Slegeli coloni ex Henrichsdorff Reſſelienſis agri pago uxor, meritò formidaret, ad B. Virginem Lindenſem ejusdem avertendi causâ ſe convertit. Incertum quo pavore conſternati equi, cum vehiculo in præceps, per agros & invia abiêre, ut momento extra oculos quoque raperentur. At illa (cùm neq; ſiſtendi illos, neque ſalvos recipiendi ulla ſupereſſet ſpes) oculos interim ad B. V. Lindenſem convertit, & votum, ſi jumenta ſana recepiſſet,

cepiſſet, inviſendæ cum donariis Lindæ fecit. Qui ad requirendos equos miſſi fuerant; ſanum utrumque vehiculo minutiſſimas in partes confracto, juxta ſilvas reperêre; quorum alter quietus ſtabat, alter curſu nimio fatigatus humi procubuerat. Agnovit Divæ Lindenſis beneficium mulier; proinde voti rea, quod promiſerat, diebus his exolvit.

## X.

### E nobilis hæretici aula, ad luem à pecore abigendam, vota & donaria Lindam miſſa.

Intra eosdem fere dies, pluribus cum candelis cereis adfuit è vicina nobilium aulâ, Krakotin dictâ, ſupra duo paſſuum millia ab Æde Lindenſi diſſitâ, Subditus quidam. Invaſerat, quæ in vicino graſſabatur lues, etiam illius aulæ pecora; & ex iis plura jam ſuſtulerat. Ne porrò, quæ ſupere●nt, tollerentur, non aliud præſentius, quàm apud Divam Lindenſem præſidium, etiam hæreticis, occurrit quærendũ. Tot igitur cereæ candelæ, quot adhuc capita reſidua erant pecoris, Lindam per memoratum ſubditum miſſæ ſunt: & adjectis precibus, præſidium, quod etjam à fide catholica alienis, benigniſſimam Dei Matrem præſtari conſtat, imploratum; eademque operâ ampliſſimum Deiparæ teſtimonium, vel ab inimicis, datum. Quo quidem facto, aliqua Fordicidiorum, quæ XVII. Cal. Maj. ſeu XV. April. die, apud Romanos veteres agebantur, recurrere ſpecies videtur, de quibus Ovidius:

*Tertia poſt veneris cùm lux ſurrexerit Idus,*
*Pontifices fordâ ſacra litate bove.*

Forda

*Fordaferus bos eſt, facundaquè dicta ferendo,*
*Hinc etiam fatus nomen habere putant.*

## CAPUT IV.

### Poſteriores menſis Aprilis dies.

SIcut prioribus Aprilis menſis diebus, præter Fordicidia, quorum meminimus & Megaleſia, qui erant magnæ Matris Deûm ludi, alia quoq; ſacra, tum *Fortunæ virili ac Veneri Verticordiæ* ipſis Calendis tum *Fortunæ publicæ* VIII. Id. April. tum *Cereri* V. Id. April. tum denique ipſis Idibus *Iovi Victori* fiebant: ita poſterioribus agebantur tum *Equiria* in Circo maximo; tum *Cerealia* XIII. Cal. Majas, tum XI. Cal. Majas, *Palilia*; tum deinceps *Vinalia*, *Robigalia* atque *Floralia*. Quæ ſi quis cum Iacobo Hugone, in *nova ac vera Hiſtoria Romanâ* ad Philoſophiam ac Theologiam Chriſtianam referre voluerit, vel è Floralibus exemplum cum eodem ſumet: ſi ut, ille (*a*) ſcribit, *Deam Floram, caſtiſſimam Virginem*, Nazaræam *matrem (quod nomen Hebraicè* Florã, *ſeu* floridam *ſignat) eò, quod extra connubium, nempe conſummatum, parituram filium, ex Sybilla noverit*. Quæ ut alibi, ita apud Lindam, Deiparæ facilè attribui potuerunt.

#### I.

#### Liberis recèns natis, vita B. Virginis Lindenſis ope conſervata.

Ad XVI. Calend. Majas Martinus Ruskowicz, è Radoszyce oppido juxta Petricoviam in Polonia ſito, ad Raſtemburgenſes nundinas merces ſuas,



(a) *pag. 8. & cap. 23. pag. 181.*

præſertim verò vaſa vitrea devehendo. Lindam prætergrediens, rem ante triennium ex fide auditam, pari fide recenſuit. Diverterat id temporis Sensbrugum, unà cum aliis viæ comitibus itidem Polonis; iisdemque præſentibus, civem ejus oppidi cognomento Koza, opificio lanium audivit referentem; ſibi natos in matrimonio liberos, immaturâ morte omnes fuiſſe ereptos; quoad voto tum ab ſe, tum à conjuge Lindam concepto, promiſiſſent ſe & Lindam adituros, & liberos deinceps naſcituros, Deo & Deiparæ oblaturos. Adierunt, pauloque poſt geminam ſuſceperunt prolem: quam (ne ſcilicet Prædicantes reſciſcerent, ideoq; ſe oppido expellerent) nonniſi clam Deiparæ Lindenſi præſentem ſtiterunt. Ab eo tempore, tum illi, tum alii deinceps nati liberi, ſani & incolumes, Dei ac Deiparæ præſidio muniti, vivunt. Rogatus autem à Polonis catholicis lanius, ecquid moraretur catholicam ingredi Eccleſiam, qui tantis in ea beneficiis per Deiparam eſſet affectus? reſpondit, ſe quidem paratum eſſe ingredi, dummodo locum, ubi deinceps inter catholicos degat, invenire poſſit; ut vel hinc pateat, quàm verè dictum ſit alibi (a) Deiparam per beneficia exteriora, pellicere mortales ad intima & æterna.

II.

Homo ruſticanus à cruciatu, qui genu, ad capitis uſque dementiam, inſederat, iterum levatus.

Sub ejusdem diei meridiem Chriſtophorus Glock, fabri

(a) *lib.*

fabri ferrarii ex oppido Rangnit in Ducatu Pruſſiæ filius, ſed in Epiſcopatu Varmienſi, haud procul Traumburgo, à puero verſatus, ideoqúe in fide catholica educatus, Divæ Lindenſi, uti Servatrici ſuæ, gratias acturus, ſupplex acceſſit. Octavus exinde volvebatur annus, cùm ille in VVillemberg Brunsbergenſis agri pago, à coloni alicujus obſequiis eſſet, & præter omnem ſpem, enormem ſiniſtro genu tumorem, contraxiſſet. Tumorem illum, immanis perinde cruciatus, hunc verò ſumma primùm inquies, tandem & inſania excepêre. Octo integras hebdomadas quiete & ſomno caruit, ut tandem ſenſibus ac mente motus ſtrenuè deliraret; adeoqúe tres menſes ergaſtulo clauſus teneretur. Nulla aut Chirurgorum, aut aliorum, quæ conducere poſſe viderentur, neglecta ſunt præſidia; ſed, quæ homini calamitoſo conducerent, reperta ſunt planè nulla; quippe malum, uti poſtmodum eſt agnitum, à maleficorum & Dæmonis operâ erat ortum. Rebus omnibus jam deſperatis, ſuâ aliorumqúe pietate Divæ Lind. commendatus eſt. Inde primùm deliramenta ſenſim abire, atq; ratio, quæ de ſua erat ſede dejecta, menti redire: ut nihil deinceps vel à ſenſu, vel à conſilio abhorrens, loqueretur, ageretur. Mox cum ratione rediêre & vires corpori, ut gemino nixus fulcro ſubalari, iter Lindam ingredi non vereretur. Quò cùm tandem non minore animi pietate, quàm virium contentione adreptaſſet, ipſam Divæ Ædem ingreſſus, quod reliquum erat morbi lætus amiſit; ut ſine fulcrorum adminiculo (quæ repentè abjecit) & quà liberet, progredi, & iter ſedecim

cim leucarum, poſſet domum remetiri. Exactis porrò ſeptem annis, recruduit in eodem genu dolor, & quidem priore haud paulò mitior, ut nemini operam ſuam per annum præſentem, addicere pro more, precioqúe poſſet. Verùm, qui tanta Lindæ alexipharmaca ſemel inveniſſet, minimè de ſuæ benignitate ſoſpitatricis dubitare amplius poterat. Ad illius proinde opem cùm ſe iterum recepiſſet, brevi revaluit; ut illud idem peregrinationis ſuæ ſtadium, intra quatriduum, pane duntaxat & tenuiſſimo potu refectis utcunque viribus, decurrerit.

## III.

## Femina, ab inſania & aliis morbis iterum liberata.

Georgii Knobb, è Seyberswald municipii Seeburgenſis villâ, uxor Regina, prius quàm ante biennium viro nupſiſſet, & pedes & caput extremè affecta eſt, ut utrorumq; deſtitueretur uſu. Nam & pedibus vix niti, aut, ſi progrediendum eſſet, reptare vix poterat: caput verò, ita à ſenſibus erat abalienatum, ut non modò deliriis, verùm & furore jactaretur; præſensqúe adeo periculum ſæpe eſſet, ne ſe ipſam mergeret atque aquis præfocaret. Fortè Sacerdos quidam tempori adfuit, qui hominis miſertus, miſeram Deiparæ Lindenſi commendavit; &, ut illa quoque ſe commendaret, perſuaſit. Continuò major animo lux affulſit; & corpori vires redditæ, ut non modò, dum vita ſuperſtes eſſet, quovis anno peregrinam ſe Lindæ adfuturam promitteret, verùm & iter, citra moram, eò arriperet; adeoqúe

& cùm

& cùm Linda voto jam prioris anni defuncta reverteretur, viribus haud dubiè apud Lindam auctis, cum paribus curſu contenderet in via, & paulò pòſt, quæ nuptui traderetur, idonea eſſet. Non longè inde, jam nupta, quin & gravida, morbo iterum haud levi infeſtatur; qui cùm & matri & fœtui ſimul eſſet noxius, viſa ſibi per ſomnum admoneri mulier, ut peregrinationem, quam pro venturo mox Pentecoſtes feſto deſtinarat, etjam acceleraret. Paruit monitis vel in ſomno datis, & convaluit; nullaqúe interjectâ morâ, Lindam ad XIV. Calend. Majas profecta ita eſt, ut tamen deſtinatam pro Pentecoſte peregrinationem etjam obitura eſſet.

## IV.

## Puellæ in ophtalmia ſæpe ſuccurſum.

Fœminæ, cujus modo fecimus mentionem, comitem ſe itineris, honorandæqúe Virginis Deiparæ ſociam adjunxit ſoror illius Anna, etjamnum virgo: non minus fortaſſe, quàm ſoror, Divæ Lindenſi obſtricta. Decimus jam in decurſu erat annus, cum illa, acie oculorum, præ nimiâ vi morbi, jam hebeſcente à cæcitate haud longè aberat. Quò præſtantior homini oculorum ſenſus eſt eò præſtantiora ad ſui integritatem requirit præſidia; eò denique, ſi vel tantillum lædatur, majorem intendit animo triſtitiam atque curam. Quid non remediorum undique conquiſitum eſt, ut vel reſtitueretur Annæ viſus, vel extrema cæcitas arceretur? Ne illicitis quidem apud excantatrices & nefarias magorum officinas temperatum eſt ſubſidiis. Ita nimirum unius

cæci-

cæcitas, plurium è domeſticis aciem animorum hebetârat: quoad in ea nocte, vel caligine mentium, à ſingulari beneficiorum Deiparæ Lindenſis claritate radius aliquis eorum quoque menti affulſit. Quid enim dubitarent ſive ſorori ſive cognatæ ſuæ affuturam Deiparam, quæ nulli, ſimul ac invocata eſſet, pro ſua pietate poſſet deeſſe? Ergo tum ægra tum cæteri omnes, qua poſſunt fiducia, votum Lindam nuncupant, & ſanitatem eodem propè momento impetrant. Ægra verò eam in ſoſpitatrice ſuâ Lindenſi collocavit ſpem, ut quoties exinde aliquis doloris ſenſus recurrat, toties & ipſa ad eam recurrat, & ſemper præſidium certum inveniat.

## V.

### Fæminarum alteri brachium, alteri pedes reſtituti.

Die VIII. Cal. Majas voti ſolvendi causâ ſuo, filiæque ſuæ nomine advenit Sophia Gregorii in Nowodwor Lituaniæ oppido inquilini vidua; quæ jam in alio Pruſſiæ Ducalis oppido, Lick appellato, ſedem fixit. Autumno proximè elapſi anni, filiæ quidem Barbaræ annum duodecimum ætatis necdum prætergreſſæ, brachium dextrum, gravis inſederat dolor, ut neque id operi admovere, neque pro libitu aut neceſſitate commovere poſſet; at verò matri ipſi præter dolorem ingentem, tumor quoque pedem utrumq; occuparat, omni facultate gradiendi ademptâ, ac vix relictâ perreptandi. Tã multiplici malo, ab unâ Dei Matre mater afflicta remedium, facto Lindenſis peregrinationis voto, popoſcit, & facilè obtinuit.

VI.

## VI.

### Matri ac filiæ, pedum ſanitas collata.

Eodem die advenit Catharina Thomæ coloni (ex Borglowka pago juxta Auguſtoviam in Lituania ſito, & viginti circiter leucas Lindâ diſſito) relicta vidua; ut Divæ Lindenſi ſanitatis procuratrici, debita cum gratiarum actione gratularetur. Morbus, qui pedem utrumque contumaciter inſederat, in ulcera, fœdum in morem eruperat, ut ſcabies nonniſi ſquamarum inſtar inde revulſa decideret: ac niſi filiæ brachiis, non tam ſcipionis aut ſuſtentaculi, quàm vehiculi potius vice fuiſſet uſa, nuſquam ſe commovere loco potuiſſet. Salutare miſerrimæ fœminæ præſidium fuit Divæ Lindenſis; quæ partim ab ipſa, partim ab amicis fuit invocata, præſto fuit, & ægrotam omni malo confeſtim levavit; ut illa haud longo interjecto tempore; tam longi ſpatium itineris pedes, æquè ſana ac læta conficere Lindam uſque potuerit. Quò cùm veniſſet, etjam pro filiæ incolumitate gratias Deiparæ egit; quia & illam ex pede itidem graviter ægram, ſimili ad Deiparam voto perſanatam, conſtantiſſimè affirmavit.

## VII.

### Mulier, amiſſum pedum uſum recepit.

Eadem quoque die, quin eodem ex loco, atque eadem de cauſa, affuit Marina, Martini ſuperiore anno defuncti vidua. Totam hyemem proximè elapſam, pedibus omnino deficientibus miſerrimè affecta, ac tandem etjam uſu eorum deſtituta erat; ut

vix

vix reptando movere ſe loco poſſet. Simul autem atque ipſa, aliiqúe ejus cauſâ, votum Lindam fecerunt, mulieri è veſtigio meliùs eſſe cœpit; dolor quoque ſenſim reſedit omnis, quin & priſtinam pedum facultatem ſolito major quadantenus vigor ſtabilivit; ut neque tantum iter pedes aggredi dubitârit, neque ſemel illud aggreſſa, & quaſi in quodam pietatis gratitudinisqúe ſtadio, decurrens unquam cespitârit.

## VIII.

### Pes luxatus, mulieri non catholicæ reſtitutus.

Floralia Veterum Romanorum, quorũ ante meminimus, in IV. diem ante Cal. Majas, ſive in XXVIII. Aprilis incurrebant. Eadem die, ſi non ſacratiora *Floralia*, certè, ut ſacræ ſcripturæ verbis utar: *Flores apparuerunt in terra noſtra.* Flores, inquam nondum enim fructus, qui ex iſto, quod circa Lindam Marianam in Ducatu Pruſſiæ ſitum eſt, Eccleſiæ catholicæ novali ſperari poſſunt. Quanquam enim multi, qui in eo Ducatu degunt, non obſcuros, neque ignobiles Catholici germinis præ ſe ferant flores, præſertim (qui ſuum ad Lindam Marianam receptum identidem habent) duæ tamen fœminæ, quarum jam mentio fiet, ſingularem in iis floribus quaſi maturitatem oſtendêre. Altera harum fuit Eva, ex Keikut coloniæ Ortelsburgenſis pago, Ioannis Radko uxor: quæ cùm decem ante annos pedem dextrum ita luxaviſſet, ut tali (qui ſe quaſi mutuum refugere videbantur) coire nullo

modo poſſent, remedium (quod nemo mortalium afferre jam poterat, quandoquidem & divinatrices, & alii malarum artium præſides conſulti, nihil profeciſſent) à B. Virgine Lindenſi nullo propè negotio invenit: quovis exinde anno, non modò ipſa Lindā, gratias actura inviſit, verùm & alios plurimos ad idem miſerorum aſylum, ſecum invitat ac deducit. Quam mulieris pietatem hæreticus illius loci prædicans, cùm neque ignorare, neque perferre ampliùs poſſet, vocatam ad ſe mulierem, pro ſupercilio, ac majeſtate illâ prædicanticâ ita graviter ſæpe objurgavit, ut minis nonnunquā ſupplicia prope conjungeret. Inter cætera minitabatur illi vincula & compedes, quibus haud facilè exueretur. Ad quæ mulier, ſubibo, inquit, quæcunq; impoſueris ſupplicia; nihilo tamen ſecius, Lindam frequentando, DEUM ac Deî Matrem laudabo. Neque ſecus, ac dixit, etjam facit; hoc præſertim tempore, quo idem ille prædicans fato jam ſublatus, perfidiæ impietatisqùe ſuæ, digna apud Orcum ſupplicia luit.

## IX.

### Colici quatuor annorum cruciatus, viſcerumqùe tormina curata.

Altera, quæ inter cæteros Lindam Ab Eva deductos è Ducatu Pruſſiæ hoc anno venit, fuit puella Anna Baltaſaris coloni è Trelskowo Ortelsburgenſis agri pago filia. Hæc quatuor annos, colicis excruciata doloribus ac viſcerum torminibus, neque Bartenſteini, ubi plures annos ſervierat; neque alibi, ullum invenit tantis malis remedium. Bono id ac majore

jore Annæ commodo videtur accidiſſe, ut & faciliùs & tutiùs à Diva Lindenſi curaretur. Sive enim illâ eadem Evâ, ſive aliis docentibus, ſive denique famâ ubique jam pervagatâ narrante didicit, Divam Lindenſem omnium expultricem miſeriarum, in ea continuò ſpem defixit, neque ſpes decollavit. Morbis igitur Deiparæ ope exempta, matrem orat, ut ſibi gratam eſſe, & Lindâ aditâ gratias agere liceat. Mater, tametſi alteri jam viro, & quidem prædicantis fratri in manum convenerat, filiæ, ſi quà poſſet, Lindam penetrandi fecit poteſtatem. Verùm annus interea effluxit, cùm alia obſtacula, ſed maximè prædicantis excubiæ, omnem ipſi præcluſerunt viam. Hoc tempore, clàm, ut potuit, evaſit, Lindam venit, gratias egit, & beneficium ſibi præſtitum, non ſine manantibus ubertim lacrymis prædicavit.

## X.

### Puer à morte præſente, puella à cæcitate liberati.

Ad III. Calendas Majas, Dorothea Alberti Kraſowski ex Ianowo Maſoviæ civitate, ad ipſos Pruſſiæ fines ſita oriundi vidua, Franciſcum novennem filiolum, & Helenam duodennem filiam, unà ſecum voti reos, Deiparæ Lindenſi præſentes ſtitit. Ac filia quidem tres ante annos, morbo annum propè integrum vexata ita eſt, ut toto eo tempore, præ nimia vi atque acerbitate morbi, oculorum acie obtusâ, videndi facultatem amiſerit. At ubi ad matris preces atque vota, *illa* apud DEUM *Advocata noſtra, ſuos illos miſeri-*

*miſericordes oculos*, ad ſe invocantem convertit, triduo exinde vixdum elapſo, filia cùm omni levata eſt morbo, tum videndi donata facultate. Jam verò Franciſcus filiolus, incertum quâ morbi violentiâ fractus, quatuor omnino ſeptimanas, ſine omni ſenſu, proinde & ſine cibo potuque omni decubuit; ita ut dexteri pectoris coſtæ omnes, in morbi protenſæ ac protruſæ, unius palmi latitudine extra pectus eminerent, ſanatus confeſtim eſt à voto Lindam per matrem nuncupato; ita tamen, ut illius morbi veſtigium, quantumvis exiguum, in prominente illa pectoris parte relictum, ſpectari etjamnum Lindæ, cùm à me, tum à pluribus aliis potuerit.

## CAPUT V.

### Menſis Maji primi dies.

VT Ver intra quatuor Anni partes, apud Theocritum *(a)* ita intra Veris, imò & duodenos totius Anni menſes, principatum Majus obtinet, vel ea de cauſa, quòd placidiore auræ temperie, etjam in regionibus ad ſeptentrionem poſitis, cùm terræ, tum arborum flores uberiùs evocet. Quid igitur mirum, ſi apud Tiliam quoque Marianam, ſupra hibernos, vernoſque alios menſes, divini miraculorum aut beneficiorum flores uberiùs proveniant? Quæ ſanè ubertas facit, ut, dum eos colligimus, ne opus nimium excreſcat, compendio nobis maximè utendum ſit, & tum hoc, tum ſequentibus quoque menſibus, eadem planè de cauſa, oratio citra procemia, ut ajunt, adhibenda,



(a) *Idyll.*

## I.

## Morbus comitialis abactus.

Tametſi inter falſa & profana Veterum numina, nulla potuerit eſſe *bona Dea*, nomen tamen bonæ Deæ occupavit, cui ipſis Calendis Maji ſacra apud Romanos fiebant. De quibus inter alia Ovidius, in Faſtis:

*Templa Patres illic oculos exoſa viriles*
*Leniter acclivi conſtituêre iugo.*

Arcebantur enim ab iis ſacris viri, quemadmodum Macrobius (*a*) prodidit. Fiebant autem ſacra hæc, in ædibus Pontificis maximi: unde cùm in ædibus C. Julii Cæſaris, qui cùm Pontifex maximus erat, peragerentur, P. Clodius muliebri veſte indutus, in iis deprehenſus, eâ polluit; quâ etjam causâ eum Cicero (*b*) graviſſimè coarguit. Neque apud Lindam neque alio quoquam loco Virgo Deiparæ Deæ ſibi nomen uſurpat, bonam tamen ſi non Deam, certè Divam, beneficia, quæ ubique etjam Calendis Maji exhibet, abunde teſtantur. Etſi verò ad ſuorum uſum beneficiorum omnes promiſcuè admittat, neſcio tamen, quomodo hujus Anni Calendis quaſi quædam bonæ Deæ ſacra apud ſuam Lindam agi voluit; quando ex iis, qui eâ die accepta divinitus beneficia recenſuerunt, aut virgines, aut matronæ duntaxat fuerunt. Prima ex iis fuit Anna Georgii Schwadop ex Lauternhagen, Heilsbergenſis agri pago uxor. Quæ duodecim retro annis, cùm adhuc in Trautnau ejusdem municipii villa, fortaſſe apud parentes degeret, plus dimi-

(a) *1. Saturn. cap. 12.* (b) *pro Milone.*

dimidio anno ſacrum morbum pateretur, adeoque vi morbi bis in diem humi affligeretur, voto reviſendæ quotannis Deiparæ Lindenſis facto, convaluit, atq; exinde quovis anno, prout commodum ſibi fuerit tempus, ſuſceptâ Lindam profectione votũ ſolvit.

II.

Brachii & oculorum vitia doloresque ſublati.

Altera, quæ iisdem Calendis atque eodem ex loco, Divæ Lindenſi vota ſolvit, fuit Laurentii ex eodem pago *Lauternhagen* filia. Proximè ante annum quadrageſimalis jejunii tempus alteri brachiorum vehementiſſimus inſederat dolor, ut quatuor hebdomadas neque labori, neque adeò quieti locus ullus eſſet. Neque tamen illa, beneficio Deiparæ Lindenſis, brevi locum fore utrique dubitabat, quæ ante quatuor annos, tanto ab ea fuiſſet affecta beneficio. Graviter nimirum ex oculis laborabat, ut diu lucem ſolis intueri non poſſet. Affulſit interim melior animi oculis lux, quæ lucem à Diva Lindenſi petendam docuit. Eò cùm reſpexiſſet, & ſupplex in vota Dei Matrem vocâſſet, etjam corpori lux ſua ita reſtituta eſt, ut ex eo tempore, magnâ fruatur oculorum incolumitate.

III.

Pedes fædè exulcerati, iterum ſanitati reſtituti.

Tertia, quæ ex eodem pago iisdem Calendis Maji, voti rea apud B. V. Lindenſem comparuit, fuit Anna Lazari Kretzmer coloni filia. Pluribus ab annis, ſævus pedum dolor non in tumorem modò,

verùm & in ulcera, fœdum in morem, miserè exuberabat, ut carnibus denique consumptis propemodum nuda hiarent alicubi ossa. Non gradiendi, non calceamenta induendi facultas ulla miseræ supererat; ut, cùm locum mutare necessitas cogeret, magis videretur manibus reptare quàm pedibus. Verùm ubi illa animo ad Divam Lindensem recurrit, confestim & morbus, & dolor omnis jam tum recessit. Cùm verò hoc iterum anno aliqua recurrentis mali viderentur apparere vestigia, non aliò illa quoque sibi recurrendum censuit; cumque vovisset, quovis anno quoad demum vita sibi superstes esset, Lindam peregrinandi, morbus postliminio ita recedere debuit, ut, cùm nonnullis spectandos exhibuisset pedes, neque recentis, neque veteris morbi, ullum deprehendi vestigium posset.

## IV.

### Voto etjam ab hæreticis Lindam facto, febris & morbus comitialis depulsus.

Pridie Nonas Majas, non minus quàm ipsis Calendis illustris fuit apud Lindam beneficiis Deiparæ lux. Primus, qui voti solvendi causâ apparuit, fuit Albertus Skoika ex oppido Rhein oriundus, sed fixâ in Ducatu itidem Prussiæ sede, apud Seligenfeld pagum, plus duabus leucis distantem Lindâ, agricola & colonus. Erat illi Dorothea filiola, quintum ætatis annum aliquantùm prætergressa, cui ad febrilem, quo laborabat æstum, alterâ sacri Paschatis hujus anni die, comitialis morbus accesserat. Ter intra eam diem vis mali puellulam ita corripuit, ut totum corpus

adin-

adinstar carbonis nigresceret, omnesque ægram jam pro mortua reputarent. Inter eos, qui miserabili spectaculo aderant, fortè catholica mulier est reperta; quæ, ut parentes filiolam Deiparæ Lindensi devoverent, suasit. Obsecuti parentes bene monenti, votum nuncupant, & continuò sanitas consecuta filiolam excepit; ut ad id tempus non commodâ modò verùm & firmâ uteretur valetudine. Quæ dum Albertus recensuisset, adjecit quendam itidem Albertum, è vicino pago Plenen dicto, colonum, filiam septennem omni linguæ usu destitutam, Lindensi itidem Deiparæ, tanquam omnium depulsrici morborum, devovisse. Quod cùm improbus sectæ Lutheranæ, aut potius Satanæ Minister cognovisset, ad promptas, de receptis scilicet atque usitatis eloquentiæ prædicanticæ Topicis, contumelias atque minas, etjam mulctam homini misero adjecit; & supplicii loco aureum nummum (quæ mulcta homini afflicto juxta ac egeno gravis admodum erat) ab eo, præter omne jus fasque, extorsit. Hoc nimirum est Prædicantes *viros misericordiarum* esse!

## V.

### Aliis itidem hæreticis partim comitialis morbus, partim alii pedum morbi abacti.

Eâdem ipsâ die, fæminæ tres Sensburgo oppido tribus circiter leucis à Linda disjuncto, votorum reæ Lindam advenerunt. Atque una quidem earum Dorothea virgo fuit, quæ ante quartum jam inde annum, morbo comitiali graviter laborans, voto Lindam nuncupato, convaluerat. Quo minus autem vo-

to, quo obstricta tenebatur, ante eam diem se exolveret, obstacula, præsertim ab hæreticis, & multa & varia objecta erant. Reliquæ duæ hoc ipso anno gravissimis pedum doloribus exagitatæ fuerant; sed voto similiter Lindam facto, incolumes evasêre.

## VI.

### Matronæ nobili, ex partu graviter periclitanti, aliisque pluribus variè succursum.

Eâdem quoque die, quatuor matronæ nobili genere in Masovia natæ, confecto viginti minimùm leucarum itinere, pedites Lindam advenêre. Quas inter Marina Domini Gasparis Swidersky, nobilis in Parochia Grabovienſi viri conjux, votum, quo se Deiparæ Lindensi obstrinxerat, prior exolvit. Difficillimo in partu jam prorsum deposita, ultimum vitæ spiritum vix trahebat, cùm voto Lindam facto, prolem quamvis mortuam enixa, & vitæ & sanitati restituta ipsa est. Primo igitur, quo potuit, tempore, ut majore cum pietate gratias sospitatrici Lindensi ageret, viam quamvis admodum longam pedes ingressa, ac pedes itidem remensa est. Comitatæ eam sunt aliæ tres matronæ, nobili itidem genere illustres, quæ tum pro obtentis variè per Divam Lindensem beneficiis, tum pro declinandis, quæ metuebantur, periculis, simili pietate idem iter ultro citroque decurrerunt.

VII. A

## VII.

### A morſu canis rabioſi, & præſente mortis periculo ſervatus.

Ad quintam diem ante Idus Majas Græca Eccleſia, quemadmodum illius faſti docent, natalem urbis Conſtantinopolitanæ diem celebrat. Eâdem prorſum die, quaſi natalem, non quidem urbis illius, ſed ſuimetipſius, diem apud Lindam Marianam egerunt, aliquot Græci ritus religionisque homines; qui ſexaginta fere leucarum iter pedibus eò confecerant: quippe qui ex Bludzien juxta Berozam oppidum ſito in Lituania, & ad Diſtrictum Malecenſem pertinente loco, uſque veniſſent. Eminebat inter eos Athanaſius, vulgò Opanas dictus. Cognomento Bohuszewicz, qui à cane rabioſo juxta Szydram, Lituaniæ itidem oppidum, admorſus periculoſiſſimè fuerat. Decem omnino homines illius ejusdem canis morſu imperiti & in rabiem acti, nonniſi cum inſecuta morte finem mali invenerunt. Evaſit Athanaſius mortem, quin & rabiem, quia ad B. V. Lindenſem, cujus nomen totâ Lituaniâ celeberrimum ajebat, continuò ſe per votum promiſſamq; eò peregrinationem vertit. Ne tamen ignoraret, quo in periculo, & quanto in diſcrimine vitæ verſatus eſt, debuit aliquem capitis cruciatum, tres continuos menſes perferre: qui tamen cruciatus, ne in furorem aut rabiem deſineret, quaſi manu benigniſſimæ DEI Matris abſterſus eſt. Sed & alius ejusdem Athanaſii morbus, qui eum proximè elapsâ æſtate, octo continuas hebdomadas tenuerat, quin & in diſcrimen vitæ omnino adduxerat, eâdem DEIPARÆ manu, ad quam

iterum æger voto nuncupato recurrerat, levatus actutum est; ita ut exinde viam capessere, & octuaginta circiter leucas, variis Prussiæ Lituaniæque aditis locis, conficere incolumis valuerit.

## VIII.

## Mulieres duæ gravissimo capitis oculorumq; dolore exemptæ.

Athanasii, cujus mentionem fecimus, comites Lindam usque fuêre, tum Anna ipsius conjux, tum vicini in eodem loco inquilini Gregorii uxor Juliana. Atque Anna quidem è Prussia cum viro domum reversa, incredibili capitis dolore excruciata est; ut is in sinistrum præsertim oculum derivatus, sanguinem unà secum eò derivaret, oculumque illum cruore totum offunderet. Verùm & hic sive cruor, sive etiam dolor, eâdem Deiparæ Lindensis manu abstersus est, posteaquam Anna, quæ tantam in viro suo opem, ab ea collatam viderat, eandem non minore fiduciâ, quàm pietate imploravit. At verò Juliana cùm aliàs à teneris, tum nuperrime per hebdomadas quatuor doloribus capitis ita vehementibus exercita est, ut toto illo tempore, neque cibum capere, neque lumen intueri ullum posset; adeoque tum suo, tum aliorum judicio pro deposita jam haberetur. Erecta nihilominus est, non ad spem duntaxat, verùm & ad pristinam incolumitatem, ubi peregrinationis Lindensis votum concepit. Quam ubi sana & alacris tot milliarium decursu expedivit, etiam Gedanum versùs, pari virium robore atque alacritate, Lindâ perrexit.

CAPUT

# CAPUT VI.

Unica Iduum Majarum dies.

IPſis Maji Idibus, quæ in xv. menſis incurrunt diem, Argeorum ſacra Romanis veteribus agebantur: quibus oſcilla, ſive ſimulachra hominum ſcirpea, quotannis de Ponte ſublicio in Tiberim, per virginem veſtalem præcipitabantur. Nam ut Varro (a) ait: *Argei fiebant è ſcirpeis virgultis; ſimulachra erant hominum triginta; ea quotannis à ſacerdotibus publicè iaci ſolebant in Tiberim.* Et Ovidius in faſtis:

*Tum quoque priſcorum Virgo ſimulacra virorum*
*Mittere roboreo ſcirpea ponte ſolet.*

Cauſas ejus rei varias tum ille eodem loco, tum in Quæſtionibus Romanis (b) Plutarchus inquirunt. Potiſſima videtur illa, quam Plutarchus ita proponit: *Antiquitus barbari loca illa incolentes, hoc modo interficiebant, ſi quos Græcorum cepiſſent. Hercules autem, cuius virtutem admirabantur, docuit eos, dimiſſo more peregrinos interficiendi, ſimulachris eum repræſentare, iisque iaciendis religione ſe ſolvere. Argeos autem, ſive Argivos quosvis Græcos nominavit antiquitas.* Apud Lindam Marianam ſcirpeorum loco Argeorum, non ſimulati ſed veri corporum humanorum mentiumque morbi, quaſi de quodam ponte in præceps iisdem Maji Idibus, dantur illius virginis manu, quæ & veſtales omnes in terris, & ipſos Angelos in cælis puritate longiſſimo poſt ſe relinquit intervallo.



(a) *lib. 6. de Lingua lat.* (b) *quaſt. 32.*

Digitized by Google

## I.

### Duo conjuges, à fœdæ luis contagione vel servati vel liberati.

Arensdorff Vormditensis coloniæ pagus est, ex quo plurimi hâc die, sua Deiparæ vota persolverunt. Et quidem Andreas Damerau, hyeme proximè elapsâ fœdam alicubi luem contraxerat, quæ etjam in conjugis vergebat contagionem. Ne porrò periculum, etjam intra domesticos serperet, uterque conjugum voto se peregrinationis Lindensis obstrinxit; atque exinde uterque periculo, quin & morbo solutus est. Quocirca uxor, ne tardius marito Lindensem ingrederetur Ædem, tanquam debilior illum brevi consecuturum cum aliis duodecim præcessit. Verùm ita vires in ipso itinere sunt auctæ, ut maritum etjam antevertere Lindam potuerit.

## II.

### Aliud par conjugum capitis aut pedum doloribus exemptum.

Petrus Werner ex eodem pago, gravissimis pedum cruciatibus, quemadmodum conjux ejus Gertrudis diuturno capitis dolore, jam ante annos tres facto Lindam voto liberati, quovis anno, gratias Deiparæ acturi, Lindam revisunt.

III. Puer-

## III.

## Puerpera & prolem, & ſe voti ream Deiparæ ſiſtit.

Anna Martini Bludau ex eodem pago coloni uxor, viſa ſibi per ſomnium prolem, quam utero geſtabat, Lindam identidem deportare. Cùm igitur Georgium filiolum proſperè eſſet enixa, priùs quàm annus evolveretur, illum tanquam hornam Deiparæ meſſem, comitante marito, ſtitit. Quod eò quoque fecit alacrius, quod ipſa, à partu morbo periculoſo correpta, nullum in humanis remediis præſidium invenerit: invenit tamen apud DEI Matrem, cui non modò ſe, verùm & prolem iterum atque iterum devoverat.

## IV.

## Juvenis febri periculosâ liberatus.

Thomas Langerwald, fere totâ ſuperioris anni hyeme, perinde fere cum ardoribus febrilibus, atque cum remediis variè adhibitis conflictatus eſt in eodem pago. Deploratis propè rebus, Deiparæ Lindenſis opem, ſuis ac matris ſuæ votis imploravit. Hinc verò alexipharmacum miſero affuit; ut, brevi morbo exemptus, vix ullam interpoſuerit, tum capeſſendæ Lindam viæ, tum reddendo voto, moram.

## V.

## Infans ab enormi hernia ſanatus.

Ex eadem quoque villa Bernardus Schultz, cum Regina conjuge infantem ſuum Joannem, Dei Matri, tan-

tanquam unà secum voti reum, præsentem stiterunt. Vixdum natum illum superiore anno hernia enormis exceperat; quæ cùm nullis chirurgorum præsidiis curari posset, simul ac infans voto à parentibus concepto, Deiparæ Lindensi oblatus est, momento curata est; ut & parentes, & alii, qui omnium conscii erant, attoniti, tantam Dei ac Deiparæ potentiam juxta ac pietatem mirarentur.

## VI.

### Diuturna febris depulsa.

Casparis Thiel ex Beneren filia Gertrudis, sed in vicino pago Arensdorff obsequiis Gregorii Graff coloni addicta, febri per tres omnino menses ante triennium afflicta, adhibitis plurimis undique remediis, nullum nisi in B. Virginis Lindensis præsidio invenit. Voto enim Lindam & Glotoviam facto, repentè convaluit; & jam bis Lindam revisit, tertiùm insuper, uti vovendo promiserat, revisura.

## VII.

### Brachium læsum iteratò restitutum.

Georgii Wolff ex Eschenau Gutstadiensis agri pago filia, quæ interim Fabio Schub colono Arensdorffensi ad obsequia domestica operam suam addixerat, per aliquot annos brachii dextri, præ magnitudine cruciatuum, pene omnem usum perdiderat. Quin, præterquam quòd manum operi admovere nusquam posset, etiam noctu, præ eadem doloris acerbitate, capere quietem nullam poterat. Reddita illi

illi portò & quies & ſanitas, ubi in vota Divam Lindenſem jam ante triennium vocavit. Cùm autem hyeme proximè præteritâ idem dolor ſenſim recrudeſceret, iterum ad B. V. Lindenſem Anna receptum habuit, eo eventu ut confeſtim à voto revaluerit, & nunc votum incolumis exolverit.

## VIII.

### Exulceratus pes iteratò ſanatus.

Margareta Vincentii Werner, in eodem pago Arensdorff inquilini filia, pedem dextrum ſuperioris anni hyeme per quinque hebdomadas graviter exulceratum habens, nullum aliud, niſi à B. V. Lindenſi præſidium adhibuit, & mox revaluit. Recurrente autem, hoc anno, eodem malo, & jam ſenſim in ulcera exuberante pede, & illa pariter ad ſuam iterum ſoſpitatricem recurrit, iterumq; ejus beneficio ſoſpes, votum, uti promiſerat, Lindæ coràm hodie dependit.

## IX.

### Pedis ſiniſtri dolor depulſus.

Andreas Homan, qui eodem in pago famulum apud quendam colonum agebat, præterlapsâ hyeme ſiniſtrum pedem, incertum qua ex cauſa, intimis ſibi doloribus excruciari ſenſit: neque tamen minùs opem Deiparæ Lindenſis, ubi votum illi nuncupârat, adeſſe ſibi ſenſit. Cùm enim antè ægerrimè inſiſtere pedi illi poſſet, progredi verò nuſquam tutò poſſet, ab eo tempore, non modò progredi, ſed & iter undecim circiter leucarum ingredi ac facilè conficere potuit.

X. Gra-

## X.

### Gravis dentium cruciatus ſubitò mitigatus.

Anna Joannis Kelm eodem ex pago filia, cùm aliàs tum hoc maximè anno, ex dentibus graviſſimè laboravit, ut per hebdomadas tres vix ferendo dolori ſufficeret. Non ſunt neglecta, quæ aut tollendo, aut ſaltem leniendo malo opportuna videbantur præſidia; nullo alio, quàm ſi penitus neglecta fuiſſent, eventu, atque commodo. Certiſſimum & facillimum apud Divam Lindenſem præſidium fuit, quo & dolor omnis, & periculum extemplo ſublatum eſt.

## XI.

### Diuturnus, & gravis laterum dolor abſterſus.

Nicolaus Herder ejusdem pagi incola, laterum doloribus, gravibus juxta ac diutinis affligebatur. Conjux illius Gertrudis, & viri, & ſuam, totiusque domus calamitatem, perferre cùm ampliùs non poſſet, aliud tamen malis tantis remedium non reperiret, ad Lindenſe aſylum confugit. Facilè etjam difficillimo morbo invenit præſidium. Exinde enim morbus plurimum remittere cæpit, ut mulier quanquam viro integram necdum videret ſanitatem reſtitutam, reſtituendam nihilominus, ubi votum ipſa exolviſſet, minimè dubitaret.

XII. Ul-

## XII.

## Ulceribus toto corpore obſitus curatus.

Sex è vicino Ducatu homines, è pagis oppido Aris (ſex itidem leucis Lindâ diſſito) vicinis, vota ſua Deo ac Deiparæ reddituri, iterunà ingreſſi, oppidum Rhein præteribant. Ibi Vice-præfectus Arcis de peregrinis certior factus, non tam pro jure, quod illi in cauſa religionis catholicæ nullum omnino competit, quàm aut pro ſtimulis à Prædicantibus admotis, aut pro inſito hæreticis erga Deiparam Lindenſem odio, eos accerſit, & pro hæretica ſcilicet majeſtate, gravibus in eos minis detonat. Tametſi verò inter eos nonniſi duo eſſent Catholici, quatuor verò reliqui ſectæ Lutheri obnoxii, nemo tamen eorum minis ac terroribus victus eſt, quo minus cæptam perurgeret peregrinationem, Deique magis quàm hominum haberet rationem: præſertim, cùm ſinguli eorum, Deiparæ Lindenſi ſingulariter ſe obſtrictos agnoſcerent. Et quidem Andreas Dura ex Odoja pago, vir annos quinquaginta fere prætergreſſus, ulceribus jam inde à puero obſitus, matre votum ad B.V. Lindenſem nuncupante, confeſtim perſanatus erat. Tanto igitur alacrius nunc ipſe gratias Deiparæ egit, quanto jam inde ab emiſſo per matrem voto, magis extitit ab eo malo immunis.

XIII. Pe-

XIII.

Pedibus exulceratis reddita ſanitas.

Ex eodem pago mulier Chriſtina , filiam ſuam Annam , & aliam Virginem Catharinam voti reas Lindam comitata eſt. Utraque ex pedibus graviter exulceratis aliquando periculosè ægra, adeoque Catharina annum ſolidum lecto affixa ; utraque voto Lindam facto, opem Deiparæ ſubitò experta; & ideo utraque iter ſeptem circiter leucarum alacriter pedes demenſa.

XIV.

Nervi & vulnere contracti, ex voto Lindam facto reſtituti.

In eodem cum prædictis comitatu, ſed alio ex pago Czarn dicto, venit Stanislaus homo catholicâ fide, quam inter hæreticos intaminatam ſervat, à teneris imbutus, ideoque, Deiparæ præſidio præ cæteris dignior viſus. Quatuor ante annos, cum Regi Reiq; publicæ perduelles Coſaci, Tartarorum auxiliis ſuffulti, pleraque in regno Poloniæ attererent, & bello domandi eſſent, etiam Stanislaus, qui prælio interfuit, noxam ſuo corpore ab iis excepit. Sagitta enim circa femur ictus, læſis atque contractis ex eo vulnere nervis, peſſimè affectus erat. Ne porrò ad extremum penitus ſubnervaretur, Deipara Lindenſis, cujus opem imploravit, & cui nunc gratus votum perſolvit, præſidio fuit.

XV. Ex-

## XV.

### Extinctus febrilis æstus.

Thomas Treilich Heilsbergâ oriundus, sed Traumburgi apud figulum suo intentus opificio, febrilibus anno superiore caloribus, ad quatuordecim hebdomadas exæstuârat. Nullum interea opus suscipi, ac ne quies quidem admitti ulla potuit. At ubi se iis in æstibus sub Tiliæ Marianæ umbram voto facto, recepit, & quies, & sanitas, depulsâ febri, continuò rediit.

## XVI.

### Comitialis morbus excesse jussus.

Anna Antonii Iordan, in Trauendorff Meelsaccensis agri pago, cauponis filia, quatuor viæ comites eosdemque receptæ per Deiparam sanitatis habuit testes. Sacer, illam morbus invaserat; sed non diutius grassari permissus, quàm illa opem à Divâ Lindensi imploravit simul, & obtinuit. Ita quidem fassa est ipsa, ita viæ comites, uti omnium conscii, affirmavêre omnes.

## XVII.

### Capitis dolor & vicina admodum insania repulsa.

Iacobus Silberbach, è Tingen Vormditensis agri pago, dilatum à triennio votum tandem exolvit. Capitis dolore per annum solidum perdurante, propè ad amentiam erat redactus, ut etjam illicita apud varios quæsierit remedia. Quæ omnia cùm nequidquam essent adhibita, ad B. V. Lindensem se vertit,



Digitized by Google

& opem continuò invenit: ut ab eo tempore; quo fecerat votum, sanus omnino sit; tametsi per omne triennii spatium, variè impeditus, dependere votum ad hanc usque diem nequiverit.

## XVIII.

### Capitis dolore levatus.

Ex eodem pago Tingensi, eodem, quanquam miliore aliquanto capitis morbo, laborabat Petrus Schœnsee; neque alia quàm ejusdem B. V. Lindensis ope revaluit jam ante biennium. Et erat sanè par, ut votum, quod jam tum salutare expertus erat, citra moram Deiparæ Lindensi persolveret; sed quod variæ tum causæ prohibuerunt, hac demum die memor beneficii pariterque gratus persolvit.

## XIX.

### Hernia arte humana incurabilis sanata.

Casparus Berend, Georgii in Krekollen coloni filius, sed opificio sutor, plus triennio herniam, & ex ea cruciatum, tumori ingenti parem, patiebatur. Nihil prorsum erat levamenti, sive à retinaculo, quo malum in abdominis capacitatem repulsum coërcebatur; sive à præsidiis, quæ & varia & plurima, undique sunt adhibita. Decollante undique sanitatis spe, in ea spem reposuit, quæ apud Lindam nihil solet negare supplicibus. Supplicandi finis, sanitatis initium fuit: ut ex eo tempore, & vitio & dolore omni vacuus sit.

XX.

## XX.

### Pectoris & capitis languoribus expeditus.

Anno proximè elapſo per duodecim hebdomadas, Thomas Braũ, acerbiſſimis quà pectoris, quà capitis doloribus afflictus, nullũ in Krekhauſen, ubi hortulanus degebat, nullum alibi tantis malis invenit præſidium. Quò majore fiduciâ, & pectoris & animi vota ad Divam Lindenſem vertit. Neque minorem in ea facilitatem beneficentiamque expertus jam tum erat, cui hodie grates, quantas pectus humanum capere poteſt, agere contendebat.

## XXI.

### Brachii & pedis vitia curata.

Chriſtophorus Benell Boëmus, Pragâ oriundus, Meelſacci in Pruſſia ſedem fixit, & conſequente deinceps tempore, ipſemet lecto affixus eſt. Hyeme enim proximè evoluta, tum pedum tum brachii dextri vitio, undecunque tandem contracto, nuſquam niſi in lecto aliquam invenit requiem. At poſtquam ſalutem undique deploratam Deiparæ Lindenſi commendavit, adjectoque peregrinationis voto fidem ſuam obſtrinxit, & pedum & brachii, quaſi manicis pedicisque ſolutus extemplo eſt; ut pedes exinde peregrinationem Lindenſem aggreſſus feliciter abſolverit, & nonniſi pedes, prope quinquaginta millia paſſuum redux voluerit remetiri.

# CAPVT VII.

Quinque dies, Idus Majas proximè consequentes.

FInem his diebus, videlicet ad XII. Calend. Majas, imponebant Agonia, sive Agonalia; quæ cùm variis de causis ita appellata referat Ovidius (a) ipse tamen rationem nominis; à ludis Græcorum, qui Agones dicebantur, derivat, dum ita scribit:

*Fas etiam fieri solitu ætate priorum*
*Nomina de ludis Græca tulisse diem.*
*Et priùs antiquus dicebat Agonia sermo;*
*Veraqúe iudicio est ultima causa meo.*

In tanto peregrinorum apud Lindam concursu, quid aliud quam Agones quosdam intueri tibi videberis? In quibus quidem, non jam *unus*, quod etjam S. Paulus notavit (b) *accipit bravium*, sed tot incorruptam accipiunt coronam, quot singularibus DEI ac Deiparæ beneficiis, juxta divini vatis carmen (c) *in misericordia & miserationibus coronantur.*

## I.

### Comitiali morbo expeditus.

Ad XVII. Calend. Iunias Christophorus Przyborowsky; ex Schœnfeld pago, magnis octo leucis in provincia Hordeburgensi dissito, comitante unà conjuge, Lindam venit, & votum tres ante annos conceptum, solvit. Comitiali morbo à quindecim jam annis destringebatur, & nullo apud suos ex-

terosqúe

(a) *Fast.* I. (b) I. *Cor.* (c) *Psal.* 102.

terosque homines invento remedio, etjam hæreticorum quos inter propè solus Orthodoxam colebat fidem, consilio atque suasu, votum Lindæ adeundæ, offerendique alicujus donarii fecit. Iam tum vis mali plurimum remisit; ut non desperet, etjam reliqua morbi vestigia, quæ sanè levia supersunt, abscessura.

## II.

### Dentium dolore liberatus.

Eadem die, adfuit è Medien Heilsbergensis agri pago Iacobus Austin, qui unius ferè anni spatio ingentem pertulerat dentium cruciatum. Quo, cùm per imploratam Divæ Lindensis opem, levatus esset, illi potissimùm secundum DEUM gratias hodie egit.

## III.

### Tres claudæ fœminæ curatæ.

Eadem die, quamvis non omnes eodem ex loco, Lindensi Divæ gratias egerunt, quia ejusdem beneficio pedum sanitatem omnes receperunt. Et Anna quidem Ioannis Austin ex Medien coloni filia, dextrum genu, dimidio plus anno, miserè affectum habebat; Anna verò altera Clementis Fischer civis Heilsbergensis filia, supra hebdomadas septem, utroque claudicabat pede; denique tertia Anna Ioannis Schultz ex Reichenberg Heilsbergensis municipii pago coloni uxor, dolore sex hebdomadarum ad claudicatem redacta neque aliter nisi fulcrorum adminiculo utcunque gressum facere solita; postquam



Digitized by Google

suo quæque tempore ac loco, opem Deiparæ imploravit, facilè obtinuit.

## IV.

Alii quatuor variis pedum morbis soluti.

Antonio, Antonii Weyenmülleri Bisteinensis civis & Musici filio, sacer ignis, per annos duos pedem utrumque, non tam affecerat, quàm prope exederat, inflammatione ad extremum vi aperta undique vulnere exuberante: Minus aliquanto malum, etsi non minoris generis, invaserat cujusdam Glocksteinensis in agro Resseliensi coloni Georgii Reimer filium; sacer enim itidem ignis erat, & per duas hebdomadas haud leviter in pedem dextrum sæviebat: At verò Joanni Leb Meelsaccensi civi ad gravem capitis dolorem, & novus pedum morbus accessit, qui cùm sex hebdomadas tenuisset, incedendi quoque facultatem abstulerat: Ad extremum Joanni Manfras civi Resseliensi, haud dissimilis dolor & manuum & pedum usum, per duodecim hebdomadas abstulerat. Potuit istos, locorum intervallis ita ab se divisos, latere communium malorum societas, sed non latuit quenquam commune apud Lindam Marianam ægrorum, calamitosorumq; asylum, suo quisq; loco ac tempore Patronæ Virginis opem exposcit, ejusdemque Lindæ visitationem, Sacramento voti interposito, addicit. Neque ea pietas supplicantes fefellit: mox enim aut inflammatio, aut alius dolor, velut injectâ frigidâ, constitit; dataque omnibus, non modo gradiendi, verùm & longius iter perficiendi facultas.

V.

## V.

### Fæminæ duæ febri liberatæ.

Michaëlis Rohfleisch, ex Vargitten Heilsbergensis agri pago, uxor nomine Clara, quinque hebdomadas cum febri graviter erat conflictata: at verò Anna Ioannis Schwartz in Glautinen Cinthinensis in Ducatu municipii pago, duodecim hebdomadas similes febrium ardores perpessa erat. Tametsi verò hæc præ illa, non locorum modò, verùm & religionis intervallo magis à Linda Mariana erat disjuncta (quippe inter Sectarios sectarum vinculis obnoxia) tamen & hæc non minorem in Deipara fiduciam collocavit, neque proinde minorem experta opem; ut simul & Lindam accederent, & Lindæ gratias Deo ac Deiparæ persolverent.

## VI.

### Glaucoma oculis detersum.

Sibylla Bartholomæi Grunert Civis Meelsaccensis uxor, distillantibus supra sesqui annum oculis glaucoma contraxerat, adhuc cùm Virgo apud parentes degeret. Offusis ita corpori tenebris, melior animo lux, è certa in Deiparam Lindensem fiducia oborta est; quàm etjam curationis frustra alibi tentatæ desperatio non mediocriter augebat Neque fiducia ac pietas fructu caruit, confestim enim opitulante Dei Matre, & glaucoma, & tenebræ ab oculis detersæ; & illa, comitante Lindam usque parente, vota & gratias illi agere non cessavit.

## VII.

### Tumor immodicus toti corpori offusus iteratò discussus.

Ad xv. Calend. Junias Andreas Grünhag Heilsbergensis annuam Lindæ peregrinationem repetiit. Sex ante annos toto prorsum corpore immodicus se humor diffuderat, & miserum totas septem hebdomadas lecto affixerat; ut ne consistere quidem, tantùm abest, ut quopiam conferre se progrediendo posset. Omnis tamen ille tumor momento propè resedit, & sanitas homini integra rediit, ubi ille voto, quod Lindensi Patronæ fecerat, defunctus est. Anno deinceps recurrente, cùm ille recurentem neglexisset peregrinationem, non neglexit iterum recurrere morbus. Ergo ille malo suo monitus, novo se annuæ perpetuæque, quoad superesset, peregrinationis voto obstringit, & illicò, quo tenebatur, morbo expeditus est.

## VIII.

### Pluribus dolor capitis dissipatus.

Eodem tempore, eodemque ex loco, atque eadem fere de causa tres puellæ ob beneficia sibi collata, Deiparæ sunt apud Lindam gratulatæ. Ex Newendorff Heilsbergensis agri pago omnes venerant, sed non omnes indidem erant oriundæ, præter Barbaram Joannis Greman filiam; Margareta enim Heilsbergæ, Matthæo Hippler cive, at Gertrudis in Santoppen Luca Fritsch parente nata erat. Cæterùm Barbara ante quadriennium tum vehemente Stomachi

machi nauſeâ, tũ immani capitis dolore, ad vertiginem uſque laborârat; Margaretæ verò, ad ſimilem capitis cruciatum, acceſſit pedum ingens dolor, qui eam ad hebdomadas quatuor lecto affixam ante triennium tenuerat; denique Gertrudis ante octo jam inde annos nihilo mitiore per ſex menſes capitis cruciatu afflicta erat Omnibus idem aſylum idemqúe apud B Virginem Lindenſem præſidium fuit Vnde reliquæ ſæpius Lindam gratias acturæ pergunt; Gertrudis verò annuam, quoad vixerit, peregrinationem, religiosè ſervat.

## IX.

### Hæreticæ quoque fæminæ dolore capitis liberatæ.

Eâdem quoque die Margaretæ, ex Kiersnowo Schiſtenſis agri pago colonæ, duæ jam adultæ Virgines filiæ, quamvis non catholicæ, ritu catholico gratias Divæ Lindenſi egêre. Cereis enim ſertis capita cinctæ ſacellum aliquoties obierunt, & preces genibus identidem flexis, qua poterant pietate, fuderunt, ut voto nempe exolverentur, quo ingens & diutinus capitis dolor, qui filiam utramque annum prope integrum diſtinebat, Deiparæ Lindenſis ope fuerat depulſus.

## X.

### Nobilis Vir à febri malignâ iteratò curatus.

Proximè conſequente die, videlicet ad XIV. Cal. Iun. Nobilis & Magnificus Dominus Hieronymus



Digitized by Google

Gotkowski Vice-Dapifer Varsaviensis, & in Visnensi Provincia Dominus ac heres in Rakowo, pedes Resselio iter absolvit. Biennium jam elapsum erat, cùm ille Regiomontum versùs iter ingressus, de B. Virgine Lindensi ejusdemque beneficiis fortè nonnulla cognovit. Haud multò post maligna febri correptus, pro deposito ab omnibus est habitus; ut etjam munus, quod in Repub. gerebat, tanquam illo jam defuncto, alteri fuerit traditum. Et sanè tertius jam supra decimum volvebatur dies, quo ille extra omnem vitæ spem jactabatur. Interea subit ægro Lindensium Deiparæ beneficiorum memoria, & memoriam, votum peregrinationis Lindensis momento consecutum, quemadmodum & votum proximè secuta est incolumitas. Quid restabat, nisi ut morbi vinculis expeditus, etjam voti sui vinculo se expediret? At negotia quà domi privata, quà etjam in magistratu publica variè intercedebant: quoad recurrente jam anno, quintâ hebdomadæ sanctæ feriâ, morbus idem recurrit: cumque per sex circiter dies sævire pari prope inclementiâ ac periculo cæpisset, ægrum coëgit, ut non memoriam duntaxat voti sibi refricaret, verùm & novo se Deiparæ voto obligaret. Quod etjam citra moram contendit exolvere; quemadmodum hac die exolvit; &, quæ memoravimus, omnia teste conscientia, affirmavit.

## XI.

Epilepsiâ duo infantes liberati.

Ad XIII. Calend. Junias, Balthasar Schwartz è Retsch

Retſch agri Heilsbergenſis pago, unà cum conjuge Margareta, votum, quod à ſeptendecim jam annis, frequentant, annuæ peregrinationis abſolverunt. Votum autem filiorum causâ ſuſceptum nuncupatumque ritè erat. Cùm enim & Georgius filiolus, & Albertus triennio junior, ſimul atque in lucem editi fuerant, comitiali morbo exagitarentur, parentes utrumque, quoad viverent, quotannis B. V. Lindenſi coràm ſiſtendum promiſerunt. Quia verò utrumque ab edito voto ſanum receperunt, quovis anno, tum illum utrumque, tum etiam ſe inſuper beneficii memores & gratos, Deiparæ coràm ſiſtunt.

## XII.

### Mulier non catholica ob filias duas, à præſente mortis periculo ereptas, votum ſolvit.

Die eadem, Barbara ex Nanjady Sehiſtenſis arcis pago, quinque milliaribus Lindâ diſſito, Joannis Toporzisko uxor, votum, quod ante ſex annos nuncuparat, comitante Helenâ affine ſuâ, abſolvit. Anna filia ipſius, cùm aliis morbi cauſis tum ulceribus intimè caput opplentibus ad inſaniam uſque deducta, & ſupra medium annum lecto affixa erat, ut nuſquam inde progredi, nec niſi matris operâ manibusque portari ac moveri aliò poſſet. Poſteaquam verò mater Deiparæ Lindenſi filiam devovit, non tam à morbo quàm à morte rediiſſe ad ſanitatem vitamque viſa, commodaque deinceps valetudine uſa eſt. Quæ Deiparæ benignitas fiduciam matri fecit,

fecit, ut, cùm Barbara junior filiola, vix annum ætatis supergressa, sinistrum latus axe currus, impetu prætereuntis, graviter percussa, & sive inde, sive alia quoq; ex causa, majorem æstatis partem prope usq; ad mortem (quam solam mater jam opperiebatur) macie exhausta esset, etjam huic salutem postulare à Deipara Lindensi auderet. Postulavit, & hanc quoque sanam brevi complexa, non ante Lindæ præsentem stitit, quàm sextum ingressa annum & matrem & sororem comitari posset pedes.

## XIII.

## Traumburgensium complures ob impetrata à Diva Lindensi beneficia gratias agunt.

Die ante Calend. Iun. XI. homines septendecim, majorem partem Traumburgo, ut gratias agerent, confecto pedibus septendecim leucarum itinere advenerunt. Quos inter Petrus Hintz Matthiæ & Annæ civium Traumburgensium filius, annos tredecim natus, aurium usu, cùm adhuc pueritiam vix esset ingressus, omnino destitutus, matre filium Lindensi Patronæ offerente, confestim revaluit. Anna verò Ioannis Hartman indidē civis filia, matre ante annū ex febre malignâ plures hebdomadas decumbente, ejus loco votum Lindam nuncupavit; &, restitutâ confestim matri sanitate, hodie, quemadmodum promiserat, voti pensum cum gratiarum actione reddidit. Sicut autem hæc matris, ita Catharina Iacoli Herbst Traumburgensis itidem civis filia patris sui causam, apud Deiparam Lindensem feliciter

ter egit. Defunctus ille jam ante triennium fuerat, ſed filiæ identidem apparere per ſomnium viſus ac monere ut ſe Divæ Lindenſi offerret. Obtulit illa facto Lindam peregrinandi voto, & exinde omnis animo quies, etjam per ſomnium, rediit. Iam Regina indidem Simonis Schopp & Annæ filia, per quinque minimùm hebdomadas ex capite ante triennium graviter laborarat: Barbara verò ex Newkirch Ioannis Goltſchmid & Catharinæ filia, ab uno ferè anno comitialem morbum miſerabiliter, paſſa fuerat: utraque à voto Deiparæ Lindenſi nuncupato, ſanitati confeſtim reſtituta eſt.

## XIV.

### Duo homines non catholici à ſenſibus alienati, ſibi reſtituti.

Eadem die ex Orſch Angerburgenſis agri pago, in Ducatu ſito, adfuerunt Lindæ VVilhelmus Nicolai Hielaſa, & Ioannes Martini Kozurck filius Atque ille quidem æſtate præteritâ, ignoto omnibus morbo per hebdomadas ſex lecto affixus, ac demum triduo à ſenſibus prorſum alienatus, ut neq; audiret, neque quidquam aliud ſentiret, ac tantum pedibus totoqúe adeo corpore partes in omnes ſeſe jactaret: hic verò, dum ruri poſitus terram aratro verteret, advolantis corvi (qui maleficorum operâ ſubmiſſus putabatur) inſolito adſpectu perculſus, & pavore conſternatus, adeoqúe extra ſe motus eſt ut plures hebdomadas redire ad mentem ac ſibi conſtare nuſquam poſſet. Vterque parentum ſuorum voto Deiparæ Lindenſi oblatus, extemplo ſibi reſtitutus, atque

que hodie, patre admodum sene Wilhelmum comstante, voto suo apud Lindam defunctus est. Poterat hisce duobus adjungi tertius, non quidem ex eodem pago, ex eodem tamen Ducatu, Joannes Lichota in Grajow, Letzensis municipii pago inquilinus; qui eodem die votum suum Lindæ persolvit; sed quo Deiparæ beneficio fuisset affectus, inquiri & consignari per temporis angustias non potuit.

## CAPVT VIII.

Alii quinque mensis Maji dies.

INitium his atque auspicium Dominica sanctissimæ Trinitatis, in x. Cal. Jun. incidens dedit; quâ civitas Bisteinens. pro accepto more, vel potius pietate sua annuam processionem Resselium, & in vicinum Resselio pagum Robawen promovit, & unà multos ad sui imitationem cùm aliàs semper, tum hoc quoque anno permovit. Sed & præter Bisteinenses, plurimi ea ipsa die aliunde Lindam accesserunt.

### I.

### Morbus comitialis depulsus.

Prisca Laurentii Teicher civis Vormditensis uxor, quod à quatuor jam annis facit, votum annuum persolvit. Voti causa fuit comitialis morbus: quo, sicut ob terrorem à milite quodam incussum, subitò fuit correpta, ita ob votum ad Deiparam Lindensem factum, confestim erepta.

II.

## II.

### Tumor hydropicus discussus.

Janowka oppidum est cis Augustoviam, octodecim fere leucas Linda dissitum. Illic ante biennium Joannes Jargonozik cùm aliis morbis vexatus, tum hydropico tumore, à festo S. Jacobi usque ad S. Thomæ Apostoli, toto corpore ita suffusus fuit, ut, cùm manu pars aliqua corporis attingeretur, non tam corpus, quàm massa quædam videretur tangi: &, cùm decumbens in alterutrum latus caput inclinaret, oculi præ eminente tumore, ut nihil omnino cerneret, obturarentur, Fortè à peregrinis aliisque amicis, mentio de beneficiis Deiparæ Lindensis facta, singularem in ægro spem, religionemque accendit. Votum igitur, non Lindam modo adeundi verùm & pane mendicato iter agendi, subitò concipit, simulque ope Deiparæ sanitatem recipit. Cujus rei testimonium ab Admodum R. D. Valentino Goworowski, Janoviensi Parocho scripto datum, & manu sigilloque ejusdem munitum, Anno MDCLIV. die XXV. cùm accepisset, iter citra moram ingressus est. Quia verò quovis anno, dum vita superaret, iterare eandem peregrinationem promisit, etjam hoc anno promissis hac ipsa die respondit.

III.

## Inusitatum apostematis genus & hernia curata.

Eâdem die Regiomonto adfuerunt sorores duæ Bartholomæi N. viri catholicâ pietate, ad quam è Lutheranis castris redierat, inter paucos excellentis filiæ: quarum illa primum Ioanni Beer, deinde verò Ioanni Deiner, hæc verò Iacobo Cessau Crustulario Regio, homini Gallo nupsit. Atque Esther quidem Ioannem filiolum septennem, quem è Ioanne Beer Coloniâ oriundo, & præclaro inter Regiomontanos œnopolâ susceperat, voti reum Deiparæ præsentem exhibuit, ut jam tum agnosceret, cujus beneficio vitam, secundùm Deum, duceret. Quartum ætatis annum cum esset ingressus, insolens quoddam apostema ventrem pueri occupavit; quod per magnam corporis partem diductum ac diffusum, nullam puero quietem relinquebat: ut præ doloris magnitudine, ne cingulo quidem accingi unquam posset. Ad extremum ita malum induruit, ut nulla medicorum (qui, quotquot Regiomonti sunt, adhibiti fuerunt) potuerit ope emolliri, ne dicam curari. Plerique eorum pro deposito puerum habebant, quidam nonnisi pauculos ætatis promittebat annos. Verùm ubi mater filiolum Dei Matri apud Lindam obtulit; malum ita præter spem continuò dissipatum depulsumque est, ut cùm intereà novo cuidam Doctori, qui Regiomontum appulerat, curandus puer offerretur, Doctorque illum perlustraret,

ſtraret, vitio nullo corporis reperto, ſanum undique pronuntiârit. In cujus rei monumentum, grata Deiparæ mater inſignem Tabellam argenteam, in qua Chriſti Domini à Pilato judicati, hiſtoria ſculpta & atramento perlita viſitur, hâc ipsâ die dedicavit. At verò Anna ſoror, ſuâ filiique ſui Alexandri, quem novennem Deiparæ coràm ſtitit, causâ alteram Tabellam, in qua inſigni opere Deiparæ imago protuberat, dicavit. Cùm enim filiolum illum parturiret, gravi & periculosâ herniâ afflicta fuit, quâ tamen perinde, uti partu, ſoluta fuit, ubi ſe Deiparæ Lindenſi voto ſingulari obſtrinxit.

## IV.

## Quinque homines, à variis gravibusque morbis liberati.

Przerosla oppidum eſt Podlachiæ, viginti circiter leucis Lindâ diſtans, ex quo viri quinque Lindam hâc eâdem die venientes, ſcriptum à ſuo Parocho teſtimonium, de ſui itineris cauſa, hoc eſt de perceptis Deiparæ Lindenſis ope beneficiis, attulerunt. Eſt autem hujuscemodi:

*Laurentius Badovvsky Parochus Przerosleníis, hoc meo ſcripto atteſtor, congregatos homines, honeſtos cives Przerosleníes, ſimul ad locum ſacrum, hoc eſt, ad B. Virginis Lindam proficiſci; ad quam in variis morbis & periculis ſuis, ſua nuncupârunt vota: gratias videlicet acturi, & conſtanter profeſſuri, quod patrocinio B. Virginis, verè à ſuis eruti ſint infortuniis. Eorum porrò nomina hoc eodem ſcripto meo exprimo; quæ ſunt, Martinus Gursky, Andreas Boravvsky, Petrus VVillim, Michaël Bier-*

 *nat;*

*nat; & quinta matrona quadam honesta. Quorum insuper nomine oro, ut quovis loco liberam habeant ultro citroque commeandi potestatem.* Quæ porrò reverendus D. Parochus de beneficiis Deiparæ universim memoravit, ipsi sigillatim paucis recensuerunt. Martinus Gursky arborem in silva cædens, dextrum genu ab eadem cadente ictum, ossibus extra juncturam vertebrasque protrusis, & nervis vehementer collisis, à mense Septembri ad medium fere Novembris decumbebat. Cujusdam amici suasu Lindensem peregrinationem vovit, & repentè convaluit; ut, cùm paulò antè neque pedes, neque cætera membra loco movere posset, susceptum Lindam iter, majore, quàm quisquam sperare potuisset, fiduciâ constantiaque absolverit. Jam verò Andreas Borawsky, nato intra caput ulcere, totam æstatem cruciatus, cujusdam itidem amici suasu, quin & voto ejus causâ suscepto Lindam oblatus, rupto confestim intra caput ulcere, & purulentâ sanie per aures largè effusâ, probè convaluit. Petrus verò Willim, ex ingenti animi tristitia, ad sævissimos capitis dolores, quin & insaniam adactus est; ut necesse fuerit hominem vinculis & compedibus ferreis coërceri. Quibus in vinculis & calamitate, supra hebdomadas septem egit; quoad voto per amicos Lindam facto, morbo primùm, tum deinde & vinculis exemptus est. Denique Michaël Biernat septuagenario major, circa festum Epiphaniæ paralysi tactus, neque linguam, neque corpus reliquum movere potuit. Voto, quod amicorum quidam persuasit, Lindam nuncupato, ita ad se rediit, ut supra suam omniumque spem, tantum iter pedes ingredi, & confice-

ficere potuerit. Unde tanti & tam multiplicis memor beneficii, non sine uberibus lacrymis, quamvis nonnihil adhuc cespitante linguâ, Dei & Deiparæ in se clementiam prædicavit, & quemadmodum venerat, Lindâ sese domum pedes receperit.

V.

Morbo comitiali virgo liberata.

Pauli Lehman civis Bisteinensis filia Elisabeth, quintum ac decimum ætatis annum ingressa jam erat. Confirmatam ita virginis ætatem Herculeus morbus est aggressus, quo sæpius intra annum hunc miserrimè afflicta, parentes denique permovit, ut Matrem Dei apud Lindam appellarent; dignaretur illa, oculis misericordiæ plenis aspicere sobolem suam, quam ipsi ita miserè habitam longiùs aspicere non sustinerent. Addunt precibus votum, si morbus esset depulsus, profectionem Lindam inituros, & filiam Dei Matri coràm stituros. Votum salus confestim secuta, parentes unà cum incolumi jam filia, non ad edendum duntaxat beneficii accepti documentum, verùm & ad debitum pietatis officium Lindam ad IX. Cal. Jun. excivit.

VI.

Nobilis juvenis à febri, paralysi, & epilepsia, maleficorum arte immissis liberatus.

Octavâ ante Calend. Jun. die, in Galliam iturus, voti solvendi causâ, Lindam rectà divertit nobilis ac generosus D. Thomas Glinka Janczewsky, illustris & magnifici viri, D. Adami

 Glin-

Glinka Janczewsky, Notarii Terræ Visnensis filius; Absolutis paulò antè Resselii studiis literarum, è comitiis Anno MDCLII. Brestæ celebratis, domum reversus, ad nuptias cujusdam Virginis, nobilitate generis magis, quàm fortasse virtute claræ, invitabatur: quas ille cùm justis de causis refugeret, nefandis maleficorum artibus perstrictus, primùm febri malignâ, tum eâ necdum repulsâ, paralysi insuper corripitur. Et jam extra se atque sensus erat positus, cùm Domini parentis voto divæ Virgini Lindensi oblatus, confestim & à febri, & à paralysi liberatus est. Recurrente postmodum anno, ipsâ Præsentationis B. Virginis die, ex iisdem maleficorum maleficiorumque causis, morbo comitiali ita correptus est, ut intra diem vicies ac quater gravissimè miserrimeque afflictus humi collideretur. Ergo Dominus parens iterum ad B. V. Lindensem recurrit, & non majore, quàm antea, negotio, sanitatem filio impetrat. Unde filius, tum ut suscepti ab se in Galliam itineris, secundiorem ab auspiciis Deiparæ peregrinationem redderet, tum multò magis, ut pro tot tantisque jam acceptis beneficiis gratias ageret, Lindam accessit, &, quæ hîc memorata sunt, manu suâ hunc in modum subscripsit:

*Ita esse testor, ego Thomas Glinka Janczevvsky manu prop.*

## VII.

### Vulnus in gangrænam desinens curatum.

Ad VII. Cal. Jun. annuam, pro recepto sibi more, peregrinationem Lindæ absolvit Joannes Fischer Meelsaccensis. Is octo ante annos, dextrum genu fortui-

tuito, sed gravi casu vulneratus, per duos annos, vulnere sensim in gangrænam degenerante, nonnisi fulcris subalaribus nixus, gradum utcunque facere, aut potius reptare potuit. Facto Lindensis profectionis voto, iisdem, quibus biennio erat usus, fulcris eò adrepsit, simulque morbum omnem, adjuvante Lindensi patronâ, quasi iisdem fulcris aut potius fustibus ab se abegit. Tanti memor beneficii, quovis deinceps anno, ut Patronæ tantæ gratias agat, sese apud Lindam ipsius supplicem juxta ac præsentem sistit.

## VIII.

### Periculosa febris repulsa.

Eâdem die Lucas Hell, ex Hohendorff Meelsaccensis agri pago Lindæ comparuit. Tres ante annos, febri per novem hebdomadas confectus, eoque redactus est; ut neque erigere, neque adeò ampliùs se nôsse, neque demum aliorum spe producere vitam posset: ubi nonnihil ad se reversus, ad B.V. Lindensem per votum à se nuncupatum confugit, febris in tumorem duarum hebdomadum versa, hominem penitus deseruit.

## IX.

### Colici dolores repressi.

Plures illâ ipsâ die è Meelsaccensi municipio Lindam accessêre: quos inter Petrus Praal è Wusensi pago colonus, gravissimis viscerum torminibus ab anno discruciatus, propinquorum votis Divæ Lindensi oblatus sensim melius habere cæpit: ubi verò Lindam versùs iter arripuit, supra spem omnem, qui

aliàs vix mille passus emetiri ægerrimè poterat, citrà dolorem omnem ac molestiam, sanus & alacer triginta quatuor millia passuum decurrit.

## X.

### Febris, & dentium dolor curatus.

Palten ejusdem coloniæ Meelsaccensis pagus est; è quo Jacobus, Jacobi Kuhn coloni filius, & Dorothea Pauli Lehman, cum cæteris, Lindam eâdem advenêre die. Ac Jacobus quidem, verno superioris anni tempore ex febri decubuit, ut præ nimio æstu ac dolore, duas minimùm hebdomadas omni somno destitueretur: at verò Dorothea per octodecim menses incredibili dentium cruciatu afflicta est, exaggeratâ vi mali pharmaca cæteraque remedia omnia superante; nam quatuor omnino dentibus per chirurgum exemptis, dolor & perennis cruciatus eximi non potuit. Utriusque tamen morbo facilè à Deipara Lindensi admotum remedium, ubi votum Lindensis peregrinationis, instar malagmatis admotum fuit. Quam quidem peregrinationem uterque pedes absolvit, propè octoginta passuum millia ultro citroque emensus.

## XI.

### Capitis ac pectoris dolor, præsensque in partu mortis periculum depulsum.

Packhausen ejusdem municipii pagus itidem est; unde peregrinationis comites cæteris accessêre, Regina Michaëlis Klud, & Elisabetha Matthæi Dresp filia. Quarum illa quidem & capitis & pectoris dolores,

Digitized by Google

lores, per hebdomadas decem, sanè quàm graves sustinuit; quibus extemplo soluta est, ubi Lindam se profecturam vovit; quam profectionem ultro citroque pedes absolvit: jam verò Elisabetha inter periculosissimos partus dolores extra sensus omnemque vitæ spem posita, voto per Gertrudem matrem Lindam facto, non modò fœtum enixa feliciter est, verùm & sanitatem mox consecuta.

## XII.

### Quinque homines, variis eodem in loco morbis relevati.

Zeugninen Meelsaccensis agri pagus est, nobili Canonicorum Varmiensium piscinâ, aliquâ sui parte eundem interluente pagum, & ipse spectabilis. Inde cæteris hâc ipsâ die peregrinis adjuncti fuerunt, Joannes Grub, unà cum Catharina uxore sua; qui susceptum liberorum pecorisque causâ votum dependerunt. Nam & Jacobus novennis puer, ante triennium ex variolis, & Daniel vixdum natus, ex utraque aure admodum exulcerata, periculum vitæ adierant: simul verò atque Deiparæ Lindensi à parentibus oblati sunt, omni prorsum morbo periculoque exempti fuerunt; pecora verò cùm sæpius lue perculsa decederent, simili ad B. Virginem Lindensem voto conservata sunt. Qua de causa, quovis anno uterque conjux Lindensem prosequitur peregrinationem. Pari voto Gertrudis Fabiani Hepner filia atrocibus viscerum

torminibus excruciata, repentè convaluit; &, quemadmodum promiſerat, pedes Lindam uſque iter confecit. Pedes itidem tantundem confecit itineris, qui paulò antè intra Charontis, ut ajunt, cymbam videbatur impoſuiſſe pedem, Gaſparus Rokel Laurentii coloni filius. Sub vernum anni ſuperioris tempus, diutinâ tabe conſumptus, & morti omnium judicio proximus, imò mortuus apud vicinos proclamatus, in extremo illo vitæ articulo ſibi nonnihil redditus, votum ad B.V. Lindenſem concepit: & ſanitatem è veſtigio recepit. Denique Chriſtina Gaſparis Welcke filia, non jam ver, ſed autumnum ejusdem anni ſibi noxium experta eſt. Brachium dexterum per aliquot hebdomadas fœdè exulceratum, nulla aut à chirurgis, aut aliunde admota præſidia curare potuerunt. Curavit B.Virgo, ubi illius apud Lindam opem imploravit. Hinc illa voti ſolvendi causâ, pedes iter eſt ingreſſa, & depoſito ſimul, quod mater pro pecore à lue perſanato voverat, anathemate, pedes domum regreſſa eſt.

## XIII.

### Oculorum, & pedis dolores levati.

Ejusdem quoque municipii pagus eſt Petunen, in quo Georgius Gerigk prætor (ſcultetū vulgò appellant) triennium acerrimos oculorum dolores perpeſſus, ac propemodum mente emotus, ut præ cruciatuum vehementia in parietes, januas, terramque ipſam manibus impingeret, aut potius involaret; Miſerata ſortem viri Catharina uxor, neque tamen uſquam remedium experta, Divam Lindenſem ſimul invo-

Digitized by Google

invocavit, simul patronam sospitatricemque mariti sensit. Eodem in pago, atque eodem fere oculorum morbo per novem circiter menses discruciata fuit Dorothea Jacobi Runau coloni uxor: auxit dolorem matris, dolor quem filius Petrus dextro pede, sanè vehemētem patiebatur: sed omnibus remedium subitò affuit, postquam Diva Lindensis invocata fuit; cui proinde, ut par erat, institutâ hodie peregrinatione gratiæ sunt actæ.

## XIV.

### Febris, aliique tum pedum tum corporis morbi abacti.

Non eodem ex loco, quanquam ex eodem fere municipio, atque eadem die, vota persolverunt sua Benedictus Protman, ex Lilienthal prætoris filius, Anna Petri Margenfeld è Sonenberg filia, & Petrus Rohfeder è Peterswald. Atque huic quidem testimonium perhibuit coràm ipse reverendus Dominus Parochus Peterswaldensis, quod proxima æstate, per quàm vehementi pedum dolore afflictus, neque alio quàm Deiparæ Lindensis, ad quam votum peregrinationis ediderat, auxilio curatus sit: Benedictus verò ipse coràm itidem professus est, non aliunde sibi per eandem æstatem gravissimâ febre laboranti, quàm à Diva Lindensi, præsidium salutemque affulsisse. Denique & Anna virgo prostratis toto corpore viribus, ut neque progredi, ac ne repere quidem de loco posset, voto ejusdem peregrinationis edito, sanitatem sibi fuisse redditam sanctè affirmavit.



Digitized by Google

# CAPUT IX.

Postremi ejusdem mensis Maji dies.

INitio, medioque florentem, uti vidimus, hoc anno Majum, non minùs floridus excepit finis; in quem sacrosancti Corporis Christi feriæ inciderunt. Nam & ipsam quintam feriam, huic celebritati ab Ecclesia dicatam, plurimi è remotioribus locis peregrini, & consequentem inde Dominicam diem, pro more, à pluribus jam annis recepto, solennis ad quaterna Altaria extra sacellum constructa, Processio plurimùm ornârunt. Cùm enim Linda, deserto, ut aliàs vidimus, in loco sita est, illa nihilominus in honorem sacrosanctæ Eucharistiæ instituta pompa cum populosissimis civitatibus videtur contendere posse. Procedentem è sacello pompam, prima Ara ad meridiem haud procul sacello erecta excepit: inde subter consitos ex ordine populos, juxta septum progredientes, ponticulus supra rivulum de industria pro eo festo structus, ad alteram versùs Occidentem Aram, sub finem aggeris nupertime strati, traduxit: inde per aggerem, ortum versùs reduces, tertia ad caput ejusdem aggeris, quarta verò, ad vicinas sacello ædes occupavit. Ad singulas earum, præter usitatos sacerdotum hominumque sacrorum cantus, adhibita studiosæ juventutis Resselienfis, egregia tum Latino, tum Germanico Polonicoque versu acroamata; quibus quasi colophonem addebant, displosæ supra collem sacello imminentem, per studiosam juventutem aliosque, bombardæ; & tantis plausibus, variè

Digitized by Google

variè responsans per convalles collesque ac silvas oppositas Echo. Bene sit manibus illius, qui hunc apud Lindam triumphum DEO nostro primus instituit, interim nos ad nostra.

## I.

## Meelsaccensium singularis hoc anno pietas.

Semper quidem aliàs, sed hoc potissimùm anno contendere Meelsaccenses, cum quavis etjam in vicino Varmiensi Episcopatu sitarum civitatum, de suo in B.V. Lindensem studio pietateque potuêre. Tametsi enim hoc anno nullam publicè supplicantium pompam, uti superiore fecerant (a) instituerint, privatorum tamen tum de civitate ipsa, tum de obnoxiis civitati pagis hominum, ea fuit religio, ut rara per æstatem prætererit hebdomada, ne dicam dies, quâ non plerique, ac sæpe etjam plurimi, & quidem pedestri fere itinere Lindam affluxerint. Quam quidem eorum pietatem, singularibus videtur beneficiis Deipara Lindensis rependisse. Præter illa enim, quæ superiore capite recensuimus, non pauca deinceps illis, ante alios quodammodo cumulatiùs collata, restant suo ordine ac tempore percensenda.

## II.

## Brachium, sacro corruptum igne restitutum.

Ad VI. Calend. Junias ad gratias iterum, iterumque sospitatrici suæ agendas, Matthæus Schultz,

(a) *lib.4.*

Schultz, ex Mengengen Wormditensis agri pago, Philippi hortulani filius, Lindam recurrit. Dextram illi manum sacer ignis, per integrum fere biennium, non ad vulnera duntaxat, sed ad ipsum quoque ossifragium exulcerârat; ita, ut & manus tota introrsum curvata, neque flecti quoquam, neque prehendere quidquam posset; & ossium particulæ è vulneribus secedentes, aliud atque aliud sibi vulnus secessuræ aperirent; quod quidem relicta mali vestigia grandiores vulnerum cicatrices adhuc loquuntur. Verùm tantis tamque deploratis miserrimi hominis malis, unicum Deiparæ Lindensis suffragium occurrit. Cui, ut ille gratus pro sua tenuitate esset, jam tres ante annos profectionem Lindam suscepit, quam & hoc anno atque die iterum repetiit.

## III.

### Gravis ac periculosus spinæ dorsi cruciatus sublatus.

Eodem die, adfuit è Schoneberg Resselienssis municipii pago, Jacobus Basner colonus. Gravissimos in spina dorsi cruciatus ante duodecim circiter hebdomadas erat perpessus; ut neque movere se strato, neque spem vitæ reliquam ipse de se, aliivé de ipso habere jam possent. Omnem igitur spem atque fiduciam, in una Deipara Lindensi (præsertim ubi reliqua præsidia nequidquam erant adhibita) reposuit, & voto (quo se tum Lindam profecturum, tum Sabbathi dies, quoad viveret, in Deiparæ honorem jejunio traducturum (poponderat) eidem nuncupato, repentè convaluit; ut, & tum sensim, quà liberet, deambula-

bularet ; & nunc totum iter, pedes & excalceatus Lindam usque conficeret.

## IV.

### Restitutus oculorum usus,

Peragratis; quotquot in Polonia miraculis, aut peregrinorum cultu eximia sunt, aliquamdiu locis, ad Lindensem sospitatricem eâdem hâc die appulit Stephanus Haw'k ex Rakowice, haud procul Grodnâ, in Lituania oriundus; sed in Letzen Ducatus Prussiæ oppido quinque leucis à Linda remoto, ante biennium à cujusdam civis obsequiis versatus. Illo ipso tempore ac loco, dum iter ageret, subitò hominem dolor per quàm sævus invasit, & præ cæteris membris oculos ita occupavit, ut neque usquam progredi extra limen, neque vel minimum auræ flatum perferre ullo pacto quiret. At ille, qui non oculis modò collyrium, verùm & cæteris omnibus morbis, præsens apud Lindam Marianam alexipharmacum in vicino repositum sciret, simul eò, votum nuncupavit, simul morbo levatus est; ut cùm vicinum illud Lindæ sacrarium haud difficile, suorum usu ductuque oculorum revisisset, ad reliqua propè omnia, miraculis aut cultu peregrinorum illustria per Poloniam loca, nullo præterea alio ductore atque duce lustrare, indeque ad suam iteratò Lindam commeare potuerit.

V. Epi-

Digitized by Google

## V.

### Epilepsia, & acerrimus dentium cruciatus sublatus.

Schonwald pagus est haud procul Bisteino situs; in quo Georgius, Bartholomæi Ohrentrost filius ab ipsa propè infantia morbo comitiali exagitatus, sed à parentibus eodem propè tempore Deiparæ Lindensi devotus, omni deinceps morbo liber, Deo & Deiparæ peregrinatione Lindam quotannis institutâ, gratias agit. At verò Petrus Antonii Sturman ex eodem pago filius, acerrimo dentium dolore per multos annos recurrente, cùm vulgaria nequidquam adhiberentur remedia, statam per aliquot annos peregrinationem ad Lindam Marianam vovit; & confestim dolore, quin & tumore, qui octo ante dies genam dextram fœdè obsederat, undequaque liber, primam hoc anno peregrinationem, adhibitis sacris pænitentiæ atque eucharistiæ sacramentis, feliciter auspicatus est.

## VI.

### Gravis æquè ac periculosa febris discussa.

Martinus Ohm civis Traumburgensis plus anno solido, ante triennium febri exhaustus, neque suis consistere viribus poterat, neque aliorum quoque spe prorogare vitam posse videbatur. Præsidiis omnibus frustra undique admotis, B. Virginis Lindensis opem imploravit, & actutum recepit. Nam, quod conscientiâ teste asseruit, à voto vixdum edito mox ad se rediit; & hoc anno votum, quod jam tum B. Virgini,

gini, citra moram, persolverat, institutâ rursum peregrinatione iterum confirmavit; præsertim cùm ab eo tempore, firmâ se valetudine, DEI & Deiparæ beneficio uti sentiat, recurrentemque aliquoties in vultum sacrum ignem, quem vulgò Rosam appellant, eodem beneficio depulsum ac propè extinctum fateatur.

## VII.

### Pes argenteus gangrænæ curatæ, tabella verò itidem argentea beneficii alterius argumentum.

Ad v. Calend. Junias Hedwigis, provectioris jam ætatis virgo, ex Dietersdorff Vormditensis municipii pago oriunda, sed Traumburgi in variorum Canonicorum obsequiis supra quindecim annos versata, argenteũ pedis simulachrum Divæ Lindensi coràm dedicavit. Præcipiti lapsu ante triennium intra fornicem subterraneum delata, sinistrum pedem gravissimè afflixerat. Inde sacer ignis pedem, & ignem sacrum gangræna excepit, fædũ juxta ac miserum in modum, per vulnera, & ulcera corpus depascens. Supra omnem hominum opem curatio erat, non tamen supra Deiparæ Lindensis: ad quam cùm se ægra recepisset, & ad votum peregrinationis, argenteum pedis simulacrhum adituram promisisset, continuò pes sanitati pristinæ est integrè restitutus; quo illa, cùm hactenus variis districta obsequiis non posset, iter septendecim leucarum facile Lindam usque emensa, atque inde Traumburgum pari facilitate remensa est. Eâdem hâc die, Tabella argentea B. Virgini dedicata, cum sequen-

Digitized by Google

sequenti epigraphe atramento à tergo adjecta. *Ad* DEI *gloriam, & honorem, Deiparæ Virginis, meæ apud Lindam patronæ, Anna Althoffiana, Gregorii Gierlovvsky civis Lubaviensis coniux, Anno* 1655. Dubium nullum est, quin singularis beneficii, à Diva Lindensi impetrati, &, si necdum satis aliis cogniti, ea Tabella monumentum sit.

## VIII.

### Morbus comitialis, & pedis utriusque gangræna curata.

Joannes Cilowsky ad III. Calend. Junias primus omnium Lindæ comparuit; Mariæburgo, ubi sutorem agebat, totum iter, non sine singulari Deiparæ auxilio, emensus. Ad epilepsiam, quâ aliquot annos miserè afflictus erat, gangræna pedem utrumque, maximè verò dextrum invasit. Ulceribus ac deinde vulneribus undique erumpentibus, supra dimidium annum insistere nullatenus ulli pedum potuit, manibus duntaxat, de loco utcunque proreptans. Vitæ quocirca spe omnibus aliis præcisâ, ille solus in B. V. Lindensi spem collocavit, & de confessarii, qui etjam viatico supremo eum munierat, arbitrio atque consensu peregrinationem Lindam vovit. Quam illi cùm durante adhuc morbo plerique dissuaderent, ipse nihilominus spei animique plenus, fulcris, quantum potuit, nixus, iter arripuit, & novem vulneribus dextrum pedem, sinistrum verò octo retardantibus, Lindam versùs promovit. Vix iter erat ingressus, cùm & vires homini redire, & vulnera sensim abscedere cæperunt: cumque terna adhuc vulnera Lindam us-

que

Digitized by Google

que reliqua attulisset, vix unius jam tenue vestigium, neq; nisi cicatrices aliorum superessent. Tanti igitur beneficii memoriam atque gratitudinem, quoad vixerit, professurus, postquam ea, quæ memoravimus, flexis genibus sanctè affirmavit, quovis insuper anno Lindam se revisurum promisit.

## IX.

### Meelsaccensium nonnulli variis affecti beneficiis.

Quod paulò ante de Meelsaccensibus diximus, jam exempla, hac ipsâ III. Cal. Juniarum die consignata firmabunt. Nam præter alios plurimos, qui hac & proximis diebus inde Lindam accesserunt, ecce senos omnino mortales, quos Deiparæ beneficiis maëtatos hac die in album retulimus! Maria Bartholomæi Engelwald civis Meelsaccensis filia, annos circiter quindecim nata, caput & faciem, erisypelate offusa, octavo circiter abhinc die, ab heræ suæ ædibus, quibus obsequia sua addixerat, ad maternas reducta erat, tanquam nulli deinceps usui, ob morbum adeo gravem, obsequioque idonea, nec nisi sibi ac matri oneri futura. At mater, cui filiæ morbus dolorem juxta ac singularem in Deipara fiduciam accendit, in genua subito procidens, Deiparæ filiam, quàm enixissimè commendat. Momento omnis tumor malique vis in mentum resedit, atque inde squamarum instar decidens ac prorsum decedens sanitati locum dedit, ut exinde pedes iter Lindense arripuerit, & pedes sana atque alacris confecerit. At verò Margareta è Packhausen ejusdem municipii pa-

go Matthiæ Schucht uxor; prope novem hebdomadas, oculis ante biennium capta ac variis remediis etjam illicitis in cassum usa; ad B. V. Lindensem recurrens, facilè opem invenit; quemadmodum ipsamet iter plus octo leucarum pedes emensa non sine lachrymis piæ gratiarum actioni ubertim affusis, palàm fassa est. Eodem die Ioannes Kolberg è Libenau pago, juvenis viginti hebdomadum febri, Anna na verò Laurentii VVolgemuht ex Hennerkau sartoris uxor morbo, qui eam septem hebdomadas strato affixerat; Catharina quoque Stephani Hun civis Meelsaccensis filia, ac denique Albertus Karecht ex Hennerkau sartor diuturnis pedum doloribus per B. V levati, gratias egerunt; ad quas postremi duo, receptæ sanitatis anathemate, singuli tabellas argenteas dedicarunt.

## X.

### Capitis oculorumqúe dolor ac paralysis depulsa.

Anna Matthiæ Kisnowski filia, Vormditi heræ cujusdam obsequiis addicta, indeqúe Lindam usque pedes profecta, votum, quo à gravi capitis oculorumq; dolore se liberatam asseruit, cum singulari actione gratiarū persolvit. Quod etjam fecit Elisabeth Ioannis Stoll Gutstadiensis filia, annos circiter octodecim nata; quæ proximè elapso quadragesimæ jejunio paralysi correpta ex obsequio heræ, cui serviebat, domum matri reducta est. Mater ad proximum filiæ conspectum de remedio solicita, cujusdam è Canonicis Gutstadiensibus suasu ad B. V. Lindensem

votum

votum in genua provoluta concipit. Quod quidem filia eo magis ratum gratumque vel nutu ipso (cùm vis morbi etjam usum linguæ ademisset) habuit, postea quam ad idipsum faciendum, in somnis sibi moveri visa est. Vix nuncupatum erat votum, cùm repente ægræ & lingua & sanitas restituta est, ut & gratias jam tum Deo ac Deiparæ agere potuerit, & deinceps matrem pedes Lindam usque comitari.

## XI.

### Tres varia consecuti beneficia.

Tertia ante Calendas Junias dies, tres diversis è locis homines, suas Deiparæ Lindensi gratias vidit persolventes. Jacobus Fischer à Rawosen Meelsaccensi pago juvenis, per superiorem æstatem gravi dextri pedis cruciatu conflictatus ad Lindam Marianam, si revaluisset, peregrinaturum se vovit: Revaluit è vestigio, & sanus citra moram iter aggressus, sanus itidem emensus est. Vrsula Andreæ Fischer, in Libenau, Meelsaccensi itidem pago uxor, in maximò instantis partus parturitionisque constituta periculo, non aliam sibi, prolique suæ censuit sive Levanam sive Lucinam adhibendam, quàm B. Virginem Lindensem. Adhibuit voto perfectionis Lindensis concepto: & confestim partu juxta ac omni periculo soluta, votum hodie solvit. Hodie quoque votum itidem suum solvit Gertrudis, Martini Ruhm ex Kleiditen Heilsbergensi pago filia. Dimidium propè annum ex spina dorsi ita miserè affecta erat, ut se commovere vix posset, flectere verò

nusquam omnino posset. Flexit tamen Deiparam Lindensem, ut sese erigeret, & à morbo penitus incolumem præstaret. Cui ut se quocunque tandem modo gratam vicissim præstaret, sex leucarum iter, ad ejus Lindam pedes confecit.

## XII.

### Gratiæ, pro levato capitis dolore, per viginti annos Deiparæ Lindensi actæ.

Gertrudis Martini Zachowski in Schulensi agri Heilsbergensis pago, hortulani conjux, viginti ante annos gravissimo capitis dolore per B. V. Lindensem relevata, totidem jam annos Lindam nudis pedibus peregrinatur, ut pro beneficio semel accepto & semper conservato, gratias semper agat.

## XIII.

### Santoppensium nonnulli B. Virginis gratiam variè consecuti.

Pridie Calendas Iunias annuam pro more processionem Lindam fecerunt, adjunctis sibi Henrichsdorffensibus & Torninensibus, tanquam ejusdem Paræciæ contribulibus. Septuaginta ex iis sacrâ mensâ refecti sunt, duo verò singularia Deiparæ beneficia experti, videlicet Georgius Schlegel è villa Henrichsdorff, juvenis, & Vrsula Matthæi Herendorff coloni Santoppensis uxor. Atque ille quidem morbo dimidii anni exhaustus, virium prostratarum tenuitatem vigore animi supplevit, magnaque fiduciâ, si revaluisset, peregrinationem ad B. V. Lindensem

densem promisit. Revaluit, & communi totius parœciæ cætui admixtus, quod promisit, lætus exolvit: illa verò totam hyemem cum morbo conflictata, omnibus aliis remediis Lindensia prætulit: quibus mox adjuta, ceream Deiparæ effigiem, uti promiserat, dedicavit.

## XIV.

### Iterum quidam Meelsaccensium beneficia experti.

Ioannes Blum, & Andreas Vogel Meelsaccenses, hic quidem periculosâ sex circiter hebdomadarum febri, ille verò diuturniore morbo graviter conflictatus, simul ac votum peregrinationis Lindensis sigillatim edidêre, viribus & sanitati pristinæ sunt restituti. Sed & Catharina Ioannis Radig ex Lichtenau, ejusdem municipii pago conjux, latus utrumque ingenti duarum hebdomadarum cruciatu affecta, quam primùm peregrinationis Lindensis votum nuncupavit, omni cruciatu expedita, decem leucarum iter sana & alacris expedivit.

## CAPUT X.

### Ipsæ Calendæ & Nonæ mensis Junii.

MEnsi Iunio nomen sive à Iunioribus imposuerint veteres, quemadmodum & Majo à majoribus, sive à Iunone; Macrobius cum cæteris sanè disquirat (a) nobis apud Lindam Marianam & à Iunioribus, hoc præsertim anno, quibus cum vita viribus-



(a) *lib. 1. Saturnal. cap. 12.*

ribusque ipsam quodammodo Deipara juventutem restituit, & ab augustissima Dei Matre, quæ nō modo, uti fabulosa Juno, & soror & conjux, verùm & filia, & sponsa, & Parens est Tonantis, nomen possideat. Quòd si Cal. hujus mensis fabulosum itidem nomen potius quàm Numen Carnæ, quæ eodem Macrobio teste (a) visceribus vitalibusque humani corporis præsidere credebatur, occupavit, quantò eas justius Dei Matri à qua non vitalia duntaxat, verum & ipsa mortalium vita, quemadmodum hoc præsertim anno vidimus, conservantur, vindicabimus?

## I.

### Tres Fæminæ non catholicæ ob varia Deiparæ beneficia, vel sibi vel suis præstita, gratias agunt.

Ipsis Junii Calendis, ex Dombrowka Rheinensis castri pago, quinq; leucis Linda dissito, fæminæ tres, quamvis non catholicæ, non vota modò sua, verùm & constantissimâ in cultu Deiparæ voluntatem exhibuerunt. Et quidem Rosina Michaëlis Poturny defuncti jam coloni uxor, non suum, sed vicinæ suæ Libertinæ Zawadzka filiolum quinquennem comitiali morbo gravissimè correptum, B. Virg. Lindensi obtulit, & sanum extemplò parentibus reddidit. Neque verebatur proximis aut vicinis suis, nova apud Lindam beneficia poscere, quæ filiam quoque suam ante quindecim circiter annos periculosè ægrotantem eidem obtulerat, & ab eo tempore sanam hucusque cum gaudio intuetur: ut à domestico exemplo atque

(a) *loc. cit.*

atque experientia, ad aliorum quoque salutem non vana spe atque fiducia erigeretur. Jam verò Anna defuncti Adami vidua, dextrum brachium à quatuor annis paralysi fortasse tactum, remediis nequidquam adhibitis curavit: non multò igitur ante, curam omnem B. Virgini Lindensi commisit, & singulare experta auxilium, ceream brachii effigiem, inter alia donaria, eidem dicavit. At Helena Adami Zbozoy filia octodecim circiter annorum Virgo, immani ulcere pedem sinistrum ab uno fere anno insidente, ut majorem hyemis partem decumbendo fere coacta sit transigere; ubi vicinorum consilio votum Lindam nuncupavit, recepta exinde sanitate votum hodie cum magna animi constantia reddidit. Cùm enim quædam itineris huius comitum, ne fortè proderentur, & quod Lindæ fuissent, à Prædicante suo plecterentur, admodum vereretur, Helena virili prorsus animo, prodar, inquit, & plectar; quin & ad palum à Prædicante alliger: nihil ista mihi curæ sunt, præsertim cùm non hac solùm vice, verum & jam diu ante per annum ægrota atque tumore distenta, à B.V. Lindensi curata fuerim.

## II.

### Periculo mortis pater & filia exempti.

Eadem die Matthæus Wichman ex Beerwald Meelsaccensi pago colonus, unà cum conjuge Elisabetha & Justina filia, ut vota sua & gratias Deiparæ persolverent, grati supplicesque advenerunt. Matthæus enim, cùm alio morbo gravi, tum ad eum morbum febri accedente, pro-

ximo vere periculum vitæ incurrerat, neque alio, nisi B. Virginis, ad quam uxor pro mariti salute votum fecerat, auxilio restitutus est sanitati. Iustina verò Ioanni Gehrman in Golangen pago nupta, supra hebdomadas septem incurabili morbo, per æstatem proximè elapsam deposita domique suæ nequidquam curata, ad maternam denique domum deportari in lecto debuit; ubi tum admotis B. Ioannæ granulis, tum potissimùm voto ad B. V. Lindensem nuncupato, brevi convaluit.

## III.

## Arthritis curata.

Quartam Nonarum Iunii diem Plausensium & Linglacensium processio annua, tertiā verò studiosorum Resselliensium menstrua, VVuslacensiū verò annua illustrarunt: at pridie Nonarum tum Sturmhublensiū Plesensiumq; processio, tum arthritis Benedicto Fromm Olbersdorffensis coloni famulo, sed Vormdito oriundo depulsa, candidum diei calculum videtur adjecisse. Omnium usu membrorum destitutus erat, ut per hebdomadas aliquot neque cibum sumere, neque loco movere quoquam se posset. Parentis sui consilio votum peregrinationis Lindensis ad avertendum malum fecit, & mox viribus suis restitutus, ceream candelam, grati animi momentum, hodiernæ peregrinationi adjecit.

IV.

## IV.

## Plures Rosengartensium, è Meelsaccensi Colonia variis morbis aut periculis liberati.

Anna Gregorii Schultz uxor, capitis oculorumqúe dolore vehementer discruciata, videndi facultatem propè amiserat. Oculis interea animi, ad B. V. Lindensem respexit, & postquam votum peregrinationis ad eam concepit, etjam solis lumen respicere atque intueri clarè cæpit. Verùm cùm superiore anno idem morbus recurrisset, ita ut dolores per sex hebdomadas regnarent, videndi verò usus per quindecim eriperetur dies, iterum Lindam voto recurrit, iterumqúe usum recepit oculorum. Petrus Hohendorff colonus sive febri, sive alio ignoto morbo nimiùm superiore anno afflictus, ægerrimè progredi operis autem nihil omnino potuit aggredi: supplice voto Divam Lindensem aggressus, pristinæ sanitati restitutus est. Regina Petri Lunau uxor gemellos uno partu, maximo suo periculo, effuderat. Inde enim tumore aliisqúe morbis variis obruta, ut per octodecim hebdomadas, suis viribus vix tantillum commovere loco membra initio posset; tandem eò ventum; ut quocunque tandem vel pes vel manus aliorum operâ collocarentur, ibi prorsum hærerent immoti. Adhibita sunt varia, sed incassum præsidia: quoad ægra consilium quorundum secuta Lindam se peregrinaturam spopondit: ab eo momento sensim omnis mali vis remisit; & illa beneficii accepti memor atque grata, peregrina-

 tionem,

tionem, ubi primùm potuit, absolvit. Absolvit unà & Benedicta Schwartz, uxor, cùm suo tum mariti sui nomine. Nam & ipsa octo ante annos partui proxima, brachium, ut plerique censebant, luxatum, neque intra lectum confovere, neque servare aut pati intra tectum ullo modo potuit; coacta sub dio dies ac noctes perpetim illud agitare. Adhibitis frustra omnibus chiurgorum præsidiis, cùm aliunde spei nihil affulgeret, quintâ à partu hebdomadâ, votum in genua provoluta Lindam fecit; ac momento eodem recepto brachii usu, non modo intra tectum servare illud, verum & ori admovere, ac versare omnes in partes potuit. Tantum præsidii Lindensis, beneficiorumque Deiparæ experimentum cùm in se haberet, haud gravatè eosdem beneficiorum fontes in mariti sui salutem derivari ab se posse credidit. Decumbebat ille omnium artuum, præsertim verò pectoris & laterum cruciatu extremè afflictus, uxor ejus causâ peregrinationem Lindam vovit, subitoque de redditâ marito salute gavisa, duodecim circiter leucarum iter ingressa, ferè totum pedes absolvit. Denique Ursula Laurentii Glauken ex Schonsee filia, sed in eodem Rosengartensi pago coloni cujusdam ancilla, præ nimio oculorum dolore, per hebdomadas tres vix aliquid jam cernere potuit; ubi peregrinationis Lindensis votum fecit, visum confestim recepit, & in aliorum octo comitatu peregrinationem suam pedes expedivit. Quæ omnia Gregorius Borchert ejusdem pagi præfectus, qui etiam voto ab se nuncupato defunctus est, vera esse,

ra esse, multis corā audientibus, sanctè est attestatus.

V.

Vni capitis dolor atque amentia, duobus febris depulsa.

Ioannes Stephani, è Sonnenwald Meelsaccensi itidem pago Ludirector, frequenti & gravi capitis cruciatu à teneris, ante quinquennium verò etjam insaniâ per hebdomadas septem laborârat; ut eo tempore extra sensum æque ac spem vitæ positus esset. Simul verò votum Lindam concepit, omnem simul & corporis & sensuum incolumitatem recepit. Qua ille de causâ ut gratias impensiùs agat, quovis exinde anno peregrinationem Lindam repetit. At verò Ioannes Pauli ex minore Gawlik in Prussiæ Ducatu molitor, ejusdemqúe uxor Marina plus medio anno ex febri decubuerant: cumqúe illis præsertim in medio hæreticorum versantibus, nullum in terris affulgeret præsidium de cælo per B. V. Lindensem quærendum sibi statuerunt, facile sub tantâ Patrona quærentibus adfuit. Vterq; sanitati redditus, votum Deiparæ uterq; hodie apud Lindam reddidit.

VI.

Plures Plastuicensiū, è Meelsaccensi itidem municipio, pro variis curationum gratiis receptis gratias Deiparæ Lindensi agunt.

Ipsæ Iunii Nonæ præter alios peregrinos è Meelsaccensi Coloniâ plures exhibuerunt, & hos inter, magnam partem Plastuicenses, variis à Deipara Lindensi beneficiis affectos Ex iis, Martinus VVill sinistri oculi usum, quatuor ante annos prope amiserat; ut nonnisi sole clarum lucente aliquid

posset

Digitized by Google

possset haurire luminis. Instituit, quam voverat, ad B. V. Lindensem peregrinationem, & mox non ex oculo modò, verùm & è sinistro, quo laborabat, latere meliuscule cœpit habere. Cùm verò oculus ille necdum satis esset restitutus, ille alteram vovit atque instituit peregrinationem, indeque perfectum oculi usum recepit. Quam Deiparæ in se benignitatem atque beneficentiam, præsentibus aliis decem viæ comitibus, tum Lindæ, tum in ipso quoque itinere, variè multumq; deprædicavit. Ejusdem uxor Gertrudis oculi utriusque usum ante annum propè amiserat; viri sui aliorumque exemplo docta ad veri luminis Matrem recurrit, & lumen oculorum, quo per hyemem ferè privata fuerat, recepit. Cujus beneficii causâ, virùm comitata, quatuordecim leucarum iter pedes decurrit. At Barbara Iacobi Lang ex eodem pago filia, annorum circiter novemdecim virgo, ab extremo Decembris ad finem anni proximè elapsi gravissimè afflicta, præ acutissimis capitis doloribus mente propemodum erat mota. Medicamentis omnibus frustra adhibitis, tum ad mentem, tum ad sanitatem rediit, ubi peregrinationem, quam ad B. V. Lindensem sibi indixerat, voto firmavit. Similiter Anna Ioannis Horn conjux, medii anni tertianâ ad omnium usque profligationem virium exhausta simul votum peregrinationis Lindensis ritè emisit, tertianam amisit. Vnde gratitudinis ergo totum iter pedes confecit, viro ultrò comitante, & pro salute conjugis gratias Deiparæ agente. Febri quoque conflictatus eodem in loco supra dimidium annum Laurentius Curionis famulus,

cùm

cùm eam hoc anno recurrere persentisceret, ipse quoque ad B V. Lindensis opem recurrit, omneque periculum febris facilè evitavit. Voti proinde reus, peregrinationem cum aliis pedes absolvit. Iam verò Catharina Gregorii Radau filia, tres ante annos per semestre vehementissimos utriusque pedis cruciatus passa, usum pedum per aliquot hebdomadas amiserat, adhibita sunt varia undique medicamenta, quibus nihil omnino proficientibus profecit votum peregrinationis Lindam promissæ. Simul enim hoc fuit emissum, simul etjam vis morbi sensim remisit. Ergo præter omnium spem valetudine necdum satis confirmatâ, iter Lindam ingressa, quanquam ægrè, tandem absolvit: at ubi voto perfuncta, sacello, domum reditura, egreditur, pedum usum, omni morbo recedente, integrè recipit. Quâ causâ hoc iterum anno peregrinationem eandem repetiit, tum ut pro recepta sanitate gratias ageret; tum ut defunctæ ante septennium matri apud clementissimam Dei matrem, quam ipsa sibi jam obtinuerat, imploraret opem. In eodem peregrinorum cœtu fuit tum Joannes Rogall, tum Dorothea, diversorum in eodem pago, colonorum obsequiis addicti. Atque ille quidem febri, plus quàm medium annum identidem recurrente graviter vexatus voto Lindam facto eam vexationem redemit. Hæc verò dextrum genu acerrimo cruciatu ante bienniū invadente, ut à festo Pentecostes ad III. Id. Novemb ipsas videlicet S. Martini Episcopi ferias, prorsum gradiendi facultate destitueretur; per suam matrem ad Matrem misericordiæ Lindam recurrit, continuoque melius

habere

habere cæpit Verùm cùm anno vertente morbus reverti iterum videretur, illa non jam per matrem, sed per sese peregrinationem Lindam usque obeundam promisit, subitoqúe vis mali integrè remisit; ut facillimè tantum iter alios comitata pedes decurrerit.

## VIII.

### Alii quoque è Meelsaccensium municipio, variis à Deipara Lindensi beneficiis affecti.

Dorothea è Liebenthal pago, præfecti pagi uxor, Christinam duodennem filiam suam, cũ cereo anathemate, in pedis figuram effictо Deiparæ voti reã stitit. Vtrumq genu & spinam dorsi, & humeros, proximè elapso mense Februario, miserum in modum affecta erat, ut neque progredi, neque consistere, ac ne loco quidem usquam, nisi aliorum ope, moveri posset. Mater non ignara opis apud B. V. Lindensem cumulatè exhiberi solitæ, votum peregrinationis Lindam concepit, eodemqúe propè momento filiam incolumem recepit; & nunc, per tredecim leucarum iter pedes Lindam usq deduxit. Deduxit Prisca Georgii Gros in VVoppen coloni uxor, Gertrudem infantem suam, quam per hebdomadas quatuor morbo incurabili afflictam, solo Lindensis peregrinationis voto curavit, curationisq; haud dubiæ monumentũ, fictam è cera filiolæ effigiem dicavit. Deniq; Casparis Lilienthal è pago Palten uxor, comitiali, ut omnes censebant, morbo ante octo circiter annos affecta, viro votum Lindam nuncupante convaluit. Cùm autem recurrente anni

tem-

tempore votum ipsa dependere per se non posset, vicem uxoris maritus etjam nunc supplevit.

VIII.

Dentium cruciatus incurabilis curatus.

Meelsaccensibus, præsertim quibuscum in comitatu Lindam venit, adjungi debuit Gertrudis Laurentii Schrœter, è Damarau Schalmajensis parochiæ villa, filia: nisi è Brunsbergensium municipio esset, & magnâ insuper leucâ longius quàm illi à Linda distaret. Incredibili dentium affecta cruciatu, eoque in tumorem primùm, deinde verò & in erisypelas, ut putabatur, desinente, atque oculi utriusque adimente usum, Brunsbergam se (ut dentem, qui omnium maximè affligebat, curaret evelli) ultimùm experture remedium contulerat. Verùm tanta erat gingivarum, vi tumoris excrescentium magnitudo, ut dens ille neque evelli, neque adeò tangi ullo modo posset. Cùm igitur neque hoc, neque alia procederent remedia, procedendum illi, de amicorum consilio, ad commune apud Lindam præsidium fuit. Quò, ubi votum peregrinationis, qua hodie defuncta est, ritè nuncupavit, præter omnium spem, omni morbo, periculoque perquam gravi imminente, confestim levata est.

## CAPVT XI.

Priores Iduum Junii dies.

PRimis Iduũ Junii diebus, secundùm ludos piscatorios

rios, trans Tiberim fieri ſolitos, menti in Capitolio, ſacra apud Romanos fiebant, quia belli Punici tempore, ut Ovidius in Faſtis canit, cùm

*—— Letho Conſulis omnes*
*Attoniti Mauras pertimuêre manus;*
*Spem metus expulerat: cùm menti vota ſenatus*
*Suſcipit, & melior protinus illa venit.*

Sicubi locorum, apud Lindam certè Marianam, *meliori*, uti alibi (a) vidimus, mens pluribus mortalibus redit: cujus rei causâ non fabuloſæ veterum Deæ Menti, ſed à quo bona mens hominibus venit divino ſpiritu, cujus in terram deſcenſus hisce plerumq diebus colitur, ſacra quàm religioſiſſimè decet facere, quemadmodum facere ſolent, qui per manus Divæ Lindenſis id faciunt.

I.

Brachii utriusque reſtitutus uſus.

Octavâ ante Idus Junias die venit Lindam è Popowo pago in Maſovia juxta VVanſoſium, ad ipſos Pruſſiæ, Maſoviæ, Subſilvaniæqúe fines ſito, & plus viginti leucis Lindâ diſſito, Simon Tilipczyk opificio pellio. Præ nimio cruciatu, qui ipſa pervadebat oſſa, uſum brachii utriusque per aliquot jam menſes amiſerat, ſibi juxta ac hero, cujus erat ſubditus, prorſum inutilis. Miſerata ipſius ſortem magis quàm ſuam hera matrona nobilis, votum illius causâ Lindam concepit, & ille ab eo ipſo tempore, brachiorum uſum ſanitatemqúe recepit, atque hàc die gratias eâ de causâ ſecundum Deum ſoſpitatrici Deiparæ egit.

II.

(a) *lib.* 1.

## II.

### Duo ex illuſtriſſimi Epiſcopi Varmienſ. familia ſanati.

Martinus Arnd, in Vogtshoff illuſtriſſimi Epiſcopi prædio juxta Seeburgum ſito curatorem agebat, cujus uxor Gertrudis inſperato juxta ac periculoſo plurium dierum morbo excruciata, nullo alio, niſi voti Lindam facti remedio convaluit. At verò Albertus Kurowsky Biſchdorffenſis equariæ præfectus, tredecim hebdomadas atroci morbo oppreſſus, non immemor beneficii jam aliàs à Diva Lindenſi obtenti, æquè facilè potuit ſalutem ab ea ſperare, & obtinere (quemadmodum etjam obtinuit) atque alias cùm quindecim amiſſa ejusdem equariæ capita, per ignotas errabundus ſilvas quæritans, voto Lindam facto, & pecus, & viam, quâ domum reverteretur, facilè Deiparæ ope invenit.

## III.

### Aliquot Meelſaccenſes gratiam & beneficia experti.

Eâdem die, inter peregrinos complures, diverſis ex locis confluentes, acturi pro beneficiis gratias Meelſacco, vel ex adjectis illi pagis adfuerunt non pauci. Gregorius Falck gravi lateris ſiniſtri dolore; Sabina Michaëlis Kenſing uxor, ſacro igne faciē per dies plures depaſcente; Eliſabeth Gaſparis Hintz itidem conjux, dolore oculos per ſexennium graviter affligente; ſimiliter Gregorii Falck uxor Gertrudis lentâ trium annorum tabe, quâ conficiebatur, levati

ſunt, ubi votis Lindam nuncupatis, Deiparæ opem implorârunt. At verò Barbara Michaëlis Lilienthal uxor, & Joannes Eichholtz è Libenau coloni, tam atroci capitis erant cruciatu vexati, ut hic quidem etjam mente moveretur, illa verò per hebdomadas octo, quietem nullam capere poſſet; uterque repente convaluit, ubi votum ſoſpitatis causâ Lindam fecit. Deniq; & Matthæus Greil è Strawendorff ad Parochiã Plaſtuicenſem pertinente villâ, luxati pedis dextri, ut & filioli Petri, jam accensâ candelâ agonizantis, præſenti admodum periculo remedium Lindâ invenit.

## IV.

### Heilsbergenſium quorundam preces & vota exaudita.

Joannes Fleiſcher Heilsbergenſis civis, viceſimi jam anni peregrinatione apud Lindam Marianam defunctus hâc die eſt: totidem enim jam annis è Germania (ubi omnes fere belli tam diuturni, quo Imperium Rom. conflagravit, exſorbuerat tempeſtates) in patriam redux tranquillè agit. Igitur cùm inter tot ac tantos belli illius fluctus non modò verſaretur, ſed & ſæpe iisdem hauriri obruique videretur, ad B. Virginem Lindenſem, quaſi ad Pharum cæleſtem continuò reſpexit; factoque, quoad viveret, annuæ peregrinationis voto, omnes belli hoſtiumque minas feliciter evaſit. Tanto igitur alacrius in hoc ſacro ſtudio, tot jam annos decurrit, quantò & plura, & periculoſiora olim erant belli ſtadia, quæ ille, quemadmodum temporum neceſſitate adactus, ita Deiparæ

paræ Lindenſis ope, ſoſpes & propemodum intactus decurrebat. Minore tempore ſed non minore fortaſſe vitæ periculo Martinus Grunenberg è Naprarten agri Heilsbergenſis pago, per hebdomadas quinque cum febre, & Anna Georgii Ketz ex eodem pago coloni uxor, cum pedis cruciatu, eorundemque filius annos quindecim natus, cum cordis palpitatione, ſunt conflictati; uti neque minore Deiparæ præſidio omnes è periculo erepti. Quod in ejusdem quoque municipii pago Kleiditten dicto, experta eſt Urſula Petri Engelke coloni uxor; quæ tum enormi ulcere collum obſidente, tum ſterilitate, quam per quinquennium in conjugio tolerârat, liberata eſt; non alio ſanè, quàm quod reliqui adhibuerant, voti Lindenſis præſidio.

## V.

### Gutſtadienſium quoque nonnullorum audita vota.

Anna virgo Gutſtadienſis Gulielmi Kis, filia; adhæc Joannes Rung & Urbanus Kraus è Nusberg, at verò Sabina virgo è Wolffsdorff Gutſtadienſis municipii pagis, eâdem hâc die ſua in acceptis beneficia Deiparæ Lindenſi detulerunt. Ac Sabina quidem novem hebdomadum febri, Anna verò deliquiis ex ingenti dolore capitis etjam in Templo ingruentibus, Urbanus item dolore per quàm atrociter tum in ſpina dorſi, tum in altero pedum ſæviente, denique & Joannes immani dextri pedis apoſtemate, quod ne quidem ſtrato levare pedem ſinebat, relevati ſunt.

## VI.

### Tres alii incertis ex locis, ſimilia experti beneficia.

Per anguſtias temporis negotiorumque multitudinem evenit, ut loca è quibus peregrini ſequentes Lindam appulerant, conſignata non ſint, conſignatis eorum tum nominibus, tum morborum calamitatumque generibus. Petrus Borkowsky opificio piſtor, febri, quam alibi contraxerat, apud matrem diutius æſtuabat, ut læſo inde cerebro, ſupra febrilem æſtum, quodam quaſi œſtro videretur percelli; tres enim hebdomadas à ſenſibus prorſum alienatus delibârat. Verùm ubi ſe ſub Tiliæ Marianæ umbram per votum conjecit, & mentis & febris æſtus abſceſſit. Eodem tempore Joannes Gland, cum ſua conjuge adfuerunt, ut ſacrâ ejusdem Tiliæ umbrâ quaſi coràm refocillarentur, qui vel abſentes præſentiſſimum illius ſenſerant auxilium. Ille enim perquam noxio oculorum dolore, iſta verò totius corporis, quam per quinque hebdomadas ſuſtinuerat, ægritudine ſunt levati.

## VII.

### Matrona nobilis ignoto morbo exempta.

Magdalena è Zagorniorum genere, nobilis ac generoſi Georgii Nitſch Allenſteinenſis Burggrabii, & in Nickelsdorff Hereditarii conjux, diuturno exagitata morbo, quatuor hebdomadas lecto affixa tenebatur. Cæterùm, quæ nonniſi aliorum manibus atque operâ commoveri loco poterat, ſponte deinceps inco-

incolumis ſurrexit, ubi Deipara Lindenſis, per ſingulare peregrinationis votum implorata, manum auxiliatricem admovit.

## VIII.

## Maleficia, eryſipelas, & inſania Traumburgenſibus quibusdam depulſa.

Quatuor unius ejusdemque apud Traumburgum domus mortales, non uno morbi calamitatisvé genere afflictas, una apud Lindam Marianam invocata Dei Mater, omnibus exemit malis. Anna Petri Schroter civis Traumburgenſis filia, unà cum Michaële Maran uterino fratre, ad v. Idus Jun. Lindæ præſentes, rem, uti evenerat, percenſuerunt. Ante novem annos, operâ cujusdam maleficæ (quæ etjam in quæſtionibus crimen ultro confeſſa deinceps eſt) Anna eò demum redacta erat, ut omnibus quidem excruciaretur membris, manuum verò, & maximè pedum, uſum haberet omnino nullum. Primum annum propè integrum ſtrato & alio quovis loco, nonniſi aliorum manibus, dimoveri potuit; tribus verò deinceps conſequentibus annis, ad parietes & ſcamna utcunque connixa reptabat. Variis nequidquam remediis adhibitis, ultimum, quod à B. V. Lindenſi petitum eſt, profuit. Poſtquam enim, adjecto cereo anathemate, peregrinationis Lindenſis votum fecit, omnis mali vis ilico remiſit. Unde ante tres annos iter Lindam ingreſſa, vix aliquid doloris perſenſit; regreſſa verò domum ita omnino convaluit, ut ab eo tempore, variis laboribus, quos etjam incolumis pertulit, operam addicere ſuam potuerit. Porrò hoc ite-

iterum anno remenſa idem eſt iter, cùm ut pro accepto tanto beneficio gratias referret, tum etjam ut ſuſceptum matris causa votum perſolveret. Cùm enim mater jam annoſa, eryſipelate, uſque ad periculoſam, quin & lethalem exulcerationem (quæ ex ardore mali in atrum colorem degeneràrat) pedem dextrum afflicta, nihil in humanis ſperare amplius præſidii poſſet, filiæ, quæ tum in ſe, tum in patre ſuo veneficiis iiſdem perſtricto, opem Deiparæ experta jam fuerat, conſilio impulſa, peregrinationem quidem Lindam vovit; ſed cùm per decrepitam jam ætatem ſuſcipere eam ipſa non poſſet, ut filia ſuſciperet, rogavit: annuit filia, proinde & Deipara utriusque votis haud gravatè quoque annuit; nam pes matris, qui nonniſi ferrum & ſectionem exſpectabat, ſanitati reſtitutus eſt. Jam verò Michaël frater, ſive alia, ſive eadem maleficiorum vi, ad trium fere menſium inſaniam, ante triennium adactus, ſimul ac votum Lindam fecit, menti & viribus reſtitutus, jam tum votum peregrinationis abſolvit; quam tamen, ut beneficii memor, etjam hoc anno iterum inſtauravit, ad V. Id. Junias.

## IX.

### Brunsbergenſibus quibusdam collata beneficia.

Eadem die, inter plures Brunsberga peregrinos, quaterni, qui ſingularia Deiparæ Lindenſis experti beneficia, ſunt cenſi. Petrus Klein è pago Zager oriundus, eryſipelate dextrum pedem ante triennium depaſcente, & omnem chirurgorum operam eluden-

dentre, nonniſi manibus reptando, movere ſe, per octo hebdomadas, utcunque loco potuit. Ita manus inter, vanamque eatenus chirurgi curationem poſitus, ad B. V. Lindenſem propius ſe, per votum illi factum, convertit, & exinde incurabilis morbi peſtem ab ſe avertit. Accurriſſet ille è veſtigio ad ſuam ſoſpitatricem, verùm obſequiis atque imperiis, quibus obnoxius erat, aliorum impeditus, nunc tandem propè ſe per vim omnibus exuit pedicis; & quibus viribus à voto ſemper fuit, iisdem viam ſedecim leucarum incolumis & lætus decurrit. Jam verò Petrus Inſterberg ſuburbii, Keslin vulgò dicti, inquilinus, jam ante annum gravi morbo per hebdomadas tres omnino depoſitus, ut per duas noctes cereus tanquam migraturo ſemper in promptu eſſet, ubi mortis periculum ita propinquam advertit, propius ſe ad *Lignum vitæ*, quod apud Lindam Deus in Deipara collocavit, per votum peregrinationis admovit. Et vix ediderat votum, cùm voti compos ſanitati priſtinæ eſt redditus. Quod porrò ſecius aliquanto promiſſam executus ſit peregrinationem, à Gertrude privignâ ipſius, remora fuit. Hæc enim octavum circiter ætatis annum, jam ante quinquennium agens, utrumque pedem clauda ſubitò effecta, & per hebdomadas aliquot nonniſi parentum manibus geſtata, matris ſuæ Annæ voto beatæ V. Lindenſi oblata, ſtatim convaluit; jamque tum, quantum per vires ſibi à Deipara reſtitutas licebat, peregrinationem pedes ingreſſa fuiſſet, niſi ætas tenerior, aut potius timor parentum, poſuiſſet

obſtaculum. Et quia nunc quoque, cùm maximè & poſſet & vellet, ab heræ ſuæ obſequiis avelli tantiſper non potuit, peregrinationem ſuam differre in aliud tempus, & per vitricum duntaxat ſuum, gratias interea ſoſpitatrici ſuæ agere neceſſe habuit. Felicior ea in parte Anna Valentini Jonik filia, quæ ſicut voto Lindam nuncupato à ſævo capitis dolore, qui ſex circiter hebdomadas tenuit, liberata rea voti facta eſt, ita peregrinatione hodie abſolutâ, omni votorum nexu expedita eſt.

## X.

### Comitialis morbi vis plurimùm mitigata.

Petrus Glockner, ex Baſien Vormditenſis agri pago, hâc eâdem die v. Id. Jun. filiam ſuam Barbaram, undecimum ætatis annum necdum egreſſam virginem, Virgini Deiparæ voti ream exhibuit. Correpta illa erat ab ipſa infantia comitiali morbo; qui quemadmodum per metum gravem infanti à cato incuſſus fuerat, ita pariter per votum ad loca ſacra erat depulſus. Eo tamen ante triennium vehementius recrudeſcente, pater B. Virgini Lindenſi votum nuncupavit, & pedes ultro citroque peregrinationem, filiæ admodum proficuam, proſperè abſolvit. Ab eo enim tempore, filia, nonniſi plurimùm remittente vi morbi, tentata fuit; à quo, ut penitus liberaretur pater illam ſibi modò peregrinationis comitem eſſe voluit & ſperat uterque medicam Deiparæ manum, ut, quæ germina mali revulſerit, ipſum à ſtirpe malum revellat.

CAPUT

# CAPUT XII.

## Poſteriores Iduum Junii dies.

PRæcipua hiſce diebus ſacra erant *Matralia*, in honorem Matris Matutæ inſtituta; à quibus ſervæ arcebantur, unâ earum duntaxat admiſsâ, quæ tamen matronarum reliquarum colaphis obnoxia ſtrenuè vapulabat. Ingenuas, & à peccati ſervitute ſordibusque immunes Linda Mariana requirit mentes, quod alio loco (*a*) vidimus. Neque minùs vapulant, ſi quæ ſervili conditione adhuc preſſæ eò ſe conferunt. Quid ni ſerviles oderit Deipara animos, quæ etjam corpora morbis, qui peccatorum, vetuſtæque Diaboli ſervitutis vincula ſunt, ita amat relaxâſſe?

## I.

### Laterum dolores diſcuſſi.

Ad IV. Idus Junias Anna Thomæ Baumgart civis Traumburgenſis filia, plurium quà ſuorum civium, quà etjam Brunsbergenſium agmen comitata, ut gratias Deiparæ ageret, Lindam venit. Superiore æſtate ſæviſſimis laterum cruciatibus extremè afflicta, variaque aliunde remedia in caſſum experta, optimum omnium apud Deiparam Lindenſem quæſivit, & actutum invenit. Quâ causâ, quàm prolixum eſt Traumburgo iter, pedes univerſum decurrit.



(a) *lib. 1. cap.*

## II.

### Comitialis morbus & angina curata.

Gutſtadio adfuit eâdem die Gertrudis Chriſtophori Knob inquilini uxor, quæ ante viginti quinque annos morbo comitiali, per quadriennium exagitata, voto tum ad alia quædam ſacra loca, tum potiſſimùm Lindam facto, ita eſt perſanata, ut nullum mali veſtigium ad hoc uſque tempus ſentiat. Cùm verò ſuperiore anno ſive ulcere, ſive potius anginâ fauces obſidente, per hebdomadas duas, neque cibi neque potionis admittere quidquam, atque adeò ne vivere quidem ampliùs videretur poſſe; non alio, quàm unde priori malo experta fuerat remedium, ſibi iterato cenſuit recurrendum: neque minus promptum, quàm ante, invenit præſidium.

## III.

### Hydrops & inſania diſcuſſa.

Heilsbergâ eodem die Simon Metzker opificio pellio accurrit, ut votum, quod ejus nomine amici nuncupârant, ipſemet voti feliciſſimè reus, dependeret. Ante biennium ſævus capitis dolor hominem uſque ad delirium adduxerat; cùm tantis malis aliud minus acceſſit, omnium videlicet membrorum cruciatus, in tumorem uſque hydropicum diffuſus. Quinque ſupra viginti hebdomadas, ſuccumbendo morbis, lecto affixus hæſit. Tantam & tam diuturnam hominis calamitatem miſerati amici, votum ejus nomine Lindam nuncupant; ille verò, auxiliarem ſubitò expertus Deiparæ manum, quò ſibi magis erat

red-

redditus, eò alacrius, quod ſuo nomine amici ſpoponderant, hâc die exolvit.

## I V.

### Brunsbergenſium plures varia experti beneficia.

Eâdem quoque die Brunsbergâ in aliorum comitatu venit, Catharina Seeburgi quidem patre Adamo Pick nata, ſed Brunsbergæ obſequiis heræ addicta. Per annos duos per quàm diro cruciatu laborârat dentium, nullum uſpiam experta tanti mali remedium, niſi apud Deiparam Lindenſem, cui ſe voto peregrinationis, quam hodie abſolvit, ſecundiſſimo eventu obligârat. At verò Catharina Georgii Spis uxor, duodecim ante annos in partu conſtituta, neque ulla vel obſtetricum vel aliarum mulierum ope, per continuos octo dies ope adjuta, ſimul ac vir, ipſius, ſuoque nomine votum Lindam edidit, repentè adjuta, & tum fœtu, tum præſente mortis periculo ſoluta eſt. Quâ causâ tum ipſa, tum maritus, tum filia (quam illo tempore enixa fuerat) Anna, gratias Deiparæ acturi, pedibus Lindam, atque inde domum iter emenſi ſunt. Brunsbergâ quoque advenit, quanquam Meelſacci natus, Simon Kuhn opificio Sutor; qui cùm ibidem arti ſuæ operam navaret, exactis ante biennium ſacri Paſchatis feriis, repentino juxta ac diro capitis dolore, ſenſibus ac mente dimotus, ad extremos uſque Julii dies in eadem amentia, agros, villas, & oppida pervagatus miſerrimè eſt. Varia aliorum magis, quàm ſuo conſilio remedia expertus, ſed nonniſi implorata Deiparæ Lindenſis ope adju-

adjutus eſt. Exinde enim mens & ſenſus homini rediit, non tamen continuò omnes corporis vires: ob quas cùm viam è veſtigio inire tum non poſſet, & conſequente deinceps tempore variè impeditus eſſet, nunc tandem promiſſam ante peregrinationem ſanus & incolumis, quin & pedes Brunsbergâ abſolvit.

## V.

### Febris tertiana & lethargus diſcuſſus.

Brunsbergâ itidem, ſed nonniſi poſtridie, ad III. videlicet Iduum adfuit Catharina, Andreæ Tolcksdorff defuncti pellionis uxor; quæ ante biennium tertianâ, à S. Michaëlis feſto, uſque ad Pentecoſten afflicta, voto Lindam facto reſtituta ſanitati erat. Cùm autem hoc iterum anno, in pertinacem deſinente lethargum correpta fuiſſet morbo, ſpemque vitæ omnium opinione amiſiſſet (octo enim minimùm dies veterno ſepulta, cibi potionisque expers jacuit, virque illius, qui unà decumbebat, eodem morbo deceſſit) ſimul atque nonnihil ad ſe rediit, iterum Lindam ad ſuam ſoſpitatricem recurrit, iterumque omni excuſſo morbo, ſupra alia taciti animi vota, ceraque efficta anathemata, argenteam tabellam, in qua beatæ Virginis effigies cernitur, memoris gratique animi ergo hodie dedicavit.

## VI.

### Crus fractum reſtitutum.

Brunsbergâ itidem, atque eâdem quoque die venit Dorothea Valentini Oberlender Sartoris & civis

uxor:

uxor: quæ priùs, quàm nupſiſſet, ante ſedecim circiter annos, è ſuperiore horrei contignatione inſperatò prolapſa, crus ſiniſtrum eo caſu fregerat. Fractis unà viribus, animus ad B V. Lindenſem infractus, peregrinationem, ſi crus revaluiſſet, vovit. Paulò pòſt convaluit: ſed ſuccedentibus interim matrimonii oneribus, differre peregrinationem ad hanc uſque diem neceſſe habuit.

## VII.

### Alii quoque Brunsbergenſes beneficiis affecti.

Pridie Idus Junias Gregorius Kuhn Brunsbergenſis inquilinus, morbo ſibi quidem ignoto, admodum tamen pertinace ac periculoſo, ante quatuor annos propemodum depoſitus (jam enim quatuor minimùm hebdomadas ſpem inter metumque vita pendebat) tandem voto tum facto perfunctus poſtliminio eſt. Jam enim recuperatâ ſanitate peregrinationem ſuam expedierat, ſed non ignarus beneficii & gratitudinis debitæ, aliam hoc anno profectionem inſtituit. Quo quidem etjam tempore Oſanna Gregorii ejusdem conjux, virum pedes, uti promiſerat, comitata eſt. Seſquiannum circiter, febri continuâ, dies ac noctes extremè afflicta, quin & extra ſenſum mentemque tandem poſita, cùm ad ſe, utcunque rediſſet, ſenſit non aliunde ſibi quàm à B. V. Lindenſi exſpectandam ſalutem. Et ſanè ubi facto peregrinationis voto ad eam confugit, paratam, uti ſperârat, invenit.

VIII. Duo

## VIII.

### Duo à præſente mortis periculo erepti.

Eâdem die, Anna Dominici Wedig è Seiberts-wald Seeburgenſis coloniæ pago filia, & Benedictus Wittich ex Meelſaccenſi pago Engelswald, ſuâ defuncti ſunt peregrinatione. Atque hic quidem pro Martino filiolo ſuo cereum anathema poſuit, eò quod ille ante hebdomadas duas morbo repentè correptus, biduum mortuo propior fuerit; revixerat autem & incolumis etjamnum vivit, poſtquam à parentibus ſingulari voto Deiparæ Lindenſi commendatus eſt. Jam verò illa proximo vere febri aliiſque unà ingruentibus morbis, ad ſummum vitæ periculum adducta, ſubitò reſtituta ſibi eſt, ubi peregrinationem Lindenſem, ſi reſtitueretur, voto firmavit.

## IX.

### Vormditenſium complures ſingularia experti beneficia.

Chriſtophorus Peter civis Vormditenſis, unà cum conjuge Eliſabetha cæteriſque liberis, Martinum filium, annorum octodecim juvenem, voti reum Deiparæ ſtiterunt. Erat ille paralyſi totum latus dextrum perſtrictus, ut neque linguam, neque manus aut pedes commovere per hebdomadas complures poſſet. Ex eo verò tempore, quo illum parens Divæ Lindenſi commendavit, morbus ita ſenſim remiſit, ut Martinus Reſſelium quidem uſque curru vectus, Reſſelio verò pedes Lindenſe iter, jam tum confe-

cerit. Quâ causâ iterum hoc anno unà cum aliis liberis ſuis gratias DEO ac Deiparæ acturi, in accepti beneficii memoriam, Tabellam argenteam effigie B. Virginis inſignem obtulerunt.

Jam verò alter Martinus Peter itidem Vormditenſis, periculoſo juxta ac verecundo in morbo chirurgi operam expertus, plus ſpei curationisque in Deiparæ ope collocavit, & ſanitati reſtitutus promiſit, quoad viveret, quovis anno pedes, aut, ſi id non poſſet, Lindenſem peregrinationem curru frequentare. Idipſum promiſit, & à triennio jam frequentat Petrus Mollerus itidem Vormditenſis; qui præter alios membrorum omnium cruciatus, diro capitis dolore plures hebdomadas vexatus, & aliorum voto Lindam pro ſe nuncupato curatus fuerat. Perpetuam itidem peregrinationem vovit Fabianus Moller indidem inquilinus, qui ante annum letali prorſum morbo proſtratus, vix reſpirare, aut quidquam cibi ſumere per hebdomadas tres potuit, & voto per Annam uxorem Lindam facto, repentè ſibi reſtitutus eſt. Denique & Petrus Hein indidem civis, variis in itineribus ac peregrinationibus, variis ſæpe tentatus morbis, potiſſimùm verò febri & ingenti capitis dolore, ſæpius per concepta ad B. V. Lindenſem vota confugit, & ſemper tutum invenit receptum. Unde commodiorem hoc anno peregrinandi occaſionem nactus, cum aliis fere undeviginti viæ comitibus pedes totum iter emenſus eſt, ut tanto intimius DEO & Deiparæ ardentiusque gratias ageret.

CAPUT

# CAPUT XIII.

Ipſæ Junii Idus.

CElebres erant Romanis tum dedicatâ Jovi invicto Æde, de qua Ovidius in Faſtis:

*Idibus invicto ſunt data templa Iovi;*

tum minuſculis quinquatribus. *Quinquatrus autem minuſculæ*, inquit Varro (a) *dictæ ſunt Iuniæ Eidus, ab ſimilitudine maiorum, quòd Tibicines tum feriati per urbem vagantur, & conveniunt ad Ædem Minervæ.* Sicut autem Linda Mariana non Minervæ, ſed veræ verbi divini æternæque ſapientiæ Matris Ædes eſt, ita ad eam hisce Idibus non tam profani, &, quemadmodum Livius memorat, ſomno vinoque apud Tiburtinos ſepulti Tibicines, quàm veri ac religioſi ſapientiæ æternæ ejusdemque Genitricis præcones confluunt.

## I.

Lubavienſes duo fratres calculo liberati.

Si non primi, certè inter primos, uti diximus, Iduum harum præcones adfuerunt Lubaviâ, Matthias Gierlewsky Prætor civitatis, ejusdemque germanus frater Georgius. Uno eodemque morbo, etſi non eodem tempore, uterque laboravit. Ac Matthias quidem præ immanibus calculi cruciatibus, per undecim dies ac noctes ſibi præſens non fuit; neque aliud interea quam mortem in ore votisque habuit. Mater filium ægrum miſerata, Matri illum miſericordiæ ſupplex devovit, continuoque vis morbi remiſit.

Qua

(a) *lib. 5. de ling. lat.*

Qua ille de causa, tribus aliis è Magistratu Lubaviensi sibi adjunctis, ut gratus esset, Lindam accessit. Jam verò Georgius quatuor proximis à Pentecoste hujus anni diebus non minores ejusdem calculi expertus cruciatus, non aliò se præsidii causâ, quàm quò frater, convertit; & quidem eo majore fiduciâ atque alacritate id egit, quòd, cùm paulò antè Resselii literis operam daret, quæ sit B. V. Lindensis in afflictos omnes benignitas, multis aliorum exemplis, propè quotidie expertus jam tum fuisset.

## II.

## Gutstadienses duo conjuges variis morbis exempti.

Georgius Rudiger ante viginti jam annos, supra laterum, colicosque totis visceribus dolores, immani totius corporis tumore suffusus, integrum propemodum annum decumbere, & aliorum operâ moveri loco necesse habuit. Quia verò se Deiparæ Lindensi devovit, subitò auxilium & omnem morbi curationem assecutus est. Ecce autem octavo postmodum anno, cùm ipse, tum uxor ipsius Potentiana oculorum suffusionibus doloribusque immodicis ita afflicti sunt, ut rarò aperire oculos aut luminis quidquam perferre possent. Non alio, quàm ad Divam Lindensem refugium suum Georgius iterum habuit, & precium ejus refugii, integrum ad hanc diem oculorum usum tulit.



Digitized by

## III.

## Biſteinenſes virgines duæ diverſis morbis liberatæ.

Eâdem die Catharina Joannis Reiter, & Margareta Simonis Gerik Biſteinenſium civium filiæ, variam Dei Matris opem expertæ, apud Lindam gratias eidem egêre. Ac Margareta quidem biennium integrum vehementibus capitis doloribus exercita, atque à biennio jam ope Lindenſis Virginis iiſdem libera, annuam, quoad ſuperſtes fuerit, peregrinationem frequentabit. Jam verò Catharina à quindecim fere annis ſacro igne, quoad caput impeti ſolita, Divæ Lindenſis ope, quam ſemper implorat, levari ſe ſemper experitur; unde quovis itidem anno pariter gratias actura, pariter ampliora Deiparæ beneficia flagitatura, Lindam pedes inviſit.

## IV.

## Seeburgenſium nonnulli varia beneficia conſecuti.

Joannes Kruger è Bergerdorff Seeburgenſi pago, ab annis quatuordecim, quaſi diris quibusdam agitatus, ad ſuiipſius cædem identidem inſtigabatur: at ubi ſe ad B. V. Lindenſem recepit, ſaniorem extemplo mentem recepit. Unde quotannis Lindam recurrit, quia levamen mali quadantenus recurrentis ſemper invenit. Non minus levamen cruciatuum, quos à teneris varios patitur, Dorothea Georgii Borowsky è Sibertswald coloni filia, annorum novemdecim

tim virgo, experta eſt, & ſemper, quoties annuam Lindæ peregrinationem abſolvit, ſolita eſt experiri. Ex eodem pago Dorothea alia Pauli Klein defuncti coloni vidua (quòd maritum ante duodecim annos morbo ita depoſitum, ut neque linguâ, neque manibus per dies novem uti poſſet, B. Virginis ope incolumem receperit) cum tribus liberis Deipatæ gratias actura venit: quarta enim filia Eliſabeth octo abhinc dies eandem peregrinationem abſolvit; & inter ſua vota pictam Crucifixi imaginem obtulit.

## V.

### Heilsbergenſium plures ſimilibus affecti gratiis.

Benedictus Skodke è Langwele Helisbergenſi pago, ſimul cum uxore ſua Sabina, geminum Deiparæ munus ex voto attulit, alterum quidem pro pecoris, alterum verò pro impetrata uxoris ſalute. Hæc enim ſupra menſes omnino ſex, morbo totum corpus, anno ſuperiore affecta, & ſtrato affixa, ut ſuis inde manibus non poſſet moveri, adeoque ſuâ & omnium opinione, amiſsâ vitæ ſpe, extremæ unctionis ſacramento, tanquam è vita jam jam migratura, eſſet munita, ad Matrem miſericordiæ per votum Lindenſe converſa, ab ipſa, ut ait, mortis porta reverſa fuit. Ex eodem pago Catharina Stephani Grunert uxor, maleficio, ut putatur, juxta puteum perſtricta, nonniſi manibus ac pedibus, ſex circiter hebdomadas reptabat; quæ tamen, ſimul ac religioſarum in Conventu Heilsbergenſi

virginum conſilio atque voto, Lindam, & ad alia quædam loca ſacra fuit oblata, ſanitatem mox recepit. Earundem virginum conſilio uſus Chriſtophorus Pobos ex eodem pago colonus, ſibi domuique ſuæ quàm plurimùm proſpexit. Ingentem ante ſeptem annos pecoris ſui fecerat jacturam, ſive id Dei ſupplicio, ſive maleficorum, ut putabatur, ope â eveniſſet. Poſtquam Deiparæ opem imploravit, & Lindam, quoad ſuperſtes eſſet, annuam vovit profectionem, tum reſiduum pecus, tum, quod deinceps ſibi comparavit, ſalvum ad hunc diem habet: Unde tum ipſe, tum illius conjux, ab eo jam tempore, promiſſam quotannis obeunt peregrinationem. Ex eodem quoque pago Petrus Ferder juvenis eò fuerat, præ nimio oculorum dolore deductus, ut per hebdomadas quinque intueri cæli lumen vix poſſet: at ubi matris ſuæ voto, ad veri luminis Matrem eſt remiſſus, etjam lumen corporis recepit. Laurentius quoque Block ejusdem pagi inquilinus, manus & pedes à triennio ita affectus, ut eorum operâ ægrè admodum uti poſſet, ſimul ac apud ſe decrevit, nunquam ſe, quoad valeret, annuam ad B V. Lindenſem omiſſurum peregrinationem, ita ſibi viribusque redditus eſt ſuis, ut ſeptem circiter leucarum iter jam à biennio, pedes conficere facilè potuerit. Non ejusdem pagi, ejusdem tamen municipii Heilsbergenſis jure, & ſimul ejusdem Deiparæ Lindenſis beneficentiâ, Jacobi Belau Krekollenſis coloni conjux uſa, Andream infantem ſuum incolumem poſſidet. Octo dies ille mortuo propior decumbebat, quia enormi ulcere collum & caput obſidente, neque ſugere neque

que aperire os potuit. Ceſſit autem ilico malum omne, ubi auxilium B. Virginis, quod voto facto imploratum fuerat, acceſſit. Adjunxit mater, ſuâ quoque causâ, cereum anathema, eò quòd per annos tres continuè dentium cruciatu afflicta, Deiparæ ejusdem opem impetrârit. Unde annuam peregrinationem, quam à triennio eſt orſa, quoad vixerit, producit, præſertim cùm geminâ prole jam mortuâ, tertiam hanc, ut ſperat, Deiparæ beneficio habitura ſit incolumem.

## VI.

### Meelſaccenſium itidem plures, beneficiis cumulati.

Michaël Grawſtein, è Bornitten pago colonus, unà cum conjuge Anna voti ſui penſum reddiderunt, quod filiolæ ſuæ Annæ causâ ante triennium ediderant. Unum illa ætatis annum vix ſupergreſſa erat, cùm illam maligna febris conſecuta quindecim hebdomadas continuas tenuit, ut omnis jam ſpes vitæ decollârit. Voto tamen illo edito, & ſpes, & ſimul vita, quæ ad hanc diem firma eſt, extemplo rediit. Gertrudis è villa Plaſtwig Simonis Raad uxor, comitante filiâ utrâque, Anna videlicet atque Eliſabetha, ſua Deo ac Deiparæ vota reddiderunt. Mater enim præter omnium exſpectationem ſubitò mente mota, nihil niſi de ſui cæde animo agitabat; ſimul verò tum filiæ Annæ, tum ſuo quoque voto profectionem Lindenſem promiſit, & menti & viribus reſtituta eſt, ut mulier ſeptuagenaria jam anus, quatuor-

amicorum Lindam oblatus, eâdem horâ ſibi integrè reſtitutus iter illud cum Lindenſi commutavit. Non diſpar propè fortuna Helenæ fuit, quæ, quemadmodum ſupra duos annos lentâ conficiebatur tabe, ita non aliâ quàm B. V. Lindenſis ope, ſibi reſtituta tredecim circiter leucarum iter pedes confecit. Denique & Andreæ Knobloch, obſequiis cujusdam coloni in Libenau addicti, ſed ex Stangendorff Brunsbergenſi pago oriundi, ſimilis videtur fuiſſe conditio. Utriusque oculi uſum vi morbi propemodum amiſerat, & ope B. Virginis Lindenſis, ad quam per votum ſe receperat, alterius oculi recepit uſum. Cùm porrò eodem iterum morbo tentaretur, iterum ad eandem patronam recurrit, iterumq́ue opem expertus eſt. Quam quidem opem, ut in altera quoque vita experiretur anima, Chriſtophori Grunwald è Scharpffenſtein coloni filii ante trienniū Brunsbergæ, ubi Philoſophiæ operam dabat, nocturnâ cæde è vita ſublati, parens Imaginem beatæ Virginis Annuntiatæ Lindam hodie transmiſit.

## CAPUT XIV.

### Priores aliquot Calendarum Quintilium dies.

PRoximo ſecundùm Idus Junias biduo, viſi ſunt non pauci Lindæ peregrini, præſertim è Meelſaccenſi villâ Peterswald, ſed partim ob redeuntium, aut reditum maturantium præcipitantiam, partim ob alia intercurrentia iis, qui conſignare geſta debebant, negotia, nullum inſtitu-

inſtitutum acceptorum beneficiorum examen, tertia igitur poſt Idus dies initium capiti huic dabit.

I.

Sacer ignis in utroque reſtinctus pede, infans curata.

Philippi Siebenmarck Herbipolenſis, jam autem civis & Oenopolæ Regiomontani conjux Eliſabetha, utrumque pedem, ſed maximè dextrum, ſacro igne, per integrum fere annum, periculosè habebat affectum; ut per quadraginta hebdomadas ægerrimè ſe quoquam poſſet commovere. Adhibita ſunt, quæcunque tandem potuerunt, chirurgorum aliorumq; remedia; ſed propemodùm incaſſum omnia: optimum fuit malagma, quod à B.V. Lindenſi fuit admotum. Poſtquam enim ægra votum profectionis Lindenſis fecit, continuò vis mali remiſit; ut jam ab ipſo Aſſumptæ in cælum Deiparæ feſto, ſana atque incolumis perſtiterit; quemadmodum etiam incolumis, Anna matre, Danielis Schultz defuncti Conſulis Biſteinenſis ſorore, & Barbara conſobrina ſua comitantibus, Lindam XVI. Cal. Julias venit; ubi gratias, etiam filiolæ ſuæ infantis Marianæ nomine egit; quia & illam ab ipſo partu graviter ægram, cùm eadem B. V. obtuliſſet, ad hanc diem ſanam ac bene valentem recepit.

II.

Sacer itidem ignis extinctus, & manus ac pedum reſtitutus uſus.

Eâdem XVI. Calendarum ſextilium die, Stanislaus Lau-

Laudansky Wierzbolovienſis in Lituania inquilinus, unaque uxor illius Dorothea, confecto pedibus plus viginti leucarum itinere Lindam appulerunt, ut gratias Deiparæ pro recepta incolumitate, quàm poſſent, maximas agerent. Nam Dorothea, ante quatuor annos, ſacro igne faciem, pectus & genua ad atrum uſque corporis miſerrimè affecti colorem depoſcente, magis viri manibus deportata, quàm ſuis nixa pedibus, cùm ad Lindenſem perreptâſſet Ædem, poſtquam ſacroſancto eſt refecta Euchariſtiæ epulo, ſuis mox niti viribus, ac ſuis remetiri tantum iter pedibus illo tempore potuit: ſuperiore verò autumno, non minus periculoſo defixa morbo, cùm per ſex hebdomadas nulla ſupereſſet vitæ ſpes, conſilium mariti ſecuta, iterum Lindam, vel manibus pedibusq; reptando, peregrinationem vovit; & confeſtim, quaſi ex aquis, ut ipſa ait, emerſa, incolumis evaſit. Jam verò Stanislaus (quod quidem admodum R. D. Andreas Lewgowd Wierzbolovienſis Parochus publicis literis, manu ſuâ ſcriptis teſtatur) manum ſiniſtram propemodum mancus, pedis inſuper utriusque amiſerat uſum. Ubi verò ſe comitem uxori iturum vovit, manus quidem exinde ſingulare expertus eſt levamen, pedum verò uſum è veſtigio recepit, ut tantam itineris intercapedinem potuerit emetiri pedes.

III.

Mulier ex loco non catholico, filiam voti ream ſiſtit.

Haud procul Bartenſteino, civitate in Ducatu Pruſſiæ ſita, pagus eſt Machſmus nomine, ſub Prædican-

dicantum uti vicina loca, jugo conſtitutus. In eo Matthæi Raſtel uxor Anna, incertum an catholica, filiam, quam à teneris Deiparæ Lindenſi devoverat, jam ſeptendecim annos natam, voti ream adduxit. Parvula cùm eſſet noxio admodum morbo affecta, curari nullo alio, niſi voti Lindam editi remedio potuit. Potuiſſet quidem, ac fortaſſe etiam debuiſſet, diu ante Lindam deduci, ſed mater, quæ nonniſi jam adultam promiſerat ſiſtendam, neque ſibi neque filiæ moram iſtam noxæ putavit fore.

## IV.

### Biſteinenſium quibusdam ſanitas reſtituta.

Joannis Fiſcher civis Biſteinenſis uxor Dorothea, filiam ſuam infantem Eliſabetham, quantum potuit, gratam Deiparæ ſtitit; cujus vitam Deiparæ, in acceptis refert. Ægrotabat enim plures hebdomadas extra omnem vitæ ſpem: rediit nihilominus non ſpes modò verùm & incolumitas, & vita, ubi mater filiolæ cauſam apud Deiparam Lindenſem feliciter peroravit. Non diſpari felicitate ibidem cauſam tum filiæ tum ſuam egit Pudentiana, Gaſparis Haſſelberg indidem civis uxor. Nam & mater per ſex hebdomadas graviter ægra, & filiola Chriſtina per medium annum clauda, citra moram curatæ ſunt; ubi mater, & pedes Lindam ſe ituram, & circum Deiparæ Aram ter de geniculis adorando obituram ritè promiſit.

V. Gut-

## V.

### Gutſtadienſes matronæ duæ curatæ.

Vidua utraque erat, altera quidem Praxedis Georgii Schram ante octo annos defuncti; altera verò Margareta Chriſtophori Steffen ab undeviginti annis itidem defuncti. Atque illa quidem hyeme proximè elapsâ pedum, brachiorum & capitis graviſſimè affecta doloribus erat, ut dentes præ nimio cruciatu à gingivis ſoluti, ultra commoverentur. Supra medium annum vis mali duravit, & miſeram lecto plerumque affixam tenuit: quoad illa ad Templum utcunque perreptans, votum peregrinationis Lindenſis nuncupavit. Exinde enim vis morbi remiſit, ut iter novem leucarum ingredi & decurrere potuerit. At verò hæc, præ nimio capitis dolore, utriusque oculi jam ante decennium, perdiderat uſum, ita ut altero poſt chirurgi ſectionem penitus orbaretur oculo; altero verò vix tantillum cerneret; cujus tamen facilè uſum recepit, ubi votum peregrinationis Lindenſis ex animo concepit. Et jam tum, ſolâ filiolâ comitante Lindam profecta, quovis deinceps anno ſexagenaria fere anus, & quidem pedes proficiſcitur, etiam deinceps, ſi vires animi reſpondeant votis, profectura.

## VI.

### Plures, ac fere præcipui Brunsbergenſium, varia experti beneficia.

Præcipui inter Brunsbergenſes ſunt Georgius Eiſen-

Eiſenbletter, Petrus Lemke, Georgius Wichman & Petrus Mollerus, qui haſce Idus Junias apud Lindam præcipuè illuſtrârunt. Ac de prioribus, qui, gratitudinis ergo, ſuas reſumpſerunt hoc etiam anno peregrinationes, jam alio loco egimus. Georgius Wichman, Simonis Wichman Conſulis, cùm aliàs ſemper tum Suecici præcipuè belli tempeſtate antehac graſſante, à conſilio, prudentia, rerumque agendarum dexteritate ſpectatiſſimi viri filius, & ipſe jam ad magiſtratuum promotus ſubſellia, jam aliquot abhinc annis, gravem ex atræ bilis ſuffuſione, hypochondriacisque affectionibus, mærorem animi, ac propemodum ipſius vitæ faſtidia contraxerat; quæ ille nuſquam melius aut facilius, quàm ſub Lindæ Marianæ umbra, quò ſe identidem recipere ſolet, abſtergit. Cujus etiam monumentum eſſe voluit Tabellam argenteam, Anno MDCLIII. cum hac epigraphe circum Imaginem B. Virginis adjecta: *Ave Filia* DEI *Patris: Ave Mater* DEI *Filii; Ave Sponſa Spiritus Sancti: Ave Templum totius Trinitatis.* Jam verò à tergo: *D.O.M. Virgini* MARIÆ *immaculatæ, Georgius VVichman DD. conſecratque* 1653. Petrus verò Mollerus vir itidem conſularis, proximis ante Pentecoſten diebus, ex itineris, quod, in provecta ſatis ætate, equitando ſat longinquum confecerat, aſſidua cogitatione, morbum contraxit admodum periculoſum; quo & vires, in corpore alioqui ſat vegeto proſtratæ; & viſcera omnia concuſſa ac quodammodo confracta ſunt, ut per quatuordecim circiter dies nihil cibi potionisvé ſumeret, & ſanguinem in fruſta potius quàm in grumos concretum, per quinque omnino dies

dies ejectaret. Deſperata erat omnium opinione ſalus, niſi ſalutare ad B.V. Lindenſem votum interceſſiſſet. Exinde enim vires rediêre; ut, cùm Reſſelium uſque curru veniſſet, Reſſelio comitantibus patrem Dorothea ac Regina filiabus (quarum hæc intra paternas, illa verò intra ſacras conventualium virginum ædes Reſſelii degit) pedes Lindam uſque conficere haud gravatè potuerit. Atque hos non tam comitati, quàm properè eâdem die indidem ſunt Lindam uſque conſecuti Paulus Hanman viginti circiter annorum juvenis, & Jacobus Drews; quorum ille annuo capitis dolore, & ex eo ſcabie in faciem erumpente, iſte verò malignâ febri & delirio inde conſecuto, per imploratam Divæ Lindenſis opem, levati ſunt.

## VI.

## Traumburgenſium quibusdam ſingularia collata beneficia.

Joannes Rubach cum uxore ſua Anna, jam ab undeviginti annis peregrinationem Lindenſem quotannis frequentat, & conſervatorum liberorum causâ gratias agit. Sæviente enim peſte, quâ etiam tres iis liberi ſunt erepti, ſi reliqui ſervarentur ſuperſtites, quovis ſe anno Lindam peregrinaturos, voverunt: ſervati liberi ſunt, & parentes, quod voverunt, ſtrenuè exequuntur. Regina Joannis Hohendorff filia, & manum ſiniſtram, & pedem paralyſi jam ante novem annos tacta, durante per triennium malo, etiam linguæ uſum per aliquot dies amiſerat. Parentes filiam Deiparæ Lindenſi devovent, & curru Lindam deportant. In ipſo adhuc itinere reſtituta eſt Reginæ ſani-

ſanitas: quæ idcirco, iterum atque iterum pedes eam peregrinationem confecit; Eliſabethâ majore natu ſorore eam tantò alacriùs comitante, quò & ipſa votum, pro ſorore olim muta ardentiùs fecerat. Eodem in comitatu venerunt aliæ duæ è Traumburgenſibus matronæ Eliſabetha Valentini Gedik, & Catharina Michaëlis Laws civium uxores: quarum illa octo ante annos faciem, præſertim dextrâ parte, ſacro igne affecta, oculorum per decem hebdomadas uſum amiſerat; & eundem, pulſo per votum Lindam factum eryſipelate, unà receperat. Cùm autem iter ſeptendecim minimùm leucarum, pedibus ab ſe confici Lindam uſque poſſe diffideret, profectionem ad hanc diem eò diſtulit, rata ſe voto ſolutam, ſi viciniora quædam è ſacris locis adiiſſet. Verùm & conſcientiæ ſuæ, & aliorum judicio Lindam coacta, hoc anno ſe in viam pedes dedit, & totum iter ſana atque incolumis confecit. Jam verò Catharina totius corporis, ſed potiſſimùm capitis & faciei intumeſcentis cruciatibus, per annum integrum, jam ante quatuor annos vehementer afflicta, iter, quod Lindam feliciſſimo eventu voverat, curru jam ſuperiore anno abſolvit. Rata autem non ſatis ab ſe, ſive voto, quod nuncupârat, ſive gratitudini, quam B. Virgini deberet, reſponſum, pedes iterum hoc anno iter emenſa, tantò uberiores gratias Deiparæ egit, quantò ſanioribus exinde oculis lumen cæli intuetur.

VII. Vorm-

## VII.

### Vormditenſium nonnulli opem ſingularem experti.

Bartholomæus Stol è pago Olbersdorff, à biduano ſanguinis fluxu, & Hedwigis Bartholomæi Herdel ex eodem pago coloni uxor, oculorum caligine, quæ per hyemem offuſa erat ita, ut homines non ſatis dignoſceret, liberati ſunt: at verò Dorothea Bartholomæi Wolff civis Vormditenſis uxor periculoſo quodam morbo Sicuti eorundem filia Anna gravi aſthmate, quod per duas hebdomadas reſpirandi propè ademerat facultatem, non alio quàm B. Virginis præſidio curatæ ſunt. Omnes quocirca facta ab ſe Lindam vota, ut redderent, peregrini hodie advenerunt.

## VIII.

### Seeburgenſium nonnullis varia collata beneficia.

Andreas Blum & Gregorius Schroter, è pago Tolnik juvenes, hic quidem capitis dolore per annum dimidium regnante, ille verò apoſtemate labiûm ſuperius noxiè inſidente, per nuncupata Lindam vota ſoluti ſunt. Jam verò Eliſabetha Gregorii Schroter ex eodem pago, & Pudentiana Gaſparis Hartman, è pago Lokau, filiæ virgines, hæc gravi capitis, illa pedum dolore levatæ. Sed & Eliſabetha Marci Tignau in Melag coloni uxor diro laterum dolore, per hebdomadas ſex afflicta, ſimili cum aliis ad B. V. Lindenſem voto adjuta eſt.

IX. Reſ-

## IX.

### Reſſelienſium quidam paribus affecti beneficiis.

Petrus Bartſch è Torninen juvenis gravi duarum hebdomadum cruciatu è pedibus laborabat; per duas itidem hebdomadas, Anna Joannis Reimer è Glockſtein coloni uxor, totius corporis viribus morbo abſumptis nimium languebat; utrique & vires, & ſanitas, ſecundùm votum Deiparæ Lindenſi nuncupatum, rediit. Rediit itidem ſimili ex voto, tum Eliſabethæ è Sturmhubel virgini febri afflictæ, tum Jacobo Schlegel brachii dolore per dimidium annum vehementer diſcruciato.

## X.

### Variis in locis apud Varmiam gratiæ ſanitatum impenſæ.

E municipio Heilsbergenſi, Barbara in Schulenſi pago vidua, duodecim hebdomadum morbo admodum gravi; è Meelſaccenſi verò Anna, cujusdam in Liebenthal coloni itidem vidua, durante per triennium febri; è Wartemburgenſi denique civitate Walpurgis Joannis Sonn civis itidem vidua omnium artuū dolore, qui per dimidium tenuit annum, liberatæ ſunt: nullo quidem alio magis quàm Deiparæ Lindenſis præſidio; cui quemadmodum ſingularibus obſtrictæ erant votis, ita hodie eorundem nexu votorum ſolutæ.

## XI.

## Incertis ex locis gratiæ pro beneficiis actæ.

Certa hominum certorum beneficia ac nomina, uti quidem illa nonnemo in commentariolo, ſine adjecto ullius certi loci nomine, & ego neceſſe habeo prodere. Gregorius Reimer quinque annorum puer ex oculis tum ſanguine ſuffuſis, tum puſtulis undique obſitis graviter laborabat: at verò Margareta Martini Kraus filiola infans vix annum ætatis egreſſa, pedis dextri digitos habebat contractos: voto à parentibus utriusque Lindam nuncupato, ſanatus uterque eſt. Eundem in modum Gertrudis Virgo capitis ac pedis ſiniſtri dolore per biennium affecta, voto ab ſe nuncupato, ſanitati reſtituta eſt.

# CAPVT XV.

## Quatuor ante Calendas Julias intermedii dies.

SEx Calendarum Quintilium diebus proximo capite expeditis, huic initium dabit duodecima ante easdem Calendas dies; quæ apud veteres *Summano* erat ſacra juxta illud Ovidii in Faſtis:

*Reddita, quisquis is eſt, Summano templa feruntur,*
*Tunc, cùm Romanis, Pyrrhe, timendus eras.*

Porrò Summanus, quaſi ſummus Manium Orcus ſive Pluto appellatus, quem Romani inter illos, à Pyrrho incuſſos Vrbi timores, ſibi placandum videntur ſumpſiſſe. At quis apud Lindam Marianam,

aut ab hoſte metus, aut à Summano periculum; ubi magna Dei Mater, omnium & terrorum & periculorum depultrix, & quædam quaſi *Averrunca*? Experti id ſunt, & experiuntur in horas, cùm alii plures, tum qui numeroſum juxta, ac pium ſupplicantium agmen, pro anniverſario more, ob profligatam Deiparæ Lind. ope, hominum pecorumque luem, hodie inſtituerunt Glockſteinenſes, Schellenſes, atq; Schönbergenſes.

## I.

### Steriles & parturientes adjutæ.

Catharina Nicolai Koracz Brunsbergenſis fabri conjux, non unam, ob decem annorum ſterilitatem, ſibi exprobrantem nacta fuit æmulam Phennennam: proinde & illa conſilium exemplumq; Annæ ſecuta, & ad Deum atq; Deiparam Lindenſem, flexis genibus provoluta, *amaro* (ut ſcripturæ verbis utar (a) *animo oravit ad Dominum flens largiter. Et reſpexit afflictionem* hujus quoq; famulæ ſuæ Dominus: paucos poſt dies concepit, &, quemadmodum voverat, ceream tanti ponderis effigiem, quanti erat infans recens natus, Patronæ Lind. obtulit. Qui è vicinis tantum Deiparæ beneficium, cognoverunt nunciante famâ conjuges, exemplum Catharinæ imitati, non pauci ejusdem benignitatis ac benedictionis compotes facti ſunt. Longè inde diſtabat, neq; tamen eam Deiparæ Lind. pietatẽ ignorabat Chriſtophori Kœnigsmann Plauſenſis hortulani conjux Gertrudis; quæ alterâ à ſacro Paſchate hebdomadâ ad partum jam maturum diſpaſita, aut potius ad mortem fuit depoſita. Octo-



(a) 1 *Reg.* 1. 10.

nûm dierum continui erant, & quidem, ad S ſcripturæ mentem, *parturientis dolores*; biduum verò etiam vitæ ſpes non paucis erepta. Mater tamen, è conſilio aliorum ſpem concepit, & voto Dei Matri apud Lindam obligata, mox fœtu juxta ac mortis periculo ſoluta, hodie votum cum adjecto gratiarum fænore exolvit.

## II.

### Vir paralyſi, mulier delirio exempti.

Eodem die Matthæus Behm Seeburgo, & Margareta Jacobi Drews civis Brunsbergenſis, cujus ſuperiore capite meminimus, uxor Lindam appulerunt. Illè elapſo proximè Epiphaniæ Domini die in Sileſiam abiturus, non dolore modò verùm & paralyſi dextrum pedem invadentis retardatus eſt, ut eum, per triginta circiter leucas, non tam promoveret, quàm traheret violenter. Simul autem votum peregrinationis Lindenſis, ſi revaluiſſet, nuncupavit, ſanum pedem recepit, quo etiam Lindam ſanus acceſſit. At verò Margareta, defuncti ante viginti jam annos, patris per ſomnium admonitu excitata, varias pertulit interea cùm difficultates tum ægritudines; quibus etiam ad ſenſuum mentiſque ægritudinem eſt adacta. Neque tamen alio, quàm, quod idem parens, eodem tempore ſuggeſſit, conſilio uſa eſt: patrocinio videlicet Deiparæ Lindenſis, cui idcirco non ſemel duntaxat, ſed iterum atque iterum gratias pro beneficio actura ſupplex apud Lindam advolvitur.

## III.

## Equi à graſſante lue erepti, & quidem apud homines non catholicos.

Eâdem quoque die, ex oppido Trinckfurto, quinque circiter leucas in Ducatu Pruſſiæ Lindâ disjuncto, Catharina civis cum Martino Gelbhaar filio, nuncupatum Deiparæ Lindenſi votum exactâ peregrinatione ſolvit. Equis jam pleriſque lue ſublatis, ne reliqui porrò tollerentur, adeoqúe res familiaris propè omnis peſſum iret, duas ante hebdomadas votum Lindam nuncupavit, & reliquo pecori domuiqúe præſidium conſecuta eſt.

## IV.

## Vehemens ac varia maleficiorum vis repreſſa.

Die ante Calend. Iulias XI. Iacobus Lettau civis Gutſtadienſis, celebris totâ Varmiâ aurifex, votivam ex argento tabellam tres fere palmos longam, cum adjecto nummo aureo, materni avuunculi ſui nomine, eò quod is necdum ſe ipſe ſiſtere, ac munus offerre coram poſſet, lubens volensqúe obtulit. Eſt autem avunculus ipſius, Dominus Chriſtophorus Lidig, apoſtolicâ authoritate publicus, uti & caſtri perinde ac civitatis Meelſaccenſis juratus Notarius, Vir inter ſuos ac totâ Puſſia ornatiſſimus atque honoratiſſimus; nunc maleficiis & incantationibus, per quendam paſtorem, jam à pluribus menſibus vehementer perſtrictus. Meelſacci is paſtor, in ſuſpicionem præſtigiarum atque maleficiorum venerat, ideo-

ideoqúe faceſſere inde juſſus, in VVoynitten, quatuor paſſuum millibus diſtantem inde pagum receſſerat. Sed & ibi, lues tum pecorum, tum etjam hominum celeriter conſecuta, hominem in ejusdem maleficii ſuſpicionem haud vanè traxit, ut omnes pagi incolæ ad præfectum caſtri, illum, uti reum, deferre minimè dubitarent. Verùm ſive ob ruditatem & imperitiam actorum, ſive ob rei, multoqúe magis aſſiſtentes illi genii mali peſſimas artes, *deficientibus probationibus* ſufficientibus, abſolutus reus ad pecus & opus ſuum rediit. Ibi tum malus genius ad illum, Viden', inquit, quàm te innoxium vexârunt ruſtici iſti? Quin tu, lege talionis in eosdem agis? Annuit ille, & ex reo jam actor, totum pagum accuſat. Statâ die, impeditus, qui jus dicere debebat, præfectus arcis adeſſe non potuit; ut & tum, & deinceps comperendinari cauſam aliquoties oportuerit, non ſine moleſtia, faſtidio, & indignatione actoris importuniſſimi, ab alio, utique magis importuno extimulati. Hîc ergo malus dæmon opportunum nactus tempus, hominem facile ſibi obnoxium atque obſequentem iterum aggreditur. Nunquid, inquit vides, comperendinationum, quin & evaſionum iſtarum, nullum eſſe, niſi ipſum Notarium authorem atque cauſam? Hic enim cùm Iudicis interea locum poſſideat, ac dicere jus poſſit, quin & debeat, ruſticorum in gratiam ut lites ex litibus ſerit, & te de die in diem ludificatur? Vin, ut illi ſua ſit merces? Vin, ut capiat, qualia iſtiusmodi Iudices decent, munera? Annuente paſtore Notarius veneficiis momento temporis delinitus, totius

corporis primùm, tum verò pedum plantarumque psorâ atque prurigine (quam continuò unguibus, quin & scalpellis oportuit scabi) corripitur. Necdum ille perpruriscere desierat, cùm deinceps Icterici, mox Hydropici, cæterorumque plurium morborum vestigia sese aperuêre. Interea maleficus, sive conscientiæ, sive aliis exagitatus furiis, è pago illo fugam ultro arripuit. Plus trimestri spatio perquisitus, atque in vicina Traumburgo villa repertus, reductusq; Meelsaccum quæstionibus subjicitur. Fassus plurima, atque idcirco adjudicatus rogo, dū proferendæ extremæ in illum sententiæ, quanquā ægerrimus adesse cogitur Notarius, necdum quidquam mali de illo, suâ causâ suspicatus, respice, inquit, me jam longè alium, quàm ante noveras? Veteris ea vox amicitiæ benevolentiæq; fuit, qui ab homine, cui antea sæpius benefecisset, aliquam grati animi aut compatientis notam exprimere satagebat. Tū maleficus. Parce, inquit, Domine, parce. Quid ego (inquit ad eam vocem attonitus vehementer cū aliis Notarius) tibi parcam? Tum ille iterum: Parce, quæso, parce: nā & tu, ex maleficiis meis ista pateris omnia. Ad hanc vocem omnibus multò etjam magis attonitis, jussus, rem ex ordine, uti memoravimus, percensuit. Notario, uti Vir est Christiani omninò animi, ingenuè parcente quæsitum è malefico est, possetne ea maleficia amoliri? Possem, inquit, si genium meum haberem præsentem: quo jam absente, alterius imploranda erit manus. At Notarius tum demum malorum suorū causas edoctus, non ad cujusquam alterius medici, ne dicam malefici, sed ad B. Virginis Lindensis opem con-

confugit; quam & affuturam brevi ſperat, præſertim cùm alter oculorum, cujus uſus maleficiorum vi per quinque dies jam erat ſublatus, reſtitutus Dei gratiâ jam ſit.

## V.

### Præſens è morbo periculum mortis diſcuſſum.

Eadem die Simon Podemik, è Nusberg Gutſtadienſi villâ colonus, Dorotheam uxorem ſuam comitatus Lindam venit; ut pro recepta per B Virg. uxoris ſalute gratias unà ageret. Menſe Novembri exeuntis anni, ab imis pedibus, ad pectus uſque Dorothea clauda & contracta evaſit: ut neque ſedere, neque jacere uſquam, ſine maximis cruciatibus ac tormentis poſſet, mutandumque idcirco perpetim eſſet de loco in locum, quod humi poſitum erat, ſtratum. Cùm neque ſpes aliunde ſalutis affulgeret, neque tormenta gladiorum inſtar pervadere omnia membra deſinerent, votum fecit, ſi vires utcunque rediiſſent, etiam octo continuis diebus, Lindam quàm primùm perreptandi. Rediêre mox vires, ut intra diei unius ſpatium ſeptem fere leucarum iter pedes confecerit.

## V I.

### Febris, epilepſia, & cephalalgia depulſa.

Eadem quoque die Petrus Hartman, & Martinus Schrœter Traumburgenſes cives, votis ab ſe nuncupatis abſoluti ſunt. Atq; hic quidem duriſſimis capitis cruciatibus ante bienniũ, per tres potiſſimũ hebdomadas

madas exagitatus, vix ſibi denique præſens erat; factus tamen ilico animi præſens, quia præſentem Deiparæ, ubi ſe Lindæ ſtiturum vovit, opem expertus eſt. Cùm autem ſuperiore anno profectionem Lindenſem, ob varia non abſolviſſet impedimenta, nunc demum præciſis omnibus remoris abſolvit pedes. Quod etjam Petrus Hartman, comite per totum ſeptendecim leucarum iter conjuge præſtitit; non ſecus atque ſuperiore anno, comitante patruo ſuo, præſtiterat. Eundem enim, ante biennium tum in febri æſtus jactatione ſocium habuerat, tum in itinere Lindenſi comitem, tum denique in beneficii divini quaſi ſportulæ cujusdam cæleſtis uſu, participem. Quamvis verò, tum in ipſo itinere, tum & in Lindenſis ædis ſacrario paroxyſmus recurriſſet, ubi tamen divinis refecti Sacramentis reditum inde apparârunt, febris ab eo tempore reverſa amplius non eſt. Quoniam autem Petrus tantum in ſe auxilii opisque expertus jam erat Deiparæ, non dubitavit filiolo ſuo bimulo Andreæ eandem implorare opem. Comitiali morbo, aliquoties intra annum recurrente torquebatur infans: at ubi die S. Adalberti pro eo factum eſt ad B. V. Lindenſem, anno ſuperiore votum; morbus ad hanc diem amplius non recurrit. Hinc parens uterque, iter ſeptendecim leucarum Lindam pedes ſuſcepit, & filiolum manibus geſtatum ſuæ, illiusque ſoſpitatrici commendavit.

## VII.

### Fulmen innoxiè ædibus illapſum.

Denique, eadem die Ioannes Mauritz, carpentarius

rius è Sturmhubel Reſſelienſis agri pago faber. Gertrude conjuge, Annâ filiâ, & Bonaventura patruelis ſui filio, comitantibus pariterque gratias agentibus Lindam acceſſit. Octavus volvebatur dies, cùm abſente viro, fulmen vehementiſſimâ tempeſtate in eorum tectum eſt excuſſum. Uxor, quæ ſe cum ædibus liberisque, jam jam flammis abſumendam timebat in genua provoluta, opem Deiparæ Lindenſis invocavit. Nullam exinde ſive flammam, ſive noxam hominibus, ædibusvè (niſi quod inter ſuperiora intertignia veſtigium aliquod fulminis appareat) illatam quisquam vidit; quod & nunc omnes læti juxta ac admirabundi prædicant.

## VIII.

### Dyſenteria periclitans adjuvatur.

Ad x. Cal. Julias Michaël Mieczkowski, è majore Kellen Reſſelienſis municipii villa, opificio ſutor, Verno ſuperioris anni tempore, intimis maximisque viſcerum cruciatibus, &, quæ hos conſecuta eſt, pertinaci dejectione alui exhauſtus, atque ad extrema ferè deductus, neque opificio ſuo neque ulli admovere operi manus potuit. Potuit nihilominus mentem ad Deiparam Lindenſem, & quasdam, per vota atque preces, quaſi machinas admovere. Continuò liber omni morbo jam tum Lindam advolavit. Ne quid tamen pro tanto in ſe beneficio deſiderari videtur, etiam hoc anno peregrinationem ſupplex iterum inſtituit; paratus etjam deinceps, quoad vita viresque ferant, idem tenere inſtitutum.



Digitized by Google

## IX.

### Matrona nobilis, cùm aliàs tum in partu adjuta.

Die IX. Cal. Julias Roſalia magnifici ac Generoſi Dom. Joannis von Olſen nuper Capitanei Brunsbergenſis, at nunc præfecti Reſſelienſis filia, Magnifico itidem ac Generoſo Domino Joanni Goſiorowski Præfecto Wartemburgenſi nupta, gemellos primo partu feliciter enixa, cùm pro hoc tum pro aliis plurimis à B. Virgine Lindenſi retro acceptis beneficiis, Lindam gratias actura venit, & in grati monumentum animi, tabellam argenteam, cum expreſſa Deiparæ filium Jesum portantis effigie, & adjectâ epigraphe hac dedicavit: *In honorem B. V. M. fieri curavit Nobilis & Generoſus Dominus Ioannes Goſiorovvski Burggrabius VVartemburgenſ. 1655.*

## X.

### Mulier hæretica recepto animi lumine corporis quoque lumen recipit.

Eadem die Eliſabetha annos LXXV nata anus, Stargardiâ, Pomeraniæ civitate oriunda, variis belli & fortunæ caſibus, per Pomeraniam, Megalopolin, & Pruſſiam jactata, unà cum poſteriore marito Paulo Schultz Elbingæ defuncto, in ſola hæreſeos Lutheranæ pertinacia conſtantiſſima fuit; tandem ante tredecim annos Meelſaccum ad filium ſuum Joachimũ conceſſit; ubi ſeptem annis in eadem pertinacia tra-

ductis, catholicæ tandem Eccleſiæ ſe adjunxit. Cæterùm ut illuſtratos mentis oculos, magis ad cælum attolleret, quinque annis in catholica fide jam exactis, ex oculis corporis biennium ita laboravit, ut præ magnitudine doloris ( qui & oculos inſtar ignis, & caput cruciabat) cæcitatem optaret, dummodo libera doloribus tantis eſſet; præſertim cùm dolor, quò plura adhiberentur remedia, eò accenderetur magis. Quoniam verò cum aliis fidei Catholicæ articulis, etjam de cultu Deiparæ inſtructa jam erat, multaque de Lindenſis Deiparæ beneficiis audierat, anno proximè elapſo, cùm tota Meelſacenſium civitas, egregiam ( uti ſuo loco memoravimus) ad Lindam Marianam inſtituit proceſſionem, ſtatuit ipſa quoque iter, cum illo ſupplicantium agmine ingredi. Ab eo ferè momento, & dolor remittere, & luminum uſus redire ſenſim cæpit; quoad divæ Virginis Ædem ingreſſa, clarùm cernere, ac nullius ductu amplius egere potuit. Quo inde fuerit perfuſa gaudio, æſtimari vel hinc poteſt, quòd iter duodecim ferè leucarum, eâ decurrerit alacritate, ut, quod ipſa ait, nunquam ſe totâ vitâ ſuâ ſenſerit vegetiorem. Cujus beneficii memor, cùm nihil magis haberet in votis, quàm ut vel ſemel adhuc poſſet Lindam reviſere, nemine alio niſi duabus parvulis è Joachimo filio neptibus comitantibus, iter facile emenſa eſt pedes: Spondet proinde, ſi iter eadem facilitate domũ remetiatur, conaturam, ut ſequente etjam anno, ſi vita comes fuerit, neque vires in decrepita jam ætate omnino deficiant, Lindã reviſat. Interim paupercula anus,

la anus, quæ nonniſi lanificio, & penſis in Xenodochio ducendis victitat, ſicut non pauca de labore manuum ſuarum Templo Meelſaccenſi donavit, ita & Lindenſi B. Virgini tabellam argenteam unius fere aurei nummi precio comparatum, hodie conſecravit.

## XI.

### Duæ Meelſaccenſes matronæ votorum compotes.

Eâdem die Anna Franciſci Dingel, & Eliſabeth Michaëlis Pohl, civium Meelſaccenſium conjuges adfuerunt: quarum hæc dextrum pedem, plus anno peſſimè affecta, nullum doloribus, qui etjam greſſum vix concedebant, niſi à B. V. Lindenſi invenit remedium: illa capitis & dentium cruciatu per annum vexata, maximum ex voto levamen ſenſit. Vnde quemadmodum ſuperiore anno totius civitatis proceſſionem comitata eſt, ita hoc ſigillatim peregrinationem inſtituit. Porrò utraque pedes duodecim fere leucarum iter eſt emenſa.

## XII.

### Plures è Ducatu Pruſſiæ non-catholici apud B. V. Lindenſem ſupplices.

Eadem quoque dies, plures è Ducatu ſupplices vidit, quorum plerique jam votorum rei gratias egerunt; nonnulli deinceps acturi, nunc vota ac preces, non ſine fiducia attulerunt. Pietſcki pagus eſt Sehiſtenſis caſtri quinque leucis ab Linda disjunctus, ex quo Martinus Chudy, cum Alberto Ieſionck

ſionck Martini coloni filio adoleſcente, Annâ viduâ, & Dorotheâ Michaëlis itidem coloni filiâ, advenerunt. Martinus enim immodicis capitis doloribus, ab annis octo perenniter vexatus, ubi anno proximè elapſo votum Lindam fecit, magnum ſenſit levamen, ſperatque in dies majus. Albertus comitiali morbo à quatuor annis exagitatus, à parentibus ſuperiore anno Lindam ductus, iterum, ut majora identidem remedia impetret, mittitur; qui etjam paulò poſt in Auguſto, ipſo Aſſumptæ Virginis pervigilio, non mediocriter adjutus tertiũ adfuit Anna denique ſacrum ignem in facie pedibusqúe graviter exulceratis, jam à biennio perpeſſa; ubi votum. quo nunc defungitur, ſuperiore anno edidit, quoad faciem quidem & caput, levamen ſenſit maximum; quoad pedes verò omni levata eſt morbo, ut nunc iter totum pedes confecerit. Ejusdem Sehiſtenſis caſtri, villa eſt Sorquitten quatuor ferè leucis Linda disjuncta: ex qua Anna Georgii Ziemele vidua, mulier admodum annoſa, pro ſervato à lue graſſante pecore, gratias Deiparæ egit. Qua causâ accenſum cereum in catholicorum morem obtulit. Iam verò è Tauk Rheinenſis caſtri pago, quinque mulieres, quamvis non catholicæ, vota Lindam variis ex cauſis nuncupata reddituræ, pridie concubiâ jam nocte, iter quinque leucarum ſunt ingreſſæ, ne videlicet à prædicantibus, aut prædicantum ſociennis obſervarentur; graves alioqui mulctas luituræ: quas tamen ajebant, ſubire ſe malle, quàm vota Deo & Deiparæ facta non ſervare. Ingreſſæ ædem ſacram, cùm & donaria, à variis obla-

ta, &

ta, & decorem domus Dei spectarent: Ecce, inquiunt, quomodo catholici sacerdotes omnia ad Dei gloriam convertunt! at nostri omnia pro se, & conjugibus, liberisque suis abliguriunt? Et una insuper; Quantum, inquit, nuper à viro nobili & opulento, pro Organo musico, ut in templo esset, legatum donatumque fuit? At hoc ipsum à Prædicante quoque est consumptum! Aliæ quoque duæ mulieres, è diversis Prussiæ Ducatus villis affuerunt, nimirum Eva Alberti Oycoch, è Swydry pago, haud procul Lerzen dissito, & Anna Laurentii Gromoda, è Schwartzenstein pago, ultra Rastemburgum posito, uxores. Atque hæc quidem nomine Gertrudis filiæ suæ votum persolvit, latus enim dextrum filiæ ulceribus à biennio scatens, vehementer illam discruciabat, ut nulli par labori esset. Parentes igitur per quendam mendiculum superiore anno, cereum anathema Lindam miserunt & magnum filiæ senserunt levamen: ut porro integrè restituatur, jam ipsa mater filiæ causam, apud B. V. agit. Jam verò Eva, suo ac mariti sui nomine causam itidem agit: nam & ipsa per septennium, & maritus à die Natalis Domini usque ad Pentecosten, dirissimo capitis & oculorum dolore discruciati sunt, ut vir quidem etiam oculorum alterum perdiderit, mulier verò dolorem ad spinam dorsi senserit derivatum. Uterque morbo levatus est, ubi se Deiparæ Lindensi commendarunt, ita ut vir quidem altero oculo commodè fruatur, uxor verò, iter quinque

leuca-

leucarum, intra diem non integrum emetiri pedes valuerit.

## CAPUT XVI.

### Poſtremi menſis Junii dies.

PRimus horum, ad VIII. Cal. Quintiles eſt; quo *fortunæ forti*, ut ait Varro (a) *Servius Tullius, ſecundùm Tiberim extra Vrbem dedicavit.* Hinc Ovidius in Faſtis:

*Plebs colit hanc, quia, qui poſuit, de plebe fuiſſe*
*Fertur, & ex humili ſceptra tuliſſe loco.*

Naves quoque coronatas per Tiberim convivia agitaſſe idem memorat;

*Ferte coronata iuvenum convivia lintres,*
*Multaquè per medias vina bibantur Aquas.*

Alia de cauſa forti fortunæ apud Lindam Marianam locus eſſe poteſt, ubi Dei ac Deiparæ beneficio, pulſis tot morbis, vires & robur mortalibus redeunt.

### I.

### Mulier in partu adjuta, Vir maleficiis & inſaniâ liberatus.

Dicta igitur VIII. Cal. Jul. die Matthias Zdunowski, ſilvarum Illuſtriſſimi Epiſc. Varmienſis præfectus, cum uxore Gertrude, beneficiorum à B. V. acceptorũ memores, gratias & vota reddiderunt. Gertrudis primo partu ante annũ, plus hebdomadâ dolores parturientiũ perpeſſa, vitæ proximũ in diſcrimẽ adducta jam erat; à quo per votum B. Virgini factum

(a) *lib. 5. de lingua lat.*

ctum continuò erepta eſt. At verò Matthias, ſub dem fere tempus, ſive alia de cauſa, ſive alicujus, putabatur malefici operâ, intimis viſcerum, ſca larum, membrorumqúe cæterorum doloribus p pè ad inſaniam redactus eſt, ut ne domi quidem ſt do aut jacendo, quietem ullam caperet, ſed quaſ mens dies æquè ac noctes, per hebdomadas quatu propemodum inſomnis, campos & ſilvas pere ret. Suo tandem & conjugis voto Lindam edito, ſtitutus eſt tum animi tum corporis viribus.

II.

Oculorum dolores iteratò abſterſi.

Thomæ Engelke è Piſſen Seeburgenſi villa loni uxor Anna, graviſſimam oculorum inflam tionem proximis quadrageſimæ diebus, dolor qúe capitis experta, ægrè vel tantillum ſpectare minis jam poterat; mox tamen voto Lindam fa revaluit. Verùm cùm per incuriam votum non e queretur, propeq; memoriam illius depoſuiſſet, currens eadem cum acerbitate dolor, memoriam gratæ haud leviter refricuit. Quo demum excit quo primùm tempore licuit, peregrinationem L dam ſuſcepit.

III.

Oculorum alter ſervatus, & ſacer ignis extinctus.

Andreas Schwarck colonus VVuslacenſis, tiſſimis oculorum capitisqúe doloribus, per an duodecim, quovis menſe recurrentibus, nequ

Digitized by Google

liud ullum neque Lindenſis Deiparæ auxilium quæſivit. At ubi oculorũ alter, vi doloris propè extinctus eſt, ne alter quoque extingueretur, ſupplex votum B. Virgini Lindenſi fecit, & exinde tum alterum retinuit ſanum; tum ſolitis caruit doloribus. Simul Barbara ejusdem Andreæ filia, parenti tum in via comitem, tum in agendis Deiparæ gratiis ſociam ſe adjunxit. A ſex jam annis ſacer ignis totum caput invaſit, ut & fædè exulceraretur, & ulceribus aliquandò coaleſcentibus ſcabie & pſorâ effunderetur undiq;. Per biennium varia chirurgorum aliorumque hominum adhibita variè præſidia; omnia in caſſum. Adhibitum denique peregrinationis Lindenſis votum, quod proximis ante Paſcha diebus erat conceptum; & confeſtim morbus atque ſcabies, ut nullum prorſus veſtigium ſuperſit, receſſit.

## IV.

### Oculorum morbus ſæpe mitigatus, tandem penitus abactus.

Jacobi Nitſch Organædi Meelſaccenſis filia Sibylla, ex oculis à decem jam annis ita laborabat, ut tumor faciem obſidens oculos penitus intercluderet, ac vix tantillum admitteret luminis. Jam tum ab ipſo mali initio Sibylla, nullum niſi apud B. V. Lindenſem præſidium quæſivit; quod etiam facilè invenit. Quia verò morbus ſæpe recurrere erat ſolitus, illa quoque ad ſuam Lindam identidem recurrere, & ab ea curari erat ſolita, quoad tandem ita ad extremum ſanata eſt, ut à longo jam tempore incolumi utatur viſu.



Digitized by Google

## V.

## Parentes infantem curatum è Lituania ſiſtunt.

Andreas Lachowski è Grodnenſi in Lituania provincia, inter ſilvarum regiarum præfectos non poſtremus, ſimul cum Mariana uxore ſuâ, filiolũ infantem Georgium, B. Virgini Lindenſi voti reum ſtiterunt. Proximo vere graviſſimum per octo dies morbum paſſus, curari humanâ ope nullatenus potuit; ad divinam proinde parentes confugerunt, &, ſimul ac votum Lindam nuncuparunt, ſimul infans quoque convaluit, & Lindam ſatis validus eſt deductus.

## VI.

## Mulieres aliquot non catholicæ beneficia expertæ.

E Rheinenſi municipio, ut emiſſitios prædicantum oculos, ni fallor, bono dolo fallerent, noctu iter egerunt mulieres tres, & primo diluculo Lindæ vota reddiderunt ſua: quarum duæ cruciatu dentium, pedum verò tertia erat liberata. Catharina quoque Joannis Straus coloni in Langwald pago, juxta Scippenbeil ſito uxor, comitante matrem ſexageſimum jam annum longè prætergreſſam filio Ioanne, triginta annos nato, vota pro impetrata utrinq; incolumitate ſolverunt. Mater enim perquàm acri oculorum dolore à ſexennio laborarat, & jam expeditâ Lindam ferè à biennio peregrinatione, maximum ſenſerat auxilium. Recurrente autem iterum dolore, iterum nunc idem à B. V. collyrium

umflagitat; iterumque levamen ſentiens perfectam oculorum ſanitatem expectat: præſertim cùm etjam, à quindecim jam annis, viſcerum torminibus immodicè jactata, plurimum curationis à B. Virg. ante ſex annos impetrarit. Iam verò Ioannes filius veneno, ut putabatur, in aula nobilis cujusdam infectus; atque immani tumore corpus totum diſtentus, exemplo monitisque matris ante quinquennium Lindam votum nuncupavit, & non magis humanis, quæ adhibita ſunt, remediis, quàm Deiparæ ope ut ipſe fatetur, ſibi reſtitutus eſt. Quò magis ſolicitavit matrem, ut ſibi liceret facto tandem reſpondere voto; eoque facilius id obtinuit, quòd ipſa quoque mater, animo Lindenſem peregrinationem agitarit; quam hodie cum filio incolumis abſolvit.

## VII.

### Duæ itidem non catholicæ mulieres à B. V. auditæ.

Sexta ante Calend. Iul. die, duo è Ducatu itidè ſorores mulieres, quarum altera in VVoterkaim, altera juxta Eylau in Poſchleſſen habitat, adfuerunt. Et hæc quidem internos viſcerum cruciatus atque tormina diu paſſa, ubi ſe Lindam vovit inviſuram, ſingulare dolorum omnium levamen ſenſit: illa verò ruinâ domus ante biennium oppreſſa, voto itidem Lindam facto, non vitam modò retinuit, ſed etjam prolem vivam in lucem effudit, cum ante geminam fuiſſet mortuam enixa.



Digitized by Google

## VIII.

### Wartemburgenſium proceſſio, & coxarum totiusque corporis dolor abactus.

Ad v. Cal. Juliar. plura fuiſſent conſignanda literis Deiparæ beneficia, niſi ob multitudinem populi, qui ad numeroſam, egregiamque Wartemburgenſium proceſſionem, aliunde quoq; affatim confluxit, locus & tempus conſignandi defuiſſet. Unus certè confeſſariorum, ſex circiter homines dimiſit, qui, ut notarentur, redituri erant, urgentibus tamen anguſtiis temporum, nuſquam deinde comparuêre. Duo nihilominus conſcripti ſunt, Petrus Klus, è Ducatu, & Regina Georgii Knor civis Wartemburgenſis filia. Ille inter ſectarios catholicus, per quatuor hebdomadas, capitis & totius corporis proſtratus decumbebat doloribus, voto Lindam facto, ſurrexit confeſtim, & viribus ſuis quà ambulando, quà alia moliendo uti cæpit. Illa acutiſſimis circa coxendices præter ſpem correpta doloribus, per ſex hebdomadas diu noctuque omnem ſibi, parentibusque quietem, ſuis ejulatibus abrupit. Sed & mater, ubi Lindam atque Glotoviam nuncupavit votum, vires malo abrupit: continuò enim ſolutum in pus atque ſaniem, utrique pedi ſanitatem reſtituit.

## IX.

### Heilsbergenſes quidam beneficia experti.

Joannes Wintzer civis Heilsbergenſis, ante

duos annos peſte civitatem jam populante, alio morbo, non minùs periculoſo correptus, ideoqúe graſſanti peſtilentiæ maximè obnoxius fuit. Difficillimo illo tempore, nullum aliunde præſidium aut peti, aut ſi peteretur, conducere potuit. Vxor de mariti, filia Catharina de parentis ſalute vehementer ſolicitæ. Lindâ præſidium cenſuerunt petendum, & quemadmodū petierant, obtinuerunt. Statim enim atque votum ab iis erat nuncupatum, ille convaluit. Vnde & uxor ſuperiore anno, & filia hoc gratias Lindæ egerunt. Quo tempore videlicet ad IV. Cal. Iulias, etjam Gertrudis Georgii Kœnigsmann civis itidem Heilsbergenſis filia gratias pariter egit; quod vere proximè elapſo, ubi votum peregrinationis Lindenſis edidit, acerrimo dentium cruciatu, qui ſupra quatuor menſes deſævierat, liberata fuerit.

## X.

### Brunsbergenſium non pauci auditi.

Eâdem quartâ Calend Iuliar. die, Iacobus Hoffman, ſummi Pontificis Brunsbergæ Alumnus Biſteino oriundus, abſoluto Philoſophiæ curſu, peregrinationis Lindenſis ſtadium pedes decurrit; ut Deiparæ, pro reſtituta ſibi ante biennium ſanitate gratias redderet. Vtebatur fortè Revendi Dō. Alexandri Mineſii, in nova civitate Vicarii (qui idipſum Lindæ ea die præſens ſanctè affirmavit) hoſpitio, cum repentè morbo corripitur, ac propè è vita eripitur. Nulla illi de vita prorſum dubia, niſi de ſacro Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramento tanquā extremo viæ commeatu, cogitatio, cùm tacite ſe moneri ſenſit, ut ſeſe

Deiparæ Lindenſi offerret: obtulit,& confeſtim reſtitutus ſibi eſt. Idem quatuor annis retro, contigit ibidem Catharinæ Jacobi Lidig civis filiæ Virgini, quæ pedem caſu luxaverat,& diu ægra tum ſuo, tum matris voto, B. Virgini Lindenſi commendata, ad eam, quam nunc matre comitante Lindam attulit ſanitatem, confeſtim rediit. Sed & Gertrudi Laurentii Weis civis itidem Brunsbergenſis viduæ, eadem ſalutis aura, ab ipſa uſque Linda adſpiravit. Tota fere hujus, ac ſuperioris anni hyeme, tuſſim pertulerat graviſſimam, ut vix ſuffocata interdum non ſit. Poſtquam in ſomnis quodammodo admonita, votum Lindam nuncupavit, ſimul reſpiravit, ſimul ad priſtinas rediit vires: quibus nunc freta, iter ſat longinquum aggreſſa eſt. Quod quidem iter jam quartum emenſus Lindam eſt, è Brunsbergenſis municipii pago Schelginen dicto, Matthæus Ewert, qui ante quatuor annos brachium dextrum caſu perfregerat, & in ejus mali curatione, ſi revaluiſſet, frequentaturum ſe Lindam promiſerat; revaluit, & beneficii gratus, identidem ad ſuam recurrit ſoſpitatricem.

## XI.

### Tolckmitenſes plures varia experti beneficia.

Ad cæteros hac die peregrinos, undeviginti Tolckmitenſium acceſſerunt; quorum non pauci vel ſuo, vel ſuorum nomine, pro acceptis à Diva Lindenſi beneficiis, gratias egêre. Gregorius Hoffman octua-

octuaginta trium annorum ſenecio, ſui loco nepotem è ſorore Laurentium Schultz, Tolckmitenſem itidem civem, unà cum Dorothea privigna miſit. Ante ſex circiter annos correptus erat gravi morbo, ut per tres hebdomadas vix loqui, aut homines præſentes nôſſe poſſet. Viſus interea ſibi eſt, quaſi præſentem B. Virginem, per ſomnium intueri, ſeque, ut Lindam conferret, admoneri. Fecit confeſtim adeundæ Lindæ votum, & convaluit. Cùm autem per decrepitam ætatem, octodecim minimùm leucarum iter, non poſſet ipſe ingredi, varias Deiparæ imagines fieri, & transmitti curavit. Verùm hoc iterum anno, eodem fere morbo, certè æquè periculoſo tentatus, iterum à B. Virgine Lindenſe opem expetiit, & impetravit. Quocirca non jam imagines, ut ante, verum & privignam & generum ſuum Lindam miſit. Quibuscum idem arripuerunt iter, tum Jacobi Schultz civis Tolckmitenſis uxor Dorothea, tum Gertudis mulier ibidem inquilina: quarum hæc oculorum dolore, vel potius cæcitate ſupra anni unius ſpatium, percuſſa; nonniſi alieno ductu gradum facere poterat, imploratâ Deiparæ ope viſum recepit; & quanquam præterito jam anno promiſſum Lindam iter decurrerit, tanti tamen beneficium ſibi collatum æſtimat, ut & hanc, &, ſi potuerit, plures deinceps adjiciat Lindam uſque profectiones. Jam verò Dorothea genu totoq; adeò pede ſiniſtro, diriſſimos per annum experta cruciatus, ut eos nonniſi conſtrictis ac ſtridentibus interdum dentibus perferret, ubi ſe Lindam promiſit ituram, omni libera cruciatu, magnam tanti itineris partem confecit

pedes. Pedes itidem totum iter decurrit Laurentius Nadram civis & pannifex, unaque filiolam ſuam deduxit: quam cùm per ſeſqui annum tabe conſumi videret, neque aliunde ſperaret tanto malo opem, à Deipara Lindenſi poſtulavit; ita ut non poſſit ulli, niſi illi ſalutem filiolæ ſecundùm Deum tribuere: proinde, neq; promiſſam eâ causâ peregrinationem potuerit negligere. Quanquam ſuâ quoq; causâ & nunc, & ante biennium peregrinationem Divæ Lindenſi debebat, à qua ſe fatetur adjutum, cùm veneno infectus, ſupra annum propè contabuiſſet. Tametſi enim humana quoq; adhibita tum ſunt remedia, ille tamen præ omnibus, Deiparæ auxilio ſalutem jam tum adſcribebat, & nunc adſcribit. Eidem quoque adſcribunt, tum receptum viſum Ertmudis Petri Schultz inquilini uxor: tum redditam matri ſanitatem Eliſabeth Virgo Simonis Perſchke civis filia. Hujus enim mater atrociſſimis viſcerum torminibus, tres propè menſes laborabat; ut vitæ ſpes propemodum nulla ſupereſſet. Filia igitur deſperatam matris ſalutem Dei Matri unicè commendavit, & nuncupato Lindá voto, quod cupiebat impetravit. At verò Ertmudis per biennium prorſum cæca, nuſquam niſi quo duceretur, progredi potuit: tantisque inſuper capitis eſt doloribus exagitata, ut nonniſi admotis identidem capiti manibus dolores utcunque perferret. Diu multumq; chirurgi nequidquam experta opem, ſecundâ Paſchatis feriâ ad B. V. Lindenſem voto facto confugit; & ſoluta omni cruciatu, uſum quoq; luminis recepit; ut non modò perambulare quaquaverſum domi, verùm & iter hoc poſſet

poſſet ingredi Quin imò cùm viam ſeptem fere leucarum intra diem confeciſſet, & fatigata, ſuo aliorumq; comitum judicio proſequi iter nō poſſe videretur, intimis animi votis ad proſequendum accenſa; poſtridie ita confirmatarum ſe invenit virium, ut & unà pergeret, & totum iter pedes abſolveret; domū quoque, ut ſibi fidit, pedes reditura. Simile in morbo diſſimili experta Deiparæ auxiliū Martini Homan in Karſchau Tolckmitenſis agri pago, uxor Anna. Verno ſuperioris anni tempore, per ſex hebdomadas febri malignâ eò erat deducta, ut ſibi rarò præſens, ſæpe etjam viribus linqueretur. Maritus ita omni deſtitutam præſidio Deiparæ Lindenſi eâ conditione obtulit, ut, vel ipſa, ſi revaluiſſet, ac per vires poſſet, vel certè ipſemet profectionem Lindā ſuſciperet. Convaluit illa, & iter aggreſſa, non pauca illius milliaria, infantem ulnis bajulans decurrit pedes. Idem quoque decurrit iter avunculi ſui nomine Margareta Virgo, de qua jam alio loco (a) memoravimus.

## XII.

### Etjam catholicæ expertes fidei beneficia Deiparæ experti.

Eadem quoq; die inter eos, qui è Ducatu Pruſſiæ, quamvis non catholici, Lindam viſitarunt, fuit Gregorius ex Inſterburg. municipii pago, Schœnlinde dicto, duabus leucis Allenburgo diſſito, pagi præfectus, ſcultetus vulgò dictus. Is jam ante, filio ſuo ex hernia (quam nulla medicorum ars quamvis ſolicitè



(a) *lib. 4. cap. 33.*

adhibita curare poterat) diu periculoſéque laboranti, per votum Lindam factum, ſanitatem impetrârat, votoque defunctus jam erat. Cùm porrò, & gener ipſius, per decem hebdomadas oculis prorſum captus, & filiola duodecim circiter annos nata, morbo comitiali graviſſimè eſſet afflicta, utriusque causâ iterum Lindam votum fecit, iterumque ſanitatem utrique impetravit. Quocirca & ipſe, filiolâ dictâ, filioque Gregorio comitantibus, Lindam iterum adiit, donaria ſua, genibus nixus, circaque majorem Aram ter genibus itidem reptans obtulit, gratiisque actis domum eſt regreſſus, ſalutem à ſacra & Mariana Tilia, ad pulchram ſeu decoram itidem tiliam (id enim Schönlinde Germanis ſonat) deportaturus. Quo quidem etiam tempore Matrona nobilis Dom. Wietzbinski ex Olecenſi municipio conjux, præſente ac comitante Lindâ conjuge, quindecim leucarum viam ſuſcepit; & ſacellum variis cum donariis ingreſſa, ter circum Aram majorem obeundo, atque ante eandem in genua procumbendo, ſuas preces fudit. Multos annos è capite atque oculis laborarat; auditis verò, quæ fama ubique ſpargit, Deiparæ Lindenſis beneficiis, magnâ cum fiducia eò ſe contulit; præſertim cùm ab eo tempore , quo votum adeundæ Lindæ conceperat, plurimùm ſe ſentiat adjutam.

## XIII.

### Proceſſio gemina; & mulier altera partu, altera febri levata.

Die ante Cal. Jul. IV. ipſo ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli feſto, ad cæterorum peregrinorum

rum confluxum, gemina acceſſit proceſſio, altera quidem Glotenenſium è Seeburgenſi, altera verò Mataunenſium è Wartemburgenſi municipio; ut in ea hominum multitudine vix fuerit otium aut inſtituendi de acceptis beneficiis examinis; aut ea, quæ per examen indagata erant, connotandi. Par tamen mulierum conſignatum fuit, quarum altera Joannis Althoff cauponis in Glockſtein, altera Ludovici Baranowski Smoleinenſis & Gutſtadienſis Notarii uxor; illi Barbaræ, huic Hedwigis nomen. Illa provectæ jam ætatis anus, febrim totas quinque hebdomadas vehementem paſſa, voto Lindam facto convaluit: iſta viridiore adhuc ætate primam editura prolem, ſupra dies ſex parturiendo laborabat, ut neque proli neque ſibi promittere vitam poſſet. Utrique tamen vita conſtitit, ubi de familiarium conſilio, vera vitæ genitrix apud Lindam invocata eſt MARIA: cui proinde ſupplex uterque parens, vitam & matri & proli ſervatam in acceptis retulit.

## XIV.

### Alia mulier partu feliciter levata.

Pridie Calendas Quintiles Petrus Krüger, è ſuburbio Brunsbergenſi inquilinus, ſuo, uxoris, & prolis nomine, votum pedes abſolvit. Geminam prolem jam ante biennium uxor fuerat enixa, ſed utramque mortuam: cùm tertiam paucas

ante

ante hebdomadas eniteretur, non de prolis modo, verùm & de matris vita agebatur: ita partus dolores & pericula utramque urgebant. Ad beatam proinde Virginem Lindenſem parens uterq; votum nuncupat. & proles eodem propè momento meliorem in B. Virgine experta eſt Levanam.

## CAPVT XVII.

Ipſæ Calendæ Quintiles, ſeu Viſitationis B. Virginis pervigilium.

LVbet de Iulio præmittere quæ Macrobius de eodem tradidit (a) *Sequitur Iulius*, inquit ille, *qui cùm ſecundum Romuli ordinationem Martio tenente anni principium, Quintilis à numero vocaretur; nihilominus tamen, etiam poſt prapoſitos à Numa Ianuarium ac Februarium, retinuit nomen, cùm non videretur iam quintus eſſe, ſed ſeptimus. Sed poſtea in honorem Iulii Caſaris Dictatoris, legem ferente M. Antonio M. filio Cos. Iulius appellatus eſt, quòd hoc menſe ad* IV. *Idus Quintiles Iulius procreatus ſit.* Cæterùm apud Lindam Marianã Iulius menſium omnium facilè princeps eſt. Licèt enim cæterorum quoq; nullus ſit, qui peregrinorum affluxu & divinorum ubertate donorum non excellat, Iulius tamen, vel ob unum viſitationis feſtum, quod præcipuum apud Lindam ſemper fuit, omnibus palmam præcipit. Nam & ipſo feſti pervigilio, & conſequentibus deinceps octo diebus, plurima ſupplicantium agmina, proceſſionesque diverſiſſimis ac longè poſitis ex locis ſpectari ſolent. A quibus

(a) *lib.* I. *Saturn. cap.* 12.

bus proinde narrationis initium nobis erit ſumendum.

## I.

### Variæ Calendis Iulii proceſſiones.

Non carent cæteri, præſertim per æſtatem menſes, accurrentium undiq; populorum agminibus, ſupplicantium in morem procedentibus; Iulius tamen vel eò quoq; eminet, quod cùm cæteri familiaribus, & & quaſi primæ admiſſionis, præſertim è Varmienſi Pruſſia populis, deſtinati dicatiq; videantur, Iulius etjam exteros, vel longiùs à Linda ſejunctos admittere ſoleat: quod vel hoc anno luculenter potuit cerni. Prima omnium hac die proceſſio fuit Meſzicenſium è Maſovia à novo templo, in ſilvis Regiis ad Oſtroleucenſem præfecturā ſpectantibus, nuper juxta fines Ducalis Pruſſiæ condito. Cùm enim iis in ſilvis mortales plurimi, qua pici eliquandæ, quà aliis mercibus ſilveſtribus elaborandis addicti, perpetuò verſentur, qui ad ea uſque tempora, perinde à catholicæ religionis uſu atque ab hominum, præſertim catholicorum commercio ſejuncti, nullum in vicino templum habebant, ideoquè cum loco mores quoque ſilveſtres ac quaſi ſitum quendam contrahebant; miſſi ad eorum cultum ſunt quidam è Lomzenſi Societatis Iesu Collegio Sacerdotes. Quos inter fere primus fuit P. Lucas Zaluski, Theologiæ poſtmodum in Academia Vilnenſi Profeſſor atque Doctor; qui, quemadmodum vetus ille *(a)*

*Silve-*

(a) *Horat. de Arte.*

*Silveſtres homines ſacer, interpresque Deorum*
*Cædibus & victu fœdo deterruit Orpheus;*
*Dictus ob hoc lenire tygres, rapidosque leones.*
*Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis*
*Saxa movere ſono teſtudinis, & prece blandâ,*
*Ducere, quò vellet.*

Præterquam enim, quòd & ſilvarum, & vicinorum convictu hæreticorum, efferati propemodum illi homines, ad cultum & Eccleſiæ catholicæ diſciplinam reducti ſunt, etjam ſacra Ædes, de piorum munificentia iisdem in ſilvis poſita brevi eſt. Apud quàm, ut & Silveſtres illi mortales, & vicini quoque inſtituantur hæretici, sereniſſima Poloniæ Regina Ludovica Maria annuas operariis ejusdem ſocietatis addixit impenſas. Qui quidem ut homines illos, quaſi ex illa ſilvarum umbra ad lucem producerent, hodiernum ad B. Virginem Lindenſem (tredecim minimùm leucarum intervallo, intra fines hæreticorum) deduxerunt ſupplicantium agmen, pietate juxta ac numero conſpicuum P. Sigiſmundo Marquard è Soc. Ieſu totius agminis duce, & quaſi chorago. Altera poceſſio fuit Grabovienſium, è Maſoviæ itidem finibus Pruſſiæ conterminis. Adjuncti iis fuerunt, non pauci è Colnenſibus & VVonſoſenſibus Maſoviæ itidem populis; quorum omnium ducem egit admodum R. Dominus Simon Iablonski Parochus, non pauca neque levia ab hæreticis (quorum intra fines perpetuo fere incedendum fuit) eo in itinere paſſus. Tertia fuit Kukendorffenſium & Ionkendorffen-

dorffenſium ; qui tres minimùm leucas ultra Allenſteinum ſiti, leucis undecim à Linda abſunt: ſat nihilominus numeroſo & bene compoſito proceſſerunt agmine. Quarta Beſovienſium, qui ſtatam quotannis ſupplicationem, hodie, & numero, & non inſuavi paganorum cantu ornarunt. Quinta Tulacenſium, qui Allenſteinenſis quidem Coloniæ, ſed Altwartemburgenſis ſunt paræciæ : proinde tam Allenſteinenſium quàm VVartemburgenſium erga B. V. Lindenſem imitantur pietatem.

## II.

## Meſzicenſium quidam variis affecti beneficiis.

Beneficiis cum tanta peregrinorum pietate, quantopere Deipara apud Lindam ſuam certet, vel hac unâ patuit die ; qua ex iis, quæ in maxima hominum multitudine & ſummis temporum anguſtiis diſquiri notareqúe potuerunt, quinq; ſupra triginta notata ſunt. Et quidem inter Meſzicenſes, quos inter ſupplicantium agmina primos fuiſſe diximus, Paulus Iudaſzik ejusdem loci colonus, & Andreas Freydorzik ſilvarum cultor fuerunt ; quorum hic brachii dextri tantos per octo hebdomadas pertulit cruciatus, ut virium, quas ad uſum manus adhiberet, vix tantillum ſupereſſet : recepit tamen & vires & brachii uſum, ſimul ac ſolenni Lindenſis voti uſus eſt remedio. Iam verò ille, vertigine capitis, per

per quatuor hebdomadas jam à quadriennio recurrente agitatus, propeq́ue extra ſe poſitus, ubi ſub ipſum B. Iacobi Apoſtoli natalem ſimilis voti remedium adhibuit; tum animi, tum corporis vires abunde recepit. Eodem quoque ex loco Helena Chriſtophori Koslik vidua, cum filio Iacobo adfuit: quorum illa à plurimo jam tempore omnium membrorum atque oſſium cruciatibus conflictata, hoc demum anno maximam ſenſit allevationem, poſtquam B Virgini Lindenſi ſupplex votum peregrinationis fecit: iſte verò iisdem cum matre morbis, jam à puero exercitus, ut ipſa quoque pedum oſſa incurvarentur, nuperrimo autem vere, cùm morbus incrementum ſumeret, ſpes quoque vitæ jam decollarat, ſimili voto ad vitam vireſq́ue priſtinas rediit. Omnes, quantum eſt itineris pedibus confecerunt.

### III.

### Colnenſium quoque nonnulli adjuti.

Colno Maſoviæ oppidum, aliquot leucis abjunctum Lomza, è quo ſub hoc fere tempus Lindam commeare quotannis, interdum verò ſolenni & compoſito ſupplicantium agmine ſolent procedere: non ſine magno pietatis æquè ac conſtantiæ argumento, maximam ſedecim leucarū partem inter hæreticorum cuneos emetiendo. Inter eos, qui hoc anno inde advenerant, fuit matrona nobilis Ioannis VVykowski, viri itidem nobilis vidua, & Martinus Zaleski, dicti oppidi civis.

civis. Illa quatuor ante annos, intenſo ſenum hebdomadarum morbo, uſque ad mentis alienationem redacta, voto, quod Lindam pepigerat, animi corporiſque viribus reſtituta, peregrinationem, quam juſtis de cauſis hucuſque diſtulit, jam tandem abſolvit: iſte verò, ante triginta circiter annos, ulceribus tempore graſſantis tum peſtis confractus, nonniſi fulcris ſubalaribus niti, ac gradum facere per triennium potuit. Spoponderat ſe Czeſtochoviam peregrinaturum, morboque relevatus erat; verùm cùm illuc pergere tutò non poſſet, etjamſi iter ſemel ingreſſus jam eſſet, Lindam jam tertium voti ſolvendi, agendarumque gratiarum causâ accedit.

## IV.

## Grabovienſium quibusdam collata beneficia.

In ſupplicantium Grabovienſium agmine fuit Petri Pierikowsky viri nobilis conjux Sophia: quæ ante ſex annos, edito primo partu multis conflictata morbis, potiſſimùm verò tumore pedum umbilico tenus afflicta, per octo circiter hebdomadas movere ſe loco, viribus ſuis nuſquam potuit. Voto peregrinationis Lindenſis edito, reddita eſt ſanitati priſtinæ: Verùm cùm illa votum reddere cunctaretur, non cunctabantur dolores ac morbi recurrentes adeſſe ultores. Quare animo tandem ſumpto, in viam ſe dedit, & quindecim circiter leucas pedes Lindam uſque confecit. Tantundem itineris pedeſtres quoque confécêre è Wylowaty, Paræciæ Grabovienſis pago, Catharina Franciſci, uxor, & Agnes virgo, Jacobi



Digitized by Google

Smolinck viri nobilis filia. Illa provectæ jam ætatis mulier, ante decennium vi ulcerum, quæ caput oppleverant, sinistrum amisit oculum, amissura hoc anno etiam dextrum, morbis iisdem recurrentibus; nisi voto in tempore Lindam præmisso, haud longè jam posito occurrisset exitio. Jam verò Agnes caput & oculos propè biennium miserrimè affecta, & continuò affixa lecto, lucem nonnisi per quandam quasi nebulam intueri poterat. Voto cujusdam sacerdotis Lindam destinata, confestim lumen oculorum integrum recepit, doloribus capitis, quasi quodam mali vestigio nonnihil relictis. Pedes, uti diximus, quindenum leucarum viam emensa, matris quoque causâ donarium & preces Lindæ adjecit, ut opem, quam in se experta jam est, matri, quæ interno ulcere diu cruciatur, imploraret.

## V.

## Plerique nobiles è majore Skroda beneficiis cumulati.

Ad Grabowiensem quoque Paræciam spectant villæ, quæ major Skroda appellatur, incolæ. Hos inter Stanislaus vir nobilis, proximis à Pentecoste diebus, lecto per quatuor hebdomadas affixus, colicis, iisque acutissimis doloribus ad extrema jam adductus, nil nisi mortem opperiebatur; cùm morti jam proximæ ac fere præsenti, admodum R. D. Simon Jablansky Parochus Grabowiensis, voto Lindam nuncupato, intercessit. Ab eo enim momento, æger ad se rediit, & nunc undeviginti leucarum iter pedes absolvit. Pedes quoque tantundem itineris matrona

pro-

propè ſexagenaria, Domini Jacobi Skrodzky nobilis indidem viri uxor Anna, quæ convulſis gravi lapſu viſceribus, & continuo ſanguinis profluvio animam propemodum ipſam profuderat. Nemo erat, qui non morti proximam cenſeret; quippe, quæ vix animam præ ingruentibus pertinaciter deliquiis trahebat. Reſumpſit tamen à voto Lindam facto, & vitam, & vires; ut tantæ ætatis mulier, pedes tantum conficeret itineris. Parem eodem in loco, nec diſpare omnino fortunâ, expertæ ſunt Divæ Lindenſis benignitatem Sophia Petri Sokolcik, & Marina Domini Stanislai Skrodsky viri nobilis filia; quarum hæc omnium, dempto capite membrorum, maximè verò manuum ac pedum cruciatu afflicta, per viginti hebdomadas loco ſe movere non potuit; illa verò jam à triennio, pedibus maximè hiberno tempore, graviter ægra, proximo verò vere etiam caput & oculos vehementiſſimè affecta, per hebdomadas ſex, interdiu præſertim, vix intueri ac cernere quidquam potuit. Utraque votum Lindam nuncupavit, utraque exinde ſibi reſtituta (ita ut Marina dolore capitis omnino libera, aliqua doloris veſtigia in ſuffuſis nonnihil oculis retineat) tanti itineris moleſtias eundo redeundoque animosè pertulit.

VI.

Lachovienſium quidam eadem beneficia experti.

Simon Gawlik è Brzozowo Lachovienſis Paræciæ villa colonus, & Adami Kumielsky nobilis in eadem paræcia viri conjux Dorothea, dicto ſupplicantium agmini erant adjuncti; ut junctis animorum

votis atque precibus, communem omnium venerarentur auxiliatricem. Et Dorothea quidem octo ante annos febri ardentiſſimâ prope confecta, jam veluti moritura ſuper ſtramen humi fuſum depoſita erat: ſimul autem & in privatis precibus, & in ſacro Miſſæ ſacrificio Lindenſi Patronæ cauſa ejus fuit commendata, ſubitò ater ſuffragii calculus in candidum verſus, & illa abſoluta, quamvis gravatè, pedes nihilominus Lindam uſque abſolvit iter: Simon verò totâ ſuperioris anni Quadrageſimâ ad ipſius periculum mortis decubuit. Haud longè viâ aberat, quâ ad Æternitatem citra reditum, profectio eſt; quam ille tamen per votum interpoſitum in Lindenſem commutavit, ſanè perquam feliciſſimè. Et jam ſuperiore anno viam hanc emenſus, ut grati animi iterum ederet monumentum, remenſus hoc iterum anno eſt.

## VII.

### Nobilis è Viſnenſi tractu, pares gratiæ præſtitæ.

Non potuit ſine magna plurimorum admiratione, in tanto peregrinorum undique affluentium numero propè innumero, ſpectari nobiliſſima è Maſoviæ finibus matrona, illuſtris & magnifici Domini Matthiæ Grondzky, Viſnenſis, ut vocant, diſtrictus Propræfecti conjux Catharina. Quamvis enim humili cultu, qualis nimirum peregrinos addecet, non humili tamen, & ad perferenda aſpera viarum animo, & ad conteſtandam in DEUM Deique Matrem pietatem ſtudio, provectæ jam ætatis mulier, tum duodeviginti leucarum iter pedes decurrit; tum apud

Lin-

Lindam pro præſtitis ſibi, ſuoque è filia nepotulo Alberto, beneficiis gratias egit. Nam & ipſa octo jam ante annos graviſſimis capitis doloribus, per quàm vehementer exercita, voto ad B. V. Lindenſem edito convaluerat; votoque jam illo ipſo anno defuncta jam erat. Nepotulus verò, variolis & puſtulis ante triennium obſitus, cùm illæ intrò ſe recepiſſent, & merum putumque pus in os, oculos, auresque redundâſſet, omnium ſententiâ morti jam deſtinatus, voto per matrem aviamque Lindam concepto, incolumis evaſit, & nunc ſeptennis puerulus ſoſpitatrici ſuæ gratias apud Lindam egit. Ejusdem ſi non itineris, certè pietatis comites fuerunt Jacobus Bukowsky de Bukowo, & Simon Bukowsky de Lempice, nobiles ejusdem Viſnenſis provinciæ viri. Ille plantam dextri pedis, ſecuri fortuito læſerat: vulneri quamvis non admodum gravi, minùs tamen rectè curato, ſacer ignis ſe affuderat, ut non modò pedem, verùm & corpus totum vis mali pervaſerit: adeoque ille amiſsâ vitæ ſpe, pueri inſtar per hebdomadas quinque fovendus fuerit. At ubi votum Lindenſis peregrinationis ſucceſſit, fomentis opus non erat; reddita ſanitas ita eſt, ut ungues atque cutis toto illo pede ad femora uſque defluxerit. Quo tamen ille pede, nunc iter quindecim leucarum emenſus, voto Lindæ ſolutus eſt. Simon verò lue pecoris ab aliquot jam annis miſerè affectus, votum peregrinationis Lindenſis, ſuperiore anno, apud ſe agitabat; neq; tamen ad edendum tunc votum permoveri potuit: permotus tandem hoc anno; quando recrudeſcente iterum lue, nihil cunctandum ratus, ſimul cum voto ſalutem pe-



Digitized by Google

coris recepit, & ſimul ſolvendi quàm primùm voti conſilium quàm conſtantiſſimum cepit; quemadmodum hodie ritè ſolvit.

## VIII.

### Lomzenſium nonnulli adjuti.

Andreas Zakalinsky è Plocenſi juxta Lomzam Paræcia, anno proximè elapſo ter oculorum dolore, haud ſanè leni tentatus, parumque remediis undique admotis in ſua illa calamitate adjutus, adjutus denique eſt voto, quo ſe Deiparæ Lindenſi obſtrinxerat. Quo ut expediretur, duodeviginti leucarum iter, quanquam pedes, lætus tamen & incolumis expedivit. Pari felicitate ac facilitate expeditus eſt Joannes Gregorii è Drombrowa pago, in eadem Provincia ſito, filius morbis ſuis; quibus à triennio per aliquot menſes recrudeſcentibus vexatus eſt, quoad vis mali in ulcera demum erupit, & brachium dextrum cum axilla miſerè iiſdem affecit. Sed & Anna Gabrielis Lemausky, ferrariæ officinæ in eadem provincia præfecti uxor, malignâ lue per hebdomadas tredecim haud minùs miſerè affecta, neque ſenſuum viribus, neque corporis motu per octo hebdomadas pollebat. Amicorum conſilio atque votis, Divæ Lindenſi commendata, ſibique reſtituta, haud ita multò poſt, quamvis dentium cruciatu gravaretur, tredecim leucarum viam ingreſſa, & in ipſo itinere, etiam dolore illo dentium levata pro tam varia ſibi præſtita beneficentia, varias Deiparæ apud Lindam egit gratias.

IX. Lipni-

## IX.

### Lipnicenſium plures variis affecti gratiis.

Lipniky villa eſt, ad municipium, fortaſſe & ad Paræciam Colnenſem ſpectans; ad quam plures, à Linda Mariana derivati ſunt divinarum rivuli gratiarum. Simon Maliſzewsky totam æſtatem cum febri, aut potius cum morte, ſuperiore anno, conflictatus, auxilio Divæ Lindenſis, cui voto obſtrictus erat, victor evaſit Joannes Sobotka, minore aliquantò periculo ac tempore æger, jam nunc pedibus, quibus inſiſtere non poterat, totum emenſus eſt iter. Dextro potiſſimùm pedi ulcus fœdum inſederat, & tumorem propè incurabilem adduxerat: ſpes certè curationis nulla jam reliqua erat. Spes tamen, & curatio & ſanitas properè redierunt, ubi ille Lindam cum voto properavit. Nec minus eodem cum filio filiaque ſuâ properavit Urbani Turowsky, prætoris in eo loco uxor Urſula. Atque ipſa quidem manum ac genu dextrum, per annos decem peſſimè affecta; filius verò Paulus anno proximè evoluto ad mortem uſque æger; denique & Marina filia tredecim annorum puella, quotidianâ, quæ per biennium tenuerat, febri, voto ſigillatim pro unoquoque Lindam edito, ſunt relevati. Cui quidem voto, ut quàm exactiſſimè reſponderent, totum iter Lindam uſque pedeſtre illis fuit. Adjunxit ſe ejusdem itineris comitem quindecim annorum puella, Anna, Joannis Brdoch cauponis in eodem pago filiola, & tanquam à mortuis revocata, cum lacrymis Deiparæ Lindenſi coràm eſt gratulata. Anno proximè elapſo, morbo

quatuor hebdomadarum confecta, ter viſa eſt animam efflaviſſe; unde mater filiam jam omnino defunctam rata, reliqua vitæ ſervandæ præſidia adhiberi vetuit. Aliorum nihilominus conſilio perſuaſa, filiam B. Virgini Lindenſi permiſit offerri. Quod ubi factum, filia ad ſe rediit; &, ut præſentes orationem Dominicam recitarent, inclamavit. Ab eo tempore ſana, totum iter pedibus Lindam uſque eſt emenſa. Quacum, in eodem quaſi ſtadio, certare viſa eſt Agnes Joannis Kaſprzik ex eodē pago filia; quæ variis morbis, potiſſimùm verò febri ſupra annum detenta, ubi votum Lindam nuncupavit, levari ſenſim morbo cœpit: ubi verò iter, quanquam dubiâ adhuc valetudine eſt aggreſſa, morbus omnino receſſit. Quid verò, quod decrepitæ jam ætatis vir, nec minus afflictæ valetudinis, Simon Szafranck, quaſi de curſu eodem in itinere contendere videri potuerit cum juvenculis? ſupra tres annos pedem ſiniſtrum, interiore, ut ille appellabat, ulcere cruciatus, progredi nonniſi ægerrimè potuit; adeoque perinde, quanquam baculo nixus, lapſare potius, quàm conſiſtere videbatur. Paucas ante hebdomadas voto ſimul Lindenſi obligatus, ſimul omni morbo ſolutus eſt.

## X.

### Aliquibus, partim è Subſilvania, partim è Maſovia ſuccurſum.

E Subſilvania quidem viri nobilis Samuelis Strubicz è Branscenſi Provincia conjux Marina; è Maſovia verò Agnes viri itidem nobilis Pauli Chacik in Obiedzino conjux. Et illa quidem tum ſuo, tum filioli

lioli ſui Ignatii nomine, votum ſolvit: nam & filiolus morbo diuturno ad mortem fere proſtratus erat, & mater duarum hebdomadum morbo, vere nuperrimo ad idem uſque deducta periculum, voto Lindenſi reſtituta ſibi, tum in filio, tum in ſe eſt. Jam verò hæc ſuperiore anno tanto capitis eſt dolore exagitata, ut toto propemodum vere, non videretur præſens ſibi eſſe, dolorque omnis in oculos demum è capite redundaret. Et oculi quidem quaſi ſaburrâ oppleti, non tam dolore, quàm moleſtiâ quâdam incredibili (quam & orbitas ad extremum ſecuta eſt) cruciabantur. Remiſerat nonnihil malum, ita ut hoc anno graviùs recrudeſcere videretur. Cui ut tempori occurreret, ad B. V. Lindenſem recurrit; & voti rea, quindecim leucarum iter nonniſi pedibus ultro citroque decurrendum ſuſcepit.

## XI.

### Varii in Pruſſia variè adjuti.

Deipara Lindenſis, quæ aliis extra Pruſſiam, uti vidimus, beneficiorum ſuorum fontes ita benignè aperit, nunquam eos conſtitutis in Pruſſia, hoc eſt, ſingulari jure ſuis, claudere poteſt. Paucos, qui eâdem die referri in commentariolos potuerunt, hîc quoque referemus. Gregorius Lang Walterſmuhlenſis in Gutſtadienſi agro prædii curator, ejusdemque conjux Eliſabetha, ſuo filiique ſui nomine, gratias Deiparæ cum votis perſolverunt ſuis. Eliſabetha biennium fere integrum, diriſſima viſcerum tormina cruciatusque perpeſſa; & ſalutem, & vitam inſuper ipſam Deiparæ in acceptis refert. Jam enim per hebdo-

bdomadas quinque extra ſenſus poſita, nullâ niſi illius ope, quam ſupplex implorârat, luſtralisque aquæ hauſtu, & vitam & ſalutem recepit. Filiolus verò undenis, ab ipſa infantia morbo comitiali vehementer torquebatur: parentes eum annuâ, quoad vixerit, ad Lindenſem Ædem peregrinatione obſtrinxerunt, & ſanum exinde receperunt. Unde jam à decennio matri quotannis Lindam uſque comes adjungitur. Georgius Gronitzky in Roſengarten hortulanus, per tres annos vehementiſſimos brachii dextri cruciatus perpeſſus, uſum brachii totius jam amiſerat; verùm & uſum & ſanitatem integram recepit, ubi Deiparæ præſidium, quod implorârat, acceſſit. Andreæ Lech, qui in Schonwald Allenſteinenſis agri pago præfectum agit, uxor Lucia, per hebdomadas circiter quindecim morbo ante triennium confecta, tanquam morti proxima, bis ad extremum agonem ſacro erat oleo inuncta: ſimul autem, atque tum aliorum, tum ſuo quoque voto ad B. V. Lindenſem confugit, mox & ſenſibus, quibus orbata jam erat, & viribus, quibus etjamnum integris mulier ſexagenaria fruitur, reſtituta eſt. Georgius Albertus, defuncti jam Arnoldi Walther, Cæſarei quondam centurionis filiolus, à matre Anna, muliere in Boëmia juxta Pilsnam nata, tanquam voti reus, Deiparæ coràm oblatus eſt. Uterque pes, maximè verò dextrum genu ſupra duodeviginti menſes fœdiſſimè exulceratum, aut potius gangrænâ exeſum, nullâ vi humanâ, quæ variè adhibita, curari potuit, jamque matri perinde ac cæteris adempta ſpes vitæ erat. Qua de cauſa mater Deiparæ ſupplex, ejuſdem arbitrio vel celerem pueri mor-

ri mortem, vel ſanitatem committit. Vitam & ſalutem, vera vitæ Mater conferre maluit: unde puer, paucis à voto menſibus ſibi planè reſtitutus, ſedecim leucarum itinere matrem pedes comitatus, Lindam incolumis atque alacer venit. Martini in Surenbaum Seeburgenſis coloniæ pago hortulani uxor Anna, decem ante annos cæcitate repentinâ percuſſa, lumen cæli biennium integrum videre non potuit: vidit poſtliminio, ubi mentis aciem ad Deiparam Lindenſem intendit. Inde enim lux etiam corpori affulſit; quò quidem & illa quotannis, ut grata ſit, peregrina accedit. Denique & Suſanna è pago Koskow juxta Bialam oppidum in Ducatu Pruſſiæ ſito, quamvis non catholico, mulier catholica, intimo, ut ajebat, ulcere pedem ante quadriennium diriſſimè affecta, adeoque omnium metu ac ſententiâ pedis uſum amiſſura erat; quandoquidem remedia undique adhibita nihil profecerat, profecit tamen remedium Lindâ petitum. Inde enim jam ab emiſſo peregrinationis voto, pes reſtitutus omnino eſt; quo etiam illa pede duodeviginti leucarum iter probè emenſa eſt.

## CAPUT XVIII.

Sex Nonarum Quinctilium dies, & Viſitationis B.V.M. feſtum.

IAm proximo capite innuimus, Julium menſem, vel ob unum Deiparæ Eliſabetham Viſitantis feſtum, primas ſibi inter menſes anni apud Lindam vendicare. Cæterùm quo major eſt, eo, ſequentibusq; octo die-

diebus populi undique affluentis multitudo, eò plus eſt operariis Lindenſibus operæ atque laboris impendendum, & minùs relinquitur ad connotanda explorandaque beneficia divina temporis, quocirca & hîc omnia paucis attingenda.

## I.

### Præcipuæ ſupplicantium intra hos dies Proceſſiones.

Quandoquidem ad VI. Non. Jul. ipſo videlicet feſto Viſitationis, nimia eſt populorum, non modò è Pruſſia, verùm & ex aliis Regni Poloniæ provinciis confluentium multitudo, commodè factum eſt, ut annuæ, quæ hâc die fieri ſolebāt, Proceſſiones, in poſteriores transferrentur dies. Et tamen, ne ſic quidem ſatis adhuc proſpectum eſt, ſive operariorum, ſive etjam ſupplicantium commoditatibus; cùm in unam quandoque diem plura ſupplicantium agmina concurrant; quemadmodum hoc anno ad IV. Non. Quinctil. novena ſimul concurrerunt: quorum quaterna civitatum, reliqua pagorum variorum erant. Ac primi quidem illâ die, quæ in Dominicam incurrerat, adfuerunt Allenſteinenſes, qui quanquam magnis octo leucis abſint Lindâ, nullo tamen anno publicam hanc ſupplicationem, quæ & numero & dignitate ſupplicantium, cū quavis aliarum civitatum facilè certaverit, intermittunt. Ductor ejus agminis hoc, præcedentibusq; annis fuit admodum R. D. Euſtachius Rauſch, Archipresbyter Parochus, & S. Theol. Baccalaureus. Proximè confecuti ſunt tum

Sec-

Seeburgenſes, tum Biſchburgenſes, uſitatâ, hoc eſt, inſigni pietate, & frequentiâ: horum Ducem egit admodum R. D. Valentinus Majewsky Parochus, illorum verò admodum R. D. Joannes ab Hatten, Archipresbyter Parochus, & unà Camenecenſis Canonicus, uterque nobili apud Varmiam genere ortus. Acceſſerunt extra ordinem Reſſelienſes qui ad ſtatas quovis anno Proceſſiones, quintam hoc anno ob ingruentium undique belli periculorum metum adjecerunt, duce & auctore admodum R. D. Sigiſmundo Forſchero Archipresbytero Parocho. Interea adfuerunt eâdem die Francknovienſes duce admodum R. D. N. Matakowsky, Ramſovienſes ductore admodum R. D. Parocho ſuo, Kellenſes duce admodum R. P. Andrea Krajewsky, Leginenſes, & Fredemburgenſes ducibus locorum paſtoribus. Quibus poſtridie ad III. Non. Jul. ſucceſſerunt ex Allenſteinenſi agro tum Klebergenſes, tum Bertingenſes, Parochis locorum ductoribus.

## II.

## Gemina intra S. Ædem Lindenſem curatio, miraculo ſimilis.

Ipſo die Viſitationis B. V. intra ipſam Deiparæ Lindenſis Ædem, geminum eſt beneficium ægris præſtitum: quod nonniſi miraculi inſtar ab omnibus eſt habitum. Anna nobilis & generoſi D. Bosky uxor, perilluſtris ac reverendiſſimi D. Alberti Pilchowicz Epiſcopi Hipponenſ. & Suffraganei, Vicarii generalis, atque Canonici Varmienſ. germana ſoror, filiolam infantem jam per annum febri perpetim laboran-

rantem, ſecum adduxerat, ut ope B Virginis ſanam reduceret. Reduxit enimvero; intra ipſam quippe Ædem ſacram ardor febrilis reſtinctus eſt, omnibus admirantibus, matre verò etiam inſuper lætitiâ geſtiente. Plus tamen admirationis habuit ſanitas Andreæ Berg eodem collata tempore ac loco, is quidem in Ducatu Pruſſiæ, haud procul Lindâ, intra oppidum Sehiſten natus, & in Lutheri ſecta à puero nutritus erat; ſed à viginti quinque annis ad catholicam regreſſus Eccleſiam, operam ſuam atque obſequia illuſtriſſimo Domino Ludovico Zielensky, Caſtellano Sieprcenſi addixerat, & in Krukowo, à ſanctæ memoriæ B. Stanislai Koſtka heredibus empto fundo rei œconomicæ præfectũ agebat. Incertum, anginâ, vel potius ulcus aliquod collum hominis inſederit, ac fauces undique occupârit; ut parum abfuerit, quin ſuffocaretur, aut etiam fame enecaretur; quippe, qui per viginti quinque hebdomadas cibum, potumvé nullum capere, nec niſi vino guttatim inſtillato refocillari utcunque potuerit. Non deerant remedia undique conquiſita; nam & Varſaviâ & Gedano conſilia juxta ac medicamenta ſunt adhibita: omnia tamen incaſſum. Interim homini juxta Lindam nato, Lindæ, Lindenſiumque beneficiorum memoria ſubit, & ſimul ſuo, aliorumque conſilio, votum peregrinationis concipitur; pauloque pôſt Lindam versùs corripitur iter. Ubi in Sehiſten ventum, doloribus noctu, pro more ingraveſcentibus, clamores quoque pro eodem ægri more, totâ ingraveſcebant nocte, ut neque ipſe, neque intra ædes quiſquam vel tantillum quietis haberet. Ubi diluxit, proſequutus eſt iter; & cùm Lindam octavâ circiter ante

meri-

meridiē horâ veniſſet, ſacellum ingreſſus, Aram majorem ſupplicabundus ter obiit: mox quaſi animo linqueretur, captandæ auræ causâ extra ſacellum ſe proripit. Et ecce! ſimul ac ſacello pedem extulit, rupto, quod fauces collumque obſidebat, apoſtemate, ſonitus circum caput hominis increpuit; ut homo caput ſibi fiſſum ratus conſternaretur, & manus, explorandi causâ, capiti quidem primùm, tum deinde collo admoveret. Interim triplici, quod crepuerat, vulnere omnis è collo ſanies, inſtar fictilis, ut ille ajebat, ollæ, cum ſtrepitu atque impetu vehemente excidit in terram; eodemque momento & guttur & fauces laxatæ, ut cibi potusq; deſiderium vehemens ſequeretur. Vicinum quocirca ſacello fontem adit, & hauſtâ inde aquâ ſeſe refocillat, alligatisque faſciâ vulneribus, ſanus jam ad ſacellum regreditur; miraculumque circa ſe factum, omnibus, ſed maximè perilluſtri & adm. R. D. Ludovico Fantonio, Varmienſi Canonico & Adminiſtratori Allenſteinenſi ac Varſavienſi Cuſtodi, coram præſenti, magnifica cum divinæ bonitatis prædicatione & gaudio enarrat.

III.

Maſoviorum quidam gratias experti.

Nobilis vir, cujus tamen nomen adnotatum non eſt, tametſi mihi quoque, multis præſentibus atque audientibus rei ſeriem coràm enarrârit, biennium integrum captus oculis, nobiliſſimam totius corporis partem, quanti oporteat æſtimare, non tam fruendo didicerat, quàm carendo. Nobili quocirca auſu, vel potius in Deiparæ præſidio fiduciâ, aciem mentis Lindam versùs flectit,

& vo-

& voto peregrinationis edito, corporis quoque aciem recipit: quâ proſperè uſus, viginti propè leucarum viam, pedes decurrit. Brevius aliquanto viæ ſtadium, ſed non minùs prolixâ in Deiparam obſervantiâ, ac pietate decurrerunt, tum Sophia matrona propè ſexagenaria, nobilis viri Domini Stanislai Gromadzky, de Gromadzino vidua; tum Anna virgo, nobilis itidem viri D. Joannis Kielczewsky filia: utraque enim è Colnenſis in Maſovia territorii finibus, venerat; & pedes ûtraque, quidquid Lindam uſque interjacet ſpatii, confecerat, quia utraque ſingulare Divæ Lindenſis beneficium experta. Sophia enim, pleriſque de familia, ante biennium peſte ſublatis, voto ad B. V. interpoſito reliquos omnes ſervavit; ut ab ea hora, ne quidem unicus, ex ulla ſubditorum domo, mortuus ſit. At verò Anna per medium circiter annum omnium artuum, ſed præcipuè capitis cruciatibus exercita, vel potius jam proſtrata (quia majorem temporis illius partem decumbere coacta) ſimili voto, ad ſe viresque rediit. Neque aliud remedium profuit Catharinæ Joannes Marcik coloni in Lipkniky uxori; quæ totum corpus, ſed caput in primis atque pedes, totum ſuperioris anni autumnum ægra, identidemque decumbere compulſa, animique deliquiis, frequentibus æquè ac gravibus, ad extrema jam redacta, cujusdam ſacerdotis voto, ejus nomine Lindam nuncupato, priſtinæ reddita ſanitati, nunc pedes iter omne abſolvit.

IV. Sec-

## IV.

### Seeburgenſium quidam variis affecti beneficiis.

Thomas Underkau, è Kunigkendorff Seeburgenſis municipii pago hortulanus, cephalalgiâ pluribus jam annis laborans, tinnitu, ut ſibi videbatur, intra aures identidem perſonante, graviter afficiebatur. Poſteaquam, à quatuor circiter annis Lindam frequentare ex voto cæpit, cæpit unà melius habere; & novum ſemper inde experiri allevamentum. Cujus etiam causâ frequentiùs Lindam adit, ut frequenter allevetur. Non minorem ex eodem municipio allevationem expertæ, tum Dorothea Nicolai Beer ex Polkhaim, tum Eliſabetha Simonis Fiſcher, ex Proſitten filia; illa enim malignâ tredecim hebdomadum febri, propè ad mortis periculum deducta, hæc verò eandem per undecim hebdomadas, minùs quidem periculosè, at non minùs graviter paſſa, utraque implorato Deiparæ auxilio ſanata eſt. At verò Matthæi Schipp Beſovienſis coloni uxor Clara, non ſibi modò, verùm & proli idipſum ſalutare auxilium ſenſit. Quaternam prolem vel omnino non vivam, vel ad luſtrales Baptiſmi aquas tantummodo vivam protulerat: ubi Lindenſem imploravit, quaſi Lucinam, geminam deinceps enixa eſt prolem, non modò vivam, verùm & valentem, & ab undecim jam annis, peregrinationis annuæ perpetuò comitem.



Digitized by Google

## V.

### Gutstadienses varia consecuti beneficia.

Bartholomæus Knobloch, è venerabilis Capituli Varmiensis pago Steinberg dicto colonus, quatuor propemodum annos, cùm aliis morbis, tum maximè cruciatibus spinæ dorsi attritus, per septendecim hebdomadas, neque se strato commovere, postmodum verò neque humi, neque alibi jacendo invenire quietem potuit. Invenit denique non quietem modò, verùm & salutem, ubi sub Lindæ Marianæ umbram, edito voto, se recepit. Umbram eandem, in phrenitide sibi salutarem expertus Martinus Schepper, in ipsa civitate Gutstadiensi ab obsequiis hoc tempore versatus. Non erat quidem diuturna, sed vehemens admodum febris, quæ hominem, intra hebdomadas tres, de statione mentis dejecit. Restitutus est, ubi votum Lindæ revisendæ fecit.

## VI.

### Allensteinensium nonnulli, beneficiorum participes.

Pridie Non. Jul. adfuerunt, tum Georgius, Andreæ coloni è Kleberg filius, tum Dorothea Georgii Bimhoff è villa Thomsdorff uxor. Et hæc quidem pedem sacro affectum igne, cùm equis mersisset, ad exulcerationem & gangrænam usque corruperat: sed restituit eundem voto Lindam edito; ut Bertingensis paræciæ, supplici jam admista agmini, totum iter pedes confecerit. At verò Georgius apostema enorme, palmos aliquot sub dextra aure prominens habuit; & inde

inde non dolorem modò acerrimum, verùm & opprobria quorundam (anſerinum illi collum, neſcio quo factum) palàm objectantium amaro prorſum animo paſſus eſt. Acceſſit ad hæc, non leve vitæ periculum, cùm malo ad obſtruendas fauces producto, vix aliquid potionis, cibi omnino nihil, per octo minimum dies admitteret. Sola deſperatis in rebus ad B. V. Lindenſem ſupererat ſpes; cui poſtquam ſe voto dedicavit; qui ab ipſo Domini Natali, ad Pentecoſten uſque miſerrimè habuerat, revaluit, ut vix tenue morbi veſtigium, Lindam, quò pedes acceſſit, ſecum attulerit.

## VII.

### Vormditenſes quoque variè adjuti.

Simon Tauſch Vormditenſis, annos perplures, non ſine magnis animæ corporiſque periculis, Germaniam longè lateque pervagatus, cùm ſæpe hæreticos inter verſaretur, ac, ne quid ex illa hominum lue, ſibi quoque afflaretur noxæ, vehementer pertimeſceret, votum peregrinationis ad B. V. Lindenſem (ſi animi præſertim, ſibi incolumitas conſtitiſſet, & incolumis revertiſſet in patriam) nuncupavit. Profuit homini iſta in DEI Matrem pietas, non enim animam duntaxat, verùm & corpus, cùm pleroſque variè ante ſe contrucidatos non rarò vidiſſet, incolume ſervavit. Qua de cauſa, vixdum in patriam redux, peregrinationem nonniſi pedes Lindam abſolvit, ipſis Nonis Quinctilibus. Quâ die etiam Gregorius Schilp è Dietersdorff Vormditenſis agri pago advenit; qui tantis capitis cruciatibus ante triennium afflictus eſt, ut vix ſui compos eſſe, diſcernere

ſanè, diem inter ac noctem ſatis non poſſet. Potuit tamen nonnihil ſibi redditus diſcernere, quo loco malis ſuis quærenda eſſent remedia; quando Lindenſis Deiparæ imploratâ ope, melius habere continuò cæpit. Quod ipſum iteratò quoque fecit, cùm febris admodum periculoſa nec minùs diuturna, hominem invaſit. Neglectis enim, quæ incaſſum aliunde quæſierat, remediis, ad ſuam iterum Liberatricem recurrit; iterumque perſanatus, ut gratias ageret, totum iter pedes Traumburgo, unde oriundus eſt, decurrit.

## VIII.

### Meelſaccenſibus præſtitum auxilium.

Andreæ Everlein arcularii Meelſaccenſis conjux Anna, non vanum in partu metuebat periculum; quod, ut ſperabat, voto Deiparæ Lindenſi edito facilè avertit; ideoque & partum ſolito experta leviorem eſt, & uberiores apud Lindam gratias egit. Non minores tamen gratias egit Ambroſius Thater è Meelſaccenſis agri pago Hechſtern dicto colonus; quippe majoribus ope Deiparæ malis erutus. Maleficæ cujusdam (quæ demum flammis addicta, hocquoque crimen faſſa eſt) operâ, & inſanis artibus, ad incitas redactus, plus dimidio anno quietem nullam, niſi decumbendo, capere poterat, tantum abeſt, ut agriculturæ, aut promovendæ rei familiari operam daret. Quod potuit unum, à Deipara Lindenſi contra faſcinos, & maleficia omnia, præſidium imploravit; & non gravatè, quemadmodum Lindæ palàm faſſus eſt, obtinuit.

IX. Bruns-

## IX.

### Brunsbergenſes votorum compotes.

Ipſis Nonis Quinctilibus Andreas Jeſchke, civis Brunsbergenſis, editum filii ſui Andreæ nomine votum, Lindæ reddidit. Ante tredecim circiter annos, variolis ita obſitus erat filius, ut ſuffuſo undique vultu, de oculis videretur plurimorum judicio eſſe jam actum. Verùm parens acutiùs mentis aciem intendens, in B. V. Lindenſi advertit reconditum filio ſuo, non modò collyrium, ſed & contra omnes calamitates alexipharmacum. Neque ſpe fraudatus eſt ſuâ: ideoque gratias Deiparæ acturus, quindecim leucarum iter pedes eſt emenſus. Vnâ circiter leucâ minus, ſed jam ab undecim continuis annis emetitur Matthæi Lang, è Bleishewen vicino Brunsbergæ pago coloni uxor; quæ ante illud tempus, tum puerperarum expoſita periculis, tum gutturis & faucium doloribus miſerè affecta, in una B. V. Lindenſi præſidium tot malis abundè invenit.

## X.

### Hæreticis quoque non negata auxilia.

Eâdem die, ſed non eodem è loco, plurium annorum uſu confirmatam ad B. V. peregrinationem obierunt, quamvis non catholicæ mulieres, Barbara è Peterkaim hortulani, & Dorothea Georgii Hubner, è minore Roſenthal, agri Raſtemburgenſis villa, inquilini ac fidicinis uxor. Hæc tum ſuo, tum filiolæ Dorotheæ, quam habebat peregrinationis comitem, nomine, quaſi penſum quoddam annuum, Deo

ac Deiparæ perſolvit. Mater enim veneno per ma
ficium propinato contabeſcebat, ut nulla vitæ ſ
reliqua eſſet; filia verò variolis faciem totam, n
tam opplentibus, quàm cruſtæ inſtar obtegentib
non levi in periculo verſabatur; utrumque felici
depulſum eſt; non alio, quàm voti Lindam facti p
ſidio; quid reſtauratâ quotannis peregrinatione t
imploratur, tum confirmatur. Jam verò Barbara
liam quoque viæ peregrinationiſque comitem
duxit: præſertim cùm & filia (quemadmodum plu
ante annos mater) vehementibus capitis dolorib
vexata, requiem & levamentum Deiparæ ope in
nerit. Quod ipſum quodammodo in ſe experta
è Ducatu mulier non catholica, Joannis Furlacter
Tauk Rheinenſis caſtri pago uxor Anna. Duodec
enim hebdomadas febrim paſſa, voto Lindam fa
liberata; cùm votum ſive negligentiâ ſuâ, ſive va
intercurrentibus obſtaculis differret, febri hoc i
rum anno recurrente, Lindam novo iterum voto
currit; exindeque ſanè, non ampliùs procraſtin
dum aut cum Divis ludendum rata, quantocyus L
dam iter inſtituit.

## CAPUT XIX.

Octo Iduum Juliarum dies.

NOnas Julias, quæ etiam *Nonæ Caprotinæ* dictæ,
cauſis à Macrobio (*a*) Plutarcho (*b*) allatis,
cipiebant apud Romanos Ludorum Apollinari
dies conſequentes: quibus Ludis vetus illud, quod

P

(a) *lib. I. cap. II.* (b) *in Romulo.*

proverbium deinde abiit, natum eſt, *ſalva res, cùm ſaltat ſenex.* Salva prorſum, apud Lindam Marianam res eſt, ubi Deo, per Matrem ſuam operante, non modò ſenex, verùm, ut divini vatis (a) utamur verbis, *ſalit ſicut cervus claudus.* Quod cùm aliàs non rarò, tum & his diebus factum jam videbimus.

I.

Claudis quibusdam ſubventum.

Ipſæ votivæ Tabellæ his diebus oblatæ, claudorum curationem atteſtantur. Nam ad VI. Id. Jul. effigies pedis, ex argento expreſſa cum adjuncta catenula, dedicata, & Aræ majori affixa eſt; haud dubiè, ob depulſum aliquod pedum vitium. Sed & ad III. Idus Julias virgo quædam Brunsbergenſis, eadem de cauſa, cum adnexa catenula parvam pedis effigiem, anathema ſuſpendit. Eâdem quoque die Dominus N. Nenchem Conſulis Heilsbergenſis filius, & ipſe, ſuos inter cives ſpectabilis, non alia de cauſa peregrinatione ſuâ functus eſt. Prius, quàm jugum ſubiiſſet matrimonii, ſive iſchyade, ſive aliis coxendicem inſidentibus doloribus, ad claudicationem uſque aliquam eſt adactus. Eques quocirca Lindam, non ſine maximis doloribus ægrè pervenit; ſed ubi ſupplex Deiparæ factus Lindæ eſt, citra omnem dolorem, ac planè ſanus remeavit domum. Jam matrimonii implicatum jugo idem, aut ſimilis morbus occupavit, & ad terram nonnihil inflexum, præſertim ambulantem, tenuit; eâ pertinaciâ, ut nihil herbis, nihil aliis



(a) *Iſa. 35. 6.*

cederet fomentis. Cessit tamen voto, quod conjux mariti causâ Lindam nuncupavit; quoque seipsam ad pedestre iter Deiparæ obstrinxit. Inde morbo solutus, & ipse Lindam accessit, atque suæ Liberatrici Tabellam argenteam, nigro undique ligno inclusam dedicavit. Ex eodem quoque Heilsbergensium municipio, sub hoc ipsum tempus, atque eadem fere de causa sua reddiderunt vota, tum Dorothea Bartholomæi Parsch, ex Lauternhagen conjux, tum Elisabetha Thomæ Preiss, ex Medigen coloni itidem uxor: illa ante octo jam annos, per aliquot hebdomadas morbo afflicta, incedendi facultate erat destituta: hæc sciathicam per aliquot itidem hebdomadas passi, ad easdem prope incitas erat redacta: utraque sanitatem Deiparæ Lindensi in acceptis apud Lindam retulit.

## II.

### Heilsbergenses nonnulli morbis erepti.

Andreas Dick ipsius civitatis municeps per duodeviginti circiter menses eâ noxâ affectum habebat brachium, quæ nullam homini quietem relinqueret. Ambulando, aut potius currendo, non tam malum ipsum, quàm continuus & infixus membro dolor, utcunque erat discutiendus. Discussus nihilominus, & quasi à stirpe revulsus est, post quam æger primam, octo jam ante annos, profectionem Lindam fecit; quam consequentibus deinceps annis nunquam intermisit; ne quid de grati in Deiparam animi officio videretur remisisse. Andreas quoque Preiss Heilsbergensis civis, novem hebdomadarum febri prostra-

ſtratus decumbebat. Allevari fortaſſe nonnihil potuiſſet morbus, ſi conjugi ſua conſtitiſſet valetudo; verùm & hæc eodem proſtrata morbo, ope, quæ marito impendenda erat, quàm maximè indigebat. Opem utrique facilè impendit Deipara, apud Lindam per votum invocata. Quam quidem opem, ex eodem municipio ſenſit Chriſtophori Glohm Schulenſis inquilini filia Dorothea. Capitis dolor non quidem diuturnus, quippe hebdomadam vix exceſſit, ſed perquam vehemens erat; & profligatis breviſſimo tempore viribus, ægram lecto affixerat. Facilè tamen, & morbo & lecto eſt levata, poſtquam, voto Lindam edito, allevantem DEIPARÆ manum ſenſit.

## III.

### Biſteinenſium quidam eadem beneficia conſecuti.

Suburbium Biſteinenſe incolebat Andreas Ginter, cùm hominem morbus invaſit; qui hebdomadas quatuor ita tenuit, ut præ acerbitate ac vehementia doloris, retinere animam vix ampliùs poſſet; cunctis de vita ejus palàm deſperantibus. Retinuit nihilominus & vitam, ubi implorata apud Lindam DEI Mater, quaſi medicâ manu, & dolorem & morbum omnem abſterſit. Quod ipſum uxori quoque illius, per ſeptem hebdomadas, jam ante quinque annos periculoſè decumbenti evenerat. Pari enim tum facultate, tum facilitate, quidquid erat morbi, jam tum diſpulerat. Quod etiam hoc tempore præſtitit filiolæ Matthæi Weiſs Cæciliæ, quæ febri novem menſium, neque pro ætatis, neque pro virium jam

proſtratarum imbecillitate reſiſtendo aut perferendo erat. Pertulit tamen, quin & repulit malum; ubi imploratum Deiparæ auxilium præſtò fuit.

## IV.

### Reſſelienſium nonnulli morbis levati.

Ad VII. Id. Jul. civitatis Reſſelienſis Notarius Dominus Michaël Caſtnerus, comite uxore Catharinâ Brandtin, Lindam venit, & tabellam argenteam *B. Virginis*, ut vocant, *doloroſæ*, effigie inſignem dedicavit; quæ & relevatæ nonnihil valetudinis monumentum eſſet, & ſpei de penitus reſtituenda argumentum. Paralyſis repentina hominem, diu jam antè invaſerat, & in hemiplegiam deſiiſſe videbatur; dimidium enim corporis, præſertim verò manum ac pedem ita occupârat, ut velut influente deſtitutum ſpiritu, & motu deſtitueretur & ſenſu. Nullum genus medendi intermiſſum eſt, ſed maxima ſpes medicinæ & ſalutis in Deipara Lindenſi collocata; præſertim ubi manus atque aliæ medentium artes parum omnino profecerint. Tum enimvero ille majore fiduciâ, DEI Matrem interpellare, & non domi modò ſupplices fundere preces, verùm & Lindam, cùm morbus permitteret, identidem proficiſci. Et ipſe faſſus eſt, & eventus quoque docuit, ſingulariter à Deipara fuiſſe adjutum, præſertim cùm non curru duntaxat, verùm & pedibus (quos neque domo, neq; adeò lecto promovere quoquam poterat) extra civitatem progredi jam poſſet. Quo ille Deiparæ beneficio magnopere lætus, non deſtitit citra moram, ad agendas Lindæ gratias, iter maturare, & una Anathema dictum offerre. Non

minus

minorem, in minore quidem, etſi non admodum diſſimili malo, videtur opem experta Joannis Ploin, cauponis quondam Biſchdorſtenſis filia Catharina. Per decem circiter hebdomadas coxam & femur ſiniſtrum graviſſimus occupârat dolor; qui tamen ilico recedere coactus eſt, poſtquam ægra vovit, principiò quidem ſe Lindæ Aram majorem geniculatim primo quoque tempore obituram, poſtmodum verò quovis anno, quoad vita & vires ferrent, ſacrum Lindæ locum reviſuram.

## V.

### Traumburgenſium quibusdam ſuccurſum.

Dietersdorff libertinorum pagus eſt, Traumburgo haud longè diſſitus. Ex eo Urbani Grunwald uxor Anna, profectionem, cùm ſuo, tum filiæ nomine antè promiſſam, inſtituit Lindam. Conficiebatur Agnes filia, uti quidem videbatur, febri; re autem verâ, maleficiis (quibus affectam fuiſſe poſtmodum conſtitit) ſenſim contabeſcebat. Eum in modum deficiente filiâ, mater Lindam votum concipit, & filiam, ut idem faceret, induxit. Malo ſenſim remittente, filia votum exolvere non diſtulit, matrique exemplo præivit, ut & illa pedem utrumque miſerè affecta, adeoque clauda, ſimile à Deipara beneficium expectet. Ex eodem pago Laurentii Hilbrand libertini uxor Catharina, ob luem, quâ totius villæ pecora conficiebantur, votum Lindam nuncupavit: & quia ſingulare ab eo tempore ſenſit Deiparæ auxilium, ne quid de grati animi laude moras nectendo detereret, citra moram ſolvendi voti causâ Lindam pertexit.

VI. Bruns-

## VI.

### Brunsbergenſes variè adjuti.

Ad VI. Id. Jul. Brunsbergâ, & poſitis in vicino pagis adfuerunt Lindæ circiter triginta homines, quos conſequentibus diebus alii plures conſecuti ſunt. Hos inter generoſus Dominus N. Stoſſel ordinarius militum Varmienſium Procenturio, Anathema Deiparæ Tabellam argenteam è catenula itidem argentea pendulam fixit. Monumentum id quoque eſt, auxilii in paralyſi, quâ diu laborabat, præſtiti. Jam verò Joannes Manitz civis itidem, & Vitriarius Brunsbergenſis febri continuas novem hebdomadas conflictatus, nullo alio niſi voti Lindam editi remedio perſanatus eſt. Neque quidquam ad confirmandam, collocandam in tuto valetudinem deerat, quàm ut ille voto ritè defungeretur, iterque Lindam acceleraret. Verùm, ut ſunt hominum mores, ſecundæ jam res adverſorum memoriam, aut certè ſenſum, & remedia illi quoq; abſtulerant; præſertim cùm quædam, quæ hominem haud gravatè diſtinerent, interveniſſent. Nuptiæ quædam apparabantur, quibus ille operam magis ſuam, quàm ſibi neceſſariam reputabat; aut, ſi non ita reputabat, differendo Lindenſem profectionem, aliis ita reputandi anſam dabat. Ne porrò ſe magis quàm ſuperos ludificaretur, iisdem propè veſtigiis, quibus receſſerat, ſebris rediit, & hominem alias ſeptem hebdomadas graviter afflixit. Tum enimvero *Phryx plagis* melior; iterum Divæ Lindenſi ſupplex advolvitur, & iterum morbo levatur; levatusque iter quindecim minimùm leucarum

pedes

pedes magnâ alacritate ingreſſus, non minore decurrit. Non erat iteratò ſtimulo ad decurrendam hanc viam opus tum Michaëli Flieg, tum Martino Lang, civibus itidem Brunsbergenſibus: quorum hic ventriculi dolore per hebdomadas ſex, ille verò febri per octo laboraverat hebdomadas. Uterque voto Lindam nuncupato ſibi reſtitutus, citra novum ſtimulum profectionem Lindenſem, quam promiſerat uterque, pedes abſolvit. Non diſpari alacritate, idem emenſa eſt iter Joannis Scheppel operarii Brunsbergenſis conjux, quæ comitiali morbo ab aliquot preſſa annis, cùm Deiparæ Lindenſis ope, eo fuiſſet exempta, iterum iterumq; Lindam adit, ut iterum atque iterum gratam ſe & beneficii memorem conteſtetur.

## VII.

### Meelſaccenſes ſimilibus affecti beneficiis.

Ad III. Id. Jul. quosdam ſuorum comitatus eſt, qui propemodum omnes ſuperiore anno duxerat Lindam, adm R. D. Archipresbyter Meelſaccenſis. Erat inter alios generoſus D. Petrus Schwengel Burggrabius, ejusdemque conjux Catharina, ſuo, & filii nomine voti rea. Ipſa enim periculoſo uteri profluvio redacta eò demum erat, ut alterâ jam hebdomadâ non remittente morbo, nihil aliud niſi mortem præ oculis haberet, & ad eam ſacro muniretur viatico. Occurſum eſt tum morti, tum ſævienti etjamnum morbo, ubi votum ad B. V. Lindenſem intervenit: eodem enim tempore, & ſpes vitæ, & ſalus ægræ rediit. Simili voto rediit, & ſua bimulo filiolo ſalus. Herculeus morbus adhuc infantem invaſerat, & non

Digitized by Google

non ſemel intra diem concuſſerat: qui tamen redire ampliùs non potuit, poſtquam infantis causâ, votum à parentibus Lindam miſſum eſt. Par fere excepit fortuna Euſtachium, Joannis Schroter è Damerau Meelſaccenſis coloniæ pago filiolum quadrimum. Quatuor hebdomadas ægrotus, nullam vitæ ſpem reliquam faciebat; ut & cereus tanquam morituro porrigeretur accenſus, & vicini ad complorationem, pro more, confeſtim accurrerent. Eodem planè tempore, mater ex morbo decumbebat, ut à ſolo patre, ſi qua eſſe poſſet, ſpes exſpectaretur ſalutis. Non defuit partibus ſuis pater; Lindam enim filium devovit, & ſanum exinde habet; quem mater paulò pòſt reſtituta, Lindam deduxit; & ad ſuam filiique cauſam, pecoris (cujus ægroti curam eidem patronæ commiſerat) conſervati ergo, gratias, uti par erat, ſolennes adjecit. Ex eodem pago, eâdem ipsâ die Andreas Eichholtz unà cum Catharina uxore, & ſe, & Petrum filiolum ſexennem, filiamque octennem Deiparæ voti reos præſentes ſtiterunt. Ipſe enim pater, cùm frequentiùs, præſertim in Templo, linqueretur animo, mater verò ternam prolem continuò mortuam enixa cùm eſſet, idemque periculum iterum gravida vereretur, voto ſe Lindenſi Deiparæ obſtrinxerunt; & tum in ſe, tum in liberis auxilium ſunt experti ſingulare. Nam & filiola, cùm membris omnibus eſſet contracta, neque uſquam per hebdomadas ſex progredi, aut loco ſe commovere vi ſuâ poſſet; & filius, cùm periculoſo teneretur morbo, ab ipſa voti nuncupatione ſanitati ſunt redditi. Aut parem aut nihilo

pro-

propè minorem filiis ſuis, Eliæ quadrimo, & Georgio necdum bimulo, impetravit Michaël Rickwart, ex ejusdem municipii pago Stengenen dicto libertinus. Calculo Elias ita affectus erat, ut, cum urina per triduum invenire meatum non poſſet venter, adeóque totum pueruli corpuſculum enormiter iterum atque iterum intumeſceret. Simul à parentibus votum Lindam factum eſt, puer ab eo tempore ſanatus, liber huculque eo malo perſtitit. Cujus causâ dum pater comitante uxore Margaretâ Lindam profecturi Georgium domi relinquerent, puerulus ad ferrum è feneſtra prominens, manicâ interceptus adhæſit, indeque pendulus brachium ſiniſtrum luxavit. Adhibitus eſt chirurgus, qui in eo mali genere, alioqui peritiſſimus habebatur: ſed ob teneritudinem oſſium, ne quidem tentare pueruli manum potuit. Parentes quocirca illum peregrinationi ſuæ & votis antea factis adjunxerunt, & manus pueruli præter ſpem, continuò ſanata eſt. Geminam ergo prolem iſti parentes Divæ Lindenſis beneficio incolumem habent: at alii ex ejusdem municipii pago Zeugninen dicto quaternam. Andreæ Hoffman tres filiæ & filius unus erat, quorum nullius ætas nonum annum exceſſerat. Filiæ cùm primùm loqui ac frangere verba inciperent, nuſquam flectere in articulos vocem potuerunt, ut deinceps promovente jam ætate minùs promoverent verba, ſermoque nuſquam adoleſceret. Interpellata à matre divini verbi Mater, ut omnes & articulatè & purè loquerentur, facul-

facultatem conceſſit. Quod ubi mater eſt conſecuta, non dubitavit filiolo fere ſexenni, eodem laboranti vitio, beneficium idem implorare; quem eadem de cauſa unà cum filiabus ad VI. Idus Julias Lindam deduxit. Atque hunc in modum exerrante his linguâ, Simoni Erntan, Æditeo Meelſaccenſi, non jam lingua, ſed mens & ratio exerrabat. A duarum hebdomadum inſomnibus diebus æquè ac noctibus, & perdominante interim morbo delirium id ortum erat: quod tamen implorata Divæ Lindenſis ope facillimè diſcuſſum, eaque de cauſa pridie Iduum gratiæ apud Lindam actæ.

## CAPUT XX.

Reliqui dies menſis Julii.

TRansvectionem Equitum Romanorum, Idibus Quinctilibus fieri ſolitam, quam Dionyſius Halicarnaſſæus (a) *egregium ſpectaculum, dignumque imperii magnitudine*, vocat, excipiebant conſequentibus inde diebus tum *Lucaria, Turrinaliaq;* ſacra, tum *Neptunales* atque *Circenſes* ludi. Plures iiſdem diebus apud Lindam Marianam intervenerunt feriæ, ſive ſapientiæ divinæ ludi; quippe coram Domino (ut ipſa (b) gloriatur) *Ludentis omni tempore; ludentis in orbe terrarum;* cujus etiam *deliciæ, eſſe cum filiis hominum*. Ad quorum quidem ludorum ſpectacula, plurimi undique mortales concurrêre, tametſi ſolito pauciores in commentariolos relati; ſive ob ejus, qui referre ſolebat, abſentiam; ſive ob aliorum multitudinem gravitatemque negotiorum.

I. Pro-

(a) *lib. 6.* (b) *Prov. 8. 30.*

# I.

## Processiones aut insigniores supplicantium cætus.

Præter studiosam Collegii Resseliensis juventutem, quæ menstruam ad XVII Cal. Aug processionem fecit, ipsa quoque civitas Resseliensis, è quatuor annuis, de quibus alio loco unam ad VII. Cal. expedivit. Soweidensis quoque ex agro Resseliensi pagus ad XI. Cal solenni agmine processit, sed & aliis diebus frequentes accurrebant, tum Resselio, tum Bisteino, Seeburgo, Heilsbergâ, Gutstadio, VVartemburgo, Allensteino, Vormdito, & aliis Varmiæ locis: quin & è Masovia, Subsilvania, ac Lituania, præter eorum turmas, qui messis causâ ad Insulam Marianam hac transeunt (quibus ferè quotidie necessaria catechesi & institutione Christianâ subventum) nonnulli quoque Lindam votorum rei accesserunt.

# II.

## Quidam è Masovia & Lituania singulares experti gratias.

Ad XIII. Cal. sextiles, appulit Lindam Bartholomæus VVoyciechowicz, ex oppido VVystyniec ad fines Prussiæ in Lituania haud procul VVierzboloviâ sito; & jam alterâ vice, beneficiorum à Diva Lindensi acceptorum memor, peregrinationem triginta prope leucarum absolvit. Duodeviginti circiter menses mente erat motus; adeo ut per insaniam campos oberraret, & in aquas nonnunquam se

præceps daret. Non sunt neglecta, quæ usui fore videbantur, remedia: & inter hæc ut iis in locis quorundam religiosorum usus fert, etiã exorcismi: sed & hi, & reliqua omnia incassum adhibita. Adhibitum deniq; Lindensis peregrinationis votum, ita ut singulis, quoad vita superstes esset, annis mendicato pane Lindã viseret; exinde homo sibi, & quoad sensus, & quoad vires restitutus. Quæ omnia Admodum R. D. VVystinensis Parochus testimonio suo firmata, manu sigilloq; suo munivit. Triduo inde exacto, adfuit è Masovia nobilis matrona, magnifici Domini Iudicis VVisnensis conjux Eva, & acceptæ per B. V. Lindensem sanitatis monumentum, aureum eidem dicavit annulum, toto corpore, sed maximè capite ægra, haud procul præsente mortis periculo abfuit; è quo illã sacerdos quidam, voto peregrinationis Lindensis ad Aram nuncupato, eripuit. Ab eo enim tempore revalescere sensim cæpit, & paulò post integrè convaluit, ut iter sat longũ ingredi commodè posset. Eidem videtur comes itineris adjunctus fuisse ejusdem magnifici Dñ. Iudicis famulus, nobili genere è Drohicinensi provincia apud Subsilvanos natus Iacobus Przezdziecki, sive ulcus, sive apostema fuerit, quod hominem occuparat, eò certè adduxit, ut per sex menses, vel aliorum manibus, vel fulcris subalaribus, aliisvé sustentaculis niti eum oportuerit. Sed exemptus eâ necessitate ipsoque morbo est, ubi voto Lindam edito in Deiparæ auxilium sese quasi reclinavit. Qua causâ ingentes eidem, apud Lindam gratias egit.

III.

## III.

### E Gutstadiensi municipio viduæ duæ sanatæ.

Utraque è Mensterbergk pago fuit; utraque ad IX. Calendas sextiles Lindæ adfuit: alteri nomen Dorothea, alteri Catharina: illa Jacobo Kowal nupta quondam fuerat, & trium hebdomadum morbo doloribusq; per quam vehementibus eò deducta, ut per octo dies, vix aliquid cibi potionisvé sumere potuerit. Verùm & anorexia illa, & morbus abscessit, ubi imploratum voto Deiparæ Lindensis præsidium accessit. Jam verò ista Michaëlis Kosak vidua colicis doloribus, sive aliis viscerum torminibus per menses quatuor exagitata, prope nullum præ morbi acerbitate cibum capiebat. Ita afflictæ pariter & exhaustæ votum, quod Lindam fecit, facillimè subvenit. Tertia iisdem se adjunxerat eodem ex pago vidua Jacobo Dainer olim nupta; quæ tametsi apud S. Crucem, ut ajebat, capitis doloribus levata esset, Lindam nihilominus ad agendas Deiparæ gratias necessariò sibi censuit accedendum.

## IV.

### Seeburgensium quidam variis ornati beneficiis.

Ad VIII. Cal. Aug. peregrinationis suæ voto defunctus est Simon Zornhausen è Glotengé Seeburg agri villâ, æstate millesimi sexcentesimi quinquagesimi tertii anni, acutissimis dextri oculi doloribus aliquot

menses exercitus est, quoad demum oculus albugine suffusus, cuticulaque obductus videndi usum facultatemque amisit. Mater de filii salute perquam solicita, neque tamen, quid potissimum auxilii consiliive capesseret, satis guara, ad Lindensem denique sospitatricem confugit; & filium voto peregrinationis, per sequentes annos tres frequentandæ, obstrinxit, adjuncta ceræ portione quæ quotannis dedicanda esset. Ex eo tempore cessavit dolor, & paulò pòst etjam albugo cuticulaque abstersa. Eadem die Seeburgo adfuit Iacobi Leiliger civis filius Ioannes, qui nocte quadam repentino, præter spem sinistri cruris dolore correptus, & gravissimè erat afflictus. Dolorem excepit ingens totius pedis tumor; non sine justo gravioris alicujus noxæ metu. Quibus tamen omnibus, voto Lindam nuncupato occursum in tempore est: tertio enim exinde die, & tumor resedit, & dolor omnis recessit. Sub idem quoque tempus vota reddiderunt sua, tum Euphemia Georgii Benig è Bergerdorff uxor, tum Gertrudis Iacobi Preiss è VValkeim filia, utraque Deiparæ ope sanitatem consecuta; hæc quidem in dolore, oculos septimanarum aliquot intervallo configente; illa verò in erysipelate totum ferè corpus pervadente; præsertim quoties vel terrore aliquo consternata, vel frigidâ esset perfusa. Denique & Laurentius Gruzevvski ex Besau ejusdem municipii villâ, febri per aliquot septimanas conflictatus, neque alio quam Deiparæ Lindensis auxilio (quod voto suppliciter facto imploratat) adjutus, sub idem tempus votum solvit.

V.

# V.

## Resselienſium plures adjuti.

Martinus Fleiſcher in majore Atkamp Reſſelienſis agri pago, ad falce metendam in vicino lacu Zaim arundinem pergebat, cùm illi ſubitò pedem utrumque dolor non invaſit modò, ſed & contraxit, ut domum vix adrependo potuerit reverti. Totam inde æſtatem, nonniſi fulcris ſubalaribus nixus, gradum facere potuit: magis tamen ſpei ac fiduciæ (quàm in Deipara Lindenſi fixerat) ſemper innixus. Quâ etjam vires addente Lindam uſque perrepſit; ubi geniculatim, uti poterat, altare circumiens, confeſtim revaluit, & fulcra, quibus deinceps opus non habebat, in ſacello ſuſpenſa reliquit. Quod ipſum etjam conjux recurrente tempore, ad XI. Cal. Aug. Lindæ palàm eſt confeſſa. Aliud ſibi beneficium à Deipara conceſſum, biduo antè faſſa eſt Ioannis Schlegel Santoppenſis coloni uxor Dorothea. Decem hebdomadas ſive viſcerum, ſive, ut illa putabat, uteri doloribus miſerè exercita, quotidie, vel invita decumbere aliquandiu, & allevationem mali captare eo modo cogebatur. Allevata verò penitùs eſt, ubi voto Lindenſi Deiparæ ſe obſtrinxit: vix enim ſemel exinde cruciatus rediêre, continuoque depulſi ſunt. Ex aliis quoque municipii ejusdem pagis ſub hoc tempus reddita ſunt vota, Benedicti Block è Schellen filia Catharina, per octo continuos dies collum & fauces habuit obſtructas, ut neque cibi, neq; potionis quidquam trajicere ac ſumere ſibi liceret. Vis mali laxata ac diſſoluta omnis eſt, ubi

illa se voto peregrinationis Lindensis obligavit. E Sturmhubel quoque ejusdem agri villa, tum Sophia hortulani cujusdam uxor tum Lucæ Newman filia Gertrudis, non minoribus se Deiparæ obstrictas beneficiis sunt professæ. Illa viginti jam ante annos per quatuor circiter menses oculis capta, voto à matre suâ ad DEI Matrem facto visum recepit; & jam supra viginti annos, ut grata sit, Lindam frequentat: hæc verò per integrum circiter annum manca atq; usu manus privata neque fila trahere, neque colum acumvé tractare potuit, simili ad Deiparam voto restituta est.

## VI.

### Meelsaccenses Virgines duæ voto defunctæ.

Pridie Cal. Augusti Vrsula Jacobi Florin, & Anna Petri Sommerfeld civium Meelsaccensium filiæ Virgines, peregrinationibus, quas à septem vel sex circiter annis frequentant, defunctæ sunt. Illa enim octo jam ante annos arthritide & omnium cruciatu artuum perstricta, hæc verò ante sex annos, ulcus vel anginam in collum & fauces insidentem passa, non alio quàm Deiparæ Lindensis auxilio restitutæ sanitati sunt; ut omnibus morbi vestigiis quasi abrasis, sola in collo Annæ modica supersit cicatrix, non tam rupti vulneris, quàm beneficii Deiparæ monumentum.

VII.

## VII.

## Alii quoque è variis Varmiæ locis curati.

Pauli Lehman civis Bisteinensis filius Michaël, tum capitis, tum laterum acutissimis confixus doloribus, nullum reperit præsentius, quàm Deiparæ Lindensis subsidium. Vt enim voto se illi obstrinxit, omni malo solutus est. Par felicitas ex magna calamitate Simonem Hertz civem & pistorem Heilsbergensem excepit. Dolor, qui caput occuparat, ad delirium usque deduxit. In quo, cùm per octo decumberet septimanas, aliorum operâ Divæ Lindensi devotus momento ad mentem, indeque ad vires corporis mox rediit; ut quatriduo post & strato surrexerit, & suis nixus viribus quaquaversum deambularit. Ad XI. Cal. Aug. Lindam venit, & cùm hæc de se enuntiâsset, de conjuge quoque sua adjecit, eam pari morbo atque calamitate laborantem, pari Deiparæ ope fuisse restitutam. Adjungendus his est Joannes è Kleberg Allensteinensis municipii pago hortulanus, qui hoc eodem mense adfuit; quanquam anno proximè jam elapso votum Lindæ tum suo, tum uxoris, prolisque suæ nomine persolvisset. Toto quadragesimæ illius anni tempore, unà cum uxore, gravissimè decumbebat: per somnium visus sibi Lindensi adesse processioni; inde & sibi, & uxori, & infanti, qui per septem hebdomadas nihil lactis suxerat, restitutam inde sanitatem vidit.

# CAPVT XXI.

Calendæ & Nonæ menſis Auguſti.

SExtum à Martio, qui ſub Romulo initium anni dabat menſem, priores Romani ſextilem poſteriores in Octavii Cæſaris honorem Auguſtum dixêre. Nam ut Senatusconſultum apud Macrobium, ea ſuper re loquitur (a) *cùm Imperator Auguſtus menſe ſextili primum conſulatum inierit, & triumphos tres in Vrbem intulerit, & ex Ianiculo legiones deductæ, ſecutæ ſint ejus auſpicia ac fidem; Ægyptus hoc menſe in poteſtatē populi Romani redacta, finisque hoc menſe bellis civilibus impoſitus ſit, atque ob has cauſas, hic menſis huic imperio feliciſſimus ſit ac fuerit, placere ſenatui, ut hic menſis Auguſtus appelletur.* Debet & apud Lindam Marianam hic menſis, Auguſti nomen retinere, cujus proximis Iduum diebus, auguſta cæli terræque Regina atque Imperatrix MARIA, in ſui aſſumptione corporis, Imperii poſſeſſionem in cælo capeſſivit. Sed & in terris quanta Auguſti ejus Imperii fuiſſent edita monumenta, niſi illæ belli tempeſtates, quæ Poloniam inundaverant, in Pruſſiā quoq; cæpiſſent deſævire! Et tamen, ne ſic quidem cæteris hujus anni menſibus multùm conceſſerit. Interim hiſtoriæ noſtræ colophonem addat: quo & nos coacti ſumus *veteres migrare coloni.*

I. In

(a) *Saturn. l. 1. cap. 12.*

## I.

## In præsentibus belli tempestatibus, multis tutus apud Lindam receptus.

Quod in maris & undarum, hoc & in Martis ac bellorum tempestatibus quærere maximè solent mortales, fidam nimirum stationem, aut tutum, vel ad tempus receptum. O quantæ bellorum tempestates uno propè momento nobilissimum Poloniæ regnum, Regniqúe provincias fere omnes involverunt hoc tempore! Ad illam, quæ à Cosaccorum turbine aliquot tenuerat annos procellam, quanti è Moschoviâ superiore anno, tum in Lituaniam, tum in Vkrainam sese fluctus evolverunt! Et ecce, ne quid alicubi esset tranquillitatis, subitò è Suecia quoque fluctus, non Livoniam modò & Samogitiam, aut Lituaniam, verùm & Poloniam majorem ipsaqúe adeo Regni viscera concusserunt! In tot ac tantis tempestatibus adhuc malacia Prussiam habebat, quamvis venti undique perflantes, futurorum quoque fluctuum, ne dicam naufragiorum, prænuntii non deessent: præsertim cum à Marchia quoque Brandeburgica Zephyri, non sine procellæ metu adspirarent. In hac ergo rerum tempestate qui non undique ad Lindam Marianam concursus? Hinc alii, Vilnâ Moschis nefariè jam proditâ, tum inde, tùm Grodnâ atque è reliquis Lituaniæ locis, alii è remotioribus Russiæ provinciis, alii è Samogitia, alii è Masovia, cùm receptum in Prussia sperarent ac quærerent, Lindam frequentissimi accur-

rêre. Alii, ex ipsa præsertim Prussia, rebus jam turbidis ac turbatis, tranquillitati conscientiæ consulturi, tametsi paulò antè Lindam revisissent, iterum, non tantùm, si quid sentinæ exhauriendum restaret, sed si quid etjam speciem umbramvé in conscientia referret mali, ut excuterent, accessêre. Alios non tam sua, quàm publica omnium patriæque salus eodem compulit, quos vidisses non modò recepto alias more, verùm & prostratis in modum crucis humi corporibus, gemitu & comploratione miserabili cælum pulsare. Vt alios omnes silentio prætercam, Virginem unam præterire non debeo. Ea est N. Chalecia, illustrissimæ ex ordine senatorio apud Lituanos familiæ: quæ tametsi nulli se Regularium Ordini votis adstrinxisset, voto nihilominus perpetuæ castitatis virginitatem suam, Christo multis retro annis consecrarat; & apud Sanctimoniales D. Benedicti regulam professas, Vilnæ sedem fixerat; sed in vicino S. Ignatii ad domum probationis templo, instar Annæ Phanuelis, serviebat Domino, *die ac nocte ieiuniis & obsecrationibus (a)* intenta: cujus quidem templi apparatum sacrum, tum hæreditariis facultatibus suis, tum multo magis manuum suarum industriâ & phrygio opere, quo excellit, magnopere auxerat. Ad primam belli in Lituania à Moscho procellam, Vilna Grodnam se receperat; verùm cum hîc quoque intuta viderentur omnia, Ressélium diu ante cum adjunctis ejusdem instituti virginibus, concessit. Ibi cùm degeret, nihil antiquius habuit, quàm si ad Lindam

(a) *Luc.* 2. 37.

dam identidem sese pedes reciperet, &, si aut tempora, aut conditio sua pateretur, perpetuam ibi sedem figeret.

## II.

## Jubilæi promulgati usura multos Lindam excivit.

Commotos fluctus maris atque furias, affuso iis oleo mitescere ac componi, sunt, qui prodidêre (a) authores. Non quodcunque, sed de penuariis cæli promptum erat, quod ad componendas tantas bellorum in Polonia procellas, affundendum censuit optimus atque sapientissimus Romanorum Pontificum Alexander VII. Quantum id profuerit, cùm res ipsa loquetur; tum, qui rem spectant, haud gravatè, etjam libris editis testabuntur. Quanquam extati jam sunt, qui confestim ad componendos animorum conscientiarumque suarum fluctus, Lindam eo tempore appulerunt. Tametsi enim alibi quoque esset hoc tempore facultas Sacerdotibus, quoad solvenda peccatorum vincula, de benignitate sedis apostolicæ collata; pleri que tamen ad hanc etiam Deiparæ Lindensis benignitatem, si non necessariā, certè percommodam reputarunt. Itaque non pauci, qui paulo ante Lindæ fuissent hac quoque de causa recurrerunt. Institutæ tū ab his, tum ab aliis pluribus generales de tota vita exomologeses, & animi adversus tum ingruentia, tum quæ deinceps ingruere possent undecunq; pericula atq; noxas, egregiè confirmati.

III.

(a) *Ioan. Bapt. Porta l. 1. de Mag. nat.*

III.

Pedum uſus reſtitutus.

Ioannis VVern, è Krekollen, municipii Heilsbergenſis pago, uxor Catharina, utriusque pedis uſu, incertum qua ex cauſa, jam ante quinque annos amiſerat, ut nonniſi fulcris ac ſuſtentaculis nixa per triennium movere ſe ac progredi utcunque de loco poſſet. Duos ante annos votum peregrinationis Lindenſis nuncupavit, & jam tum amiſſam gradiendi pedumque facultatem recepit. Ab eo proinde tempore, Lindenſem peregrinationem ſtrenuè frequentat; quotannis, dum vixerit, frequentatura.

IV.

Cæcus illuminatus.

Andreas Teicher, è Vormditenſis agri pago Sommerfeld oriundus, atque opificio rotifex, necdum prætergreſſus erat ſextum ætatis annum, cùm videndi ſenſum atque uſum amiſit. Tumor enim, ab internis, ut credebatur, ulceribus productus, etjam oculos quaſi ſedibus ſuis protruſerat, ut, quantum eminerent ipſi ac protuberarent, tantum incapaces offuſæ undique lucis eſſent, adeoque puer omnino cæcus, nonniſi aliorum ductu promovere greſſum poſſet. Mater juxta pueri ac ſuam deplorans calamitatem, omnem in Diva Lindenſi ſpem repoſuit non ignara Dei Matris præſidio, tam grave quoque malum depelli poſſe. Neque ſpes irrita fuit; necdum enim puer Lindam devotus, viam erat ingreſſus,

cùm

cùm illi facultas videndi est restituta. Tanto quocirca maturius ad agendas sospitatrici gratias eum deduxit, ipsa aut deduci mater curavit. Sed & ipse suâ deinceps sponte, etiam cùm mater ante quadriennium obiisset, peregrinationem Lindensem sæpius obit; atque, ut obeat, ipsius loci sacri aspectu magis ac magis excitatur.

## V.

### Infanti maligna febris abigitur.

Barbara & Sibylla Hartwichianæ, Heilsbergâ oriundæ, quarum hæc Laurentio Gorrio nupta est, illa Petri Iauch nuper defuncti Consulis Seeburgensis vidua, germanæ sorores, & matronæ inter suos honestissimæ, germanam Deiparæ Lindensi observantiam simul detulerunt; ad quam Barbara tabellam argenteam duorum circiter Philippæûm pondo, anathema adjecit; Sibylla verò votum pro infante filiola Anna absolvit. Maligna prorsùm ac letalis infantem febris per octo dies afflixerat, ut nihil nisi mortem opperienti cereus accensus admoveretur. Cæterùm, ubi opis, præsidiique causâ Virgo Lindensis est interpellata, removeri cereum par fuit, quia subitò & infanti vitæ, & matri cæterisque omnibus tum lætitiæ, tum pietatis lumen affulsit.

## VI.

### Mulier in partu plurimùm adjuta.

Ioannes Seinert ejusdemque conjux Elisabetha cives Resselienses, votum cum gemino anathemate Divæ

Divæ Lindensi dependerunt: quorum alterum erat numisma ex argento deauratum, duûm propè Philippæûm pondo, alterum brachiolum itidem argenteum, unius pondò Philippæi. Atque illud quidem, quod filiolo suo gestandum paraverant, post ejusdem obitum consultius Deiparæ dedicandum censuerunt: hoc verò monumentum esse voluêre feliciter editæ in lucem novæ prolis. Gravida enim mater cùm ad fortuitum hominis cujusdam, qui brachium enormiter ac fœdè læsum habebat, aspectum consternata vereretur, ne qua forte noxa, aut saltem nævus proli inde oboriretur, votū Deiparæ pro incolumitate partus fecit: quem quia feliciter, sine omni corporis vitio enixa est, beneficii memor & grata, comitante ultro conjuge, monumentum pedes Lindam deportavit.

## CAPVT XXII.

Dies Iduum sextilium.

SI vel ob unicum Assumptionis B. V. Festum, Augustus mensis augusto Mariæ nomini, ne dicam Numini debetur; quod initio proximi capitis diximus, quid sibi non vendicent festa tum B. V. ad Nives ipsis Nonis Augusti; tum S. Dominici (qui & ipse VIII. Id. Augusti cælo natus est; quanquam natalis ejus prid. Non. summo Pontifice ita jubente celebretur. & Ordo ipsius, teste S. Antonino (a) vocatus initio est fratrum B. Virg. MARIAE) tum aliorum Deiparæ servorum, quos in Kalendario suo Balingem

(a) 3. part. tit. 23. c. 10.

lingem memorat, signata hoc mense memoriæ? Atq; utinam perennem beneficiorum ipsius apud Lindam cursum, bellorum tempestas aliquantù non frenâsset, dum sensim propinquando, peregrinorum frenat occursum!

## I.

### Ingruentis belli metu, convasari & aliò transferri oportuit Lindensem gazam.

Diu ante sacra templorum è Lituania supellex, cùm ad alia in Prussiam loca, tum ex parte Ressclium, subducta erat, ne Moschorum aliarumqúe harpyjarum pateret unguibus. Iam & hæc, & quæ vel Ressclium vel etjam Lindam spectabat, aliò deportanda fuit; ne eorundem obnoxia rapinis esset. Non sine magno omnium dolore, non sacra duntaxat vestis, aliavé supellex argentea, sed & ipsa, quæ ad Aram majorem pendebât facta ex argento anathemata, detrahi atq; convasari debuerunt. Præter Crucem argenteã suæ Thecæ inclusam, duæ aliæ cistæ binos fere cubitos longæ tum argento tum sacrâ veste preciosiore onustæ, Ressclium, inde Gedanum, ad tutiora transmissæ sunt.

## II.

### Mulier contracta, restituta.

Cùm alias sæpissimè, tum his quoque diebus, plurimi, quanquam catholicæ exsortes fidei; Lindam venerunt & situm, ornatum ædis, pietatem denique ipsam catholicorum admirati, eximiè

præ

prædicarunt Inter hos Dñ Georgius Richau, honoratiſſimus è civitate Domnau, in ducatu Pruſſiæ ſitâ & octo leucis Regiomontũ verſus à Linda abjuncta, ad v. Id. Aug. aderat civis; & tum cætera omnia accuratiùs contemplatus, tum in Anathematis, votivisque ex argento tabellis, proinde & beneficiis divinis, quæ iisdem aut ſignantur, aut indicantur, cogitatione quaſi defixus, teſtis è ſpectatore factus, ultro, nemine prorſum requirente, quæ è muliere apud Lindam ſanata cognoviſſet, fide, quæ virum gravem deceat, percenſuit. Res ante quindecim jam annos geſta, fuit ea mulier Brunsbergâ oriunda, ibique cùm toto eſſet corpore contracta, &, ob muſculorum nervorumq; ſive torpedinem, ſive diſſolutionem, de ſitu corporis propemodum deturbato, Lindã, quo prævium fecerat votum, deportari ſe curavit. Lindæ plus in Deiparæ ope, quàm in humanis, quibus uſa eſſet, præſidii mox experta, omnibus ſibi modis reſtituta eſt. Inde porrò cum ſorore ac parvulis filiabus, dum pergit Regiomontum, Domnaviæ in diverſorio poſita, quæ memoravimus, quæque dignus fide teſtis audivit, per occaſionem recenſuit.

## III.

### Vehemens capitis dolor ſublatus.

Chriſtianus Hirſch ſartor & civis Brunsbergenſis, ſed è Boëmia oriundus, ad IV. Idus Aug. comitante uxore, totum iter Brunsbergâ uſque pedes emenſus, Lindæ ſupplex Deiparæ advolutus eſt. Tres menſes hoc ipſo anno, acutiſſimis capitis doloribus con-

confixus, nullum, quod inveniri potuit, remedii genus omiſit; ſed perinde nullum, quod malum à radice tolleret, invenit ſalutare. Levamen aliquod ſentire dolorum potuit, liber doloribus eſſe non potuit. Ut eſſe poſſet, eam, quæ ſecundùm DEUM omnia poteſt, DEI Matrem ſupplex appellavit. Auditus eſt, hodieque, unà cum conjuge, tantam DEIPARÆ facultatem, ſibi autem incolumitatem palàm eſt gratulatus.

## IV.

### Mulier amiſſum, ob paralyſin, brachii uſum recipit.

Pridie Idus Auguſti ex Subſilvania uſque advenit Alberti Sczuble, in Zarnowo pago Auguſtoviam ſpectante inquilini vidua Agnes. Per duodecim hebdomadas ante triennium graviſſimè decubuit, ut ſe neque loco movere poſſet. Videbatur ex illo utcunque morbo revaluiſſe, cùm brachii ſiniſtri, paralyſi repente occupati, omnem amiſit uſum. Non omiſit ſuper tanta clade ſua, amicorum exquirere tum auxilia, ſi quæ eſſent, tum conſilia. Omnibus conſultiſſimum viſum, ut ægra peregrinationem voveret Lindam: Vovit, & à voto jam ante annum facto, meliuſculè habere cœpit; proinde, & à voto hodie expleto fiduciam animo maximam concepit, brevi fore, ut animi ſui vota atque deſideria, circa perfectam brachii ſanitatem, videat, & cum gaudio gratuletur perfecta.

## V.

### Domus peſte infecta, ſervata.

Ipſis Auguſti Idibus comitante uxore venit Joannes Law civis Regiomontanus, Treviris oriundus; ut voto, quo biennium adſtricti tenebantur, ſolverentur; præſertim cùm morbo, quo affligebantur, vi ac beneficio ejusdem voti, ſoluti jam tum eſſent. Illâ enim, quam Regiomonti deſæviiſſe jam aliàs memoravimus, peſtilentiæ lue, uterque conjux, quin & familia omnis, afflati, intimis viſceribus malum hauſerant, ut in apoſtemata, carbunculos, aliaque id genus ulcera, vi erumperet. Quaſi nervos malo fædè graſſanti ſuccidiſſent, poſtquam Deiparæ Lindenſis opem, voto peregrinationis edito, ritè implorârunt. Exinde Dei ac Deiparæ ope incolumes, totum fere iter ultro citroque pedibus confecerunt.

## VI.

### Religioſus peſte itidem exemptus.

Sub hoc ipſum tempus adfuit Brunsbergâ P. Eduardus Lock ſcholaſticæ, ut vocant, Theologiæ in eo Societatis Jesu Collegio profeſſor, Hybernus patriâ: ſed qui in Provincia Lituaniæ ſtudiorum facultatumque ſuperiorum, majore ex parte, decurrerat ſtadium diſcendo. Ut idem docendo quoque decurreret, Vilnâ Brunsbergam iturus, è medio curſu propemodum revocatus eſt ad carceres. Ita nimirum hauſtâ jam lue conficiebatur, ut niſi voto, quod hisce

die-

diebus ſolvit, Lindenſis Deiparæ fuiſſet opem expertus, ne quidem Brunsbergam vidiſſet unquam. Ita cùm Lindam, pedes Brunsbergâ uſque veniſſet, enarravit ipſe coràm, ita paulò pòſt literis quarũ hîc copiam facio, paulò pòſt ad me ſcriptis profeſſus. *Nuper*, inquit ille, *cùm ibi eſſem, non habui commoditatem, ut ſcriberem beneficium à diva Virgine Lindenſi perceptum, pro quo votum tunc exolvi. Res ita habet: Cùm ante duos annos Vilnâ huc pergerem, eo tempore, quo maximè peſtis in Lituania graſſabatur, videbar & ego aliquid contraxiſſe. Certè ſigna habui vix non manifeſta, & iam conſtitueram, Grodnam non intrare, ſed ad aliquod prædium noſtrum divertere, ibi potius moriturus. Dum in ſummis anguſtiis eſſem, ſuggeritur mihi divinitus, ut votum ad B.V. Lindenſem conciperem; quod & concepi; eundi ſcilicet Brunsbergâ pedes ad ſacram Tiliam. In ipſo momento, quo votum emiſi, ſenſibiliter ſum immutatus; ut, qui antea triſtiſſimus, & in ſummis tædiis fuerim, ex languido alacer, cum ſtupore omnium ſociorum meorum repente lætiſſimus evaſerim; qui cibos antea, ne adſpicere quidem potuerim, nec quietem capere, illo veſpere, etiam frigidos piſces, & ſub dio pernoctaturus, comedere potuerim. Plura eſſent dicenda, ſed hoc ſufficiet, me ſub iuramento affirmare, ſingulari tunc à beatiſſima Virgine beneficio fuiſſe me affectum.*

*Eduardus Lock*
*Societ.* Jesu.

# CAPUT XXIII.

Reliqui dies Augusti.

RElíquos prosequor dies Augusti, non qui præterierunt omnes, sed quos mihi apud Lindam degere concessum est. Quid enim non mensibus duntaxat, sed residuis Augusti diebus actum Lindæ sit, scire mihi nondum licuit; cùm ad VII. Cal. Sept. turbo bellicus Lindâ, & prid. Non. Sept. universâ me Prussiâ exegerit. Jam in exilio constituto, & locum non rarò mutanti, quin & bello adhuc per Prussiam necdum extincto, quæ potest certa rerum inde scientia perferri?

## I.

## Processiones & populorum frequentia.

Quanquam labores, qui circa messem hoc tempore maximi sunt, arcere quodammodo homines Lindâ videantur; ea nihilominus est omnium pietas, ut perruptis, quibus arcentur, vinculis frequentissimi, uti aliis quoque annis, accurrant. Invitabat hoc anno præsertim viciniores, sacrum Jubilæi, uti jam meminimus, tempus. Sed & Assumptæ in cælum Virginis dies, & qui illum proximè sunt consecuti, plurimos exciverunt. Ac ipso quidem Assumptionis die septem omnino sacerdotes pro sacro tribunali strenuè causam dicentes, vix ad ipsum merum meridiem confitentium multitudini facere satis potuerunt. Postero die, quo civitas Resseliensis, annuam depullæ quondam pestis causâ, Processionem obit; Jubilæi quo-

quoque ergo, præcipui civium ad ſacrum pænitentiæ Tribunal acceſſerunt; quatuor ſacerdotibus egregiè laborantibus, ſuum operæ precium conſtitit. Sed & octavâ Aſſumptionis die, quo tum alii, tum potiſſimùm Seeburgenſes ac Biſteinenſes frequentes adfuêre, ſex itidem ſacerdotibus ad ipſum fere meridiem nulla, pro ſacro Tribunali, quies fuit. Et, quid mirum, ſi in tanta populi laborumque multitudine tempus defuerit, plura Deiparæ beneficia, perquirendi, ne dicam conſignandi? Mihi quidem uni, minimùm terna inſuper erant conſignanda, quæ temporis anguſtiæ non patiebantur conſignari. Quid interim cæteris? Et tamen pro ea quoque temporum ac rerum ratione, ſat multa ſunt adnotata, quæ jam compendio promemus.

## II.

### Mulier abjectâ Lutheri ſectâ, eryſipelate liberatur.

In minore Kellen, Reſſelienſis municipii pago Gregorius Placotomus uxorem habuit Eliſabetham nomine, in Lutheri dogmate à teneris enutritam; quæ tandem meliùs ſapere edocta, Lutherum abjuravit, maximo non animi minùs, quàm corporis valetudiniſque commodo. Sacro igne caput & vultum, plus annum erat affecta, neque remedium invenire ullum potuit: quæſivit apud Deiparam Lindenſem, & facilè invenit: unde gratias actura quovis anno Lindam venit.

III.

Mulier in partu adjuta.

Ad XVII. Calend. Septemb. Tabellæ duæ argenteæ sunt dedicatæ, quarum alteri inscriptum, Ambrosius Wunderlich, inscriptionis perinde ac dedicationis causa latet. Eâdem die imago paulò major B. Virginis Lunam pedibus subjectam habentis dedicata est, cum inscripta limbo salutatione Angelica, & quidem Germanico idiomate. Lateret itidem dedicationis causa, nisi infernè appicta esset puerperæ imago: quæ haud dubiè adjutam ope B. Virginis in partu mulierem testatur. Cùm autem Imaginem Dominus Schaw Meelsaccensis dedicârit, facilè colligas, aut beneficium aut uxori ipsius, cuipiam de propinquis alteri exhibitum à Deipara esse.

IV.

Dentium abactus dolor.

Eâdem die Seeburgo advenit Elisabetha virgo Joannis Flieger civis filia, per annum fere integrum, & oculorum & dentium exercita doloribus, nusquam nisi in Deiparæ Lindensis præsidio allevationem utriusque mali invenit. Proximo enim vere peregrinationem Lindam vovit; & jam inde cruciatus oculorum haud leviter est levatus, dentium verò fere penitus abactus. Minùs diuturnus, at non minùs sævus, dentium itidem dolor invaserat Dorotheam Joannis Kornalowsky Bisburgensis civis filiam

vir-

virginem. Duas hebdomadas præ acutissimo cruciatu, neque cibi, neque potionis quidquam sumere potuit. Unicum & illi in B.V. Lindensi præsidium fuit; cui proinde & illa, hoc tempore supplex, gratias maxima cum alacritate apud Lindam egit.

## V.

### Pueri duo comitiali morbo liberati.

Michaël quinquennis puer Joannis Preiss civis Seeburgensis filius, comitante & deducente Justinâ matre, voto apud Lindam suo solutus est. Ipso SS. Petri & Pauli superioris anni natali die, Herculeus ille morbus puerum invasit: continuò mater ad Dei Matrem supplex accedit, & filium tantis colluctantem malis commendat. Adjutus est ilico puer, & morbus à concepto Lindam voto facilè repulsus. Jam eo tempore mater Lindam & se & filium pariter stitisset, nisi alio impedita partu, differre iter coacta tantisper fuisset. Quo quidem tempore Georgius Rang è Damerau colonus, unà cum Dorothea conjuge, undennem filium suum Petrum Lindæ stiterunt. Levatus & ille comitiali morbo fuerat; sed non alio, nisi Deiparæ, remedio; quod eo majus atque gratius fuit, quo præsentius, atque maturius exhibitum.

## VI.

### Mortis periculum depulsum.

Vitâ cæterisque rebus humanis in præceps abeuntibus, unicum à spe reliqua solet esse solatium & quasi malorum omnium levamen. Quod si spes quoque decollavit, actum penitus est. Jam Barbara Joannis Tchork Seeburgensis inquilini vidua, ipsam quoque spem vitæ abjecerat, quando vere proximè elapso colicis & aliis pectus visceraque erodentibus doloribus, ad incitas redacta est. Actum de illa erat, nisi Diva Lindensis medicam interposuisset manum. Voto enim nuncupato interpellata, confestim adfuit, & tum colicos, tum alios cruciatus quasi admotâ manu detersit, non modò spe vitæ, sed & vitâ ipsâ ægræ benignissimè reddita. Quæ ex eo tempore non valens duntaxat, sed & probè valida Lindam usque pedes iter fecit. Non dispar propemodum, in adversis æquè ac prosperis conditio fuit Stanislai Mazuch Seeburgensis civis relictæ viduæ Annæ; quæ superiore anno octo continuas hebdomadas, viribus morbo prostratis decubuit, spe vitæ prorsum amissâ. Et quid spei reliquæ potuit esse, quando toto illo ægritudinis tempore, nihil reficiendis viribus cibi aut potionis adhiberi potuit? si quid enim nauseanti ac reluctanti stomacho ingestum, id pertenue, ac violentum fuit, & in noxam fere magis quàm commodum ægræ vertit. Verùm & hîc interpellata Diva Lindensis adfuit, & quasi manu itidem malis admota periculum omne momento dispulit.

VII. Ma-

Digitized by Google

## VII.

### Manus & pedes reſtituti.

Lamberti Winter è pago Reſſelienſi Sturmhubel filia Eliſabetha, duos annos brachio dextro ægra, eò calamitatum proceſſerat, ut nulli prorſum operi admovere manum poſſet; proindeque amiſſo manus uſu, ipſam ſibi videbatur amiſiſſe manum; niſi quod præſentiſſimus ſemper dolor, non omnino amiſſam teſtaretur. Ad cumulum malorum accedebat, quod nullum eſſet tantis malis præſens remedium. Humanis igitur orbata præſidiis ad divina confugit, & voto Biſteinum ad Altare, ut vocant, ſanguinis facto, aliud Lindam ad B. V. adjungit. Confeſtim brachium omnino reſtitutum eſt; quo illa jam à ſemeſtri probè cùm fruatur, jam tandem & occaſionem commodam nacta, voti rea Lindam acceſſit. Cæterùm, quod hîc brachio, Seeburgi impenſum eſt pedibus auxilium, Sibylla Matthiæ Han Seeburgenſis inquilini filia, iterum ac tertiò per hyemem proximè elapſam, cruciatu pedum perquàm violento affecta fuit. Occurſantibus animo variis hinc inde remediis, ut fortè humanis non omnino cenſeret diffidendum, maluit nihilominus Deiparæ quàm cujusquam hominis experiri opem. Neque ſpes irrita fuit: voti compos reddita, hodie votum Deiparæ apud Lindam reddidit. Quo tempore Anna itidem Seeburgenſis virgo, Joannis Nitſch filia non jam manum vel pedem duntaxat, ſed utrumque, quatuor jam ante annos ægra, præcedentium calamitatem utramque in ſe una conjunctam ſentiebat; malo præſer-



Digitized by Google

tim ad duas sæpe hebdomadas per aliquot retro annos crudelius sæviente. Geminato quantumvis & inveterato quoque malo, nonnisi unicum ejusdem Lindensis Deiparæ præsidium censuit admovendum. Admotum est, voto Lindensis peregrinationis emisso, & ab eo jam tempore sana, ut gratias, quemadmodum par est, agat, quovis deinceps anno Lindam peregrina accurrit.

## VIII.

### Brachia, & Spina dorsi curata.

Christophorus Stentzel in Pransen pago tribus leucis à Linda disjuncto hortulanum agebat; cùm superioris anni hyeme corripitur morbo; qui cùm cætera in membra victor esset grassatus, in spina dorsi atque brachio utroque quoddam quasi tropæum erexit. Ita nimirum utroque loco regnabat, ut æger neque movere brachia, neque, ob læsam spinam moveri ipse loco posset. Movit ea calamitas hominem, ut animum in valetudinis curam acrius intenderet. Id apud se agitanti, Deiparæ Lindensis memoria subit. Eo preces fiduciamque vertit, nec ante supplicando instare destitit quàm brevi, non modò spem sed & initium sanitatis sibi adesse, expertus est. Confirmatâ haud diu pòst sanitate, in viam se dat, & pedes Lindam usque decurrit, qui commovere pedes loco paulò antè non potuit.

## IX.

### Varii & graves capitis dolores abacti.

Alternis inter adversa prosperaque exercetur mortalium vita: ne istis perpetuò fruamur, naturæ conditio facit; ne illis aut obruamur, aut perpetuò gravemur, facit itidem DEI ac Deiparæ in mortales benignitas. Quod inter plurimos, aut innumeros potius, experta Michaëlis Gerick in Glottau, agri Gutstadiensis pago, ob venerabilis Eucharistiæ miracula inclyto, Ludirectoris uxor Anna. Florentioribus adhuc annis, varii & graves capitis dolores, tanquam pruinæ in flores deciduæ, propemodum reliquæ ætatis fructus decoxerant. Umbra Lindæ Marianæ præsidio fuit; ad quam ubi se illa eo ipso tempore recepit, omni confestim levata dolore est. Exinde à duodetriginta fere jam annis bene ac constanter valens, nullum patitur elabi annum, quin Lindam accurrat, & beneficii memor gratias agat.

## X.

### Oculorum vitia absterſa.

Ut nobilissimæ in humano corpore partes sunt oculi, ita eorum splendori ac nobilitati, non ludes modò, aut festucæ, verùm & minimæ officiunt atomi. Et ut nobilitas tanta iis non inesset, necessitas certè atque usus eorum tantus est, ut nemo sit mortalium, qui non orbitatem oculorum, cum sum-

ſummis generis humani miſeriis componat. Expertus id in ipſa adhuc adoleſcentia ſua eſt Gregorius Fug, Glockſteinenſis pagi in agro Reſſelienſi poſiti colonus; qui ab eo tempore, vitio oculorum, per aliquot annos laborabat, malo in deterius ſemper proficiente. Parentes filii causâ anxiè ſoliciti, nullum malo præſentius remedium, quàm à B. V. petendum cenſuerunt. Simul atque illi votum Lindam ediderunt, ſimul quaſi adhibito cæleſti collyrio, omnis filio dolor ac morbus ab oculis eſt abſterſus. Ille parentibus fato jam diu functis, ad ſexageſimum ætatis annum jam provectus, quemadmodum oculorum acie egregiè pollet, ita quovis anno parentum voto etjamnum reſpondet, & pedes in hac quoque ætate Lindam decurrit.

## XI.

### Spiritale animi præſidium multis annis confirmatum.

Si hominum, ſi jumentorum, ſi arborum quoque vires, cum ætate augentur & firmantur; par eſt profectò, ut divina quoque beneficia, quo ſunt diuturniora, eo & firmiora cenſeantur, & auguſtiora. Si geminum, quod jam recenſuimus, exemplum, à tot jam annis magnitudinem divinorum beneficiorum extollit: extollet, & quidem fortaſſe magis, quod jam recenſebimus; ſi non à temporis, certè à generis conditione ſumpto precio. Quid ni enim cæleſtia terrenis, ſpiritalia corporeis, æterna caducis immenſum præferantur. Talia ſunt, quæ honoratiſſimus quidam vir ad XIII. Cal. Sept. apud Lindam recenſuit. Trigin-

ginta jam annorum evolutum eſt ſpatium, ex quo ille ſtatam quotannis peregrinationem Deiparæ apud Lindam dependit. Agnoverat in ſe non levia juventutis ſuæ delicta: à quibus ut non ſolveretur modò, verùm & in poſterum ſervaretur, Deiparæ opem popoſcit: & verò etiam ſenſit. Exinde liber tum peccatis illis, tum peccandi tentationibus, quovis anno Lindam accurrit; tum ut gratias pro tantis beneficiis agat, tum ut majora gratiæ divinæ incrementa ſumat.

Omnia ſanctæ, Romanæ, Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ judicio ſubjecta.

INDEX

Digitized by Google

# INDEX

## RERUM ET VERBORUM,

in quo numeri paginarum ſunt indices.

### A.

*Abbas Olivenſis.* 419
*Acetum peßimum quod.* 160.*ſeq.*
*Achan punitus graviſsimè, & cur?* 237
*S. Adalbertus Pruſsiæ Apoſtolus.* 35.36. *Templum illius quid habeat inſigne. ibid.* 114. *Aliud ejusdem Templum prope Gedanum.* 35
*Adonis.* 206
*Adulter Lindæ aditus.* 381
*Ædificii ſpiritalis ratio.* 145
*Ægyptiaca perſecutio apud Lindam.* 205
*Ælianus citatus.* 192
*Æneas Silvius citatus.* 41.45
*Africanæ Eccleſiæ calamitas prænuntiata.* 148
*Ioan. Ageiſon Danus exul reſtaurandæ Lindæ intendit.* 288. *ſeq.* 326.420. *Coniugis illius laus.* 326. *ſeq.*
*Albertus Brandeb. Dux Pruſsiæ.* 250. *Lindam pedes peregrinatur.* 115. 199. 208. *Hæreſi infectus Pruſsiam inficit.* 159. *ſeq.* 169. 181. *defenditur à calumniis Prædicantum.* 181.199.208 *filium qualem reliquerit.* 250.261. *ſeq.*
*Albigenſes hæretici in Pruſsia.* 174
*Allenſteinenſium proceſsio unde laudata.* 127. *Muſica. ibid. Curatio illorum.* 448
*Allium hæreſeos ſymbolum.* 170. *ſeq. quorum ſit cibus.* 160. *ſeq.* 171.

Alle-

*Allophyli ſunt hæretici.* 11.12
*Altare vetus inter rudera Lindæ.* 283
*Amænitas Lindæ Marianæ.* 16.*ſeq.*
*S. Ambroſius citatur.* 11.149.150
*B. Amedæus citatus.* 27
*Amentia.*437.vide Dementia.
*Amicitia qua laudanda.* 261
*Amor vide Caritas.*
*Amphitheatrum quoddam Lindæ.* 145
*Amurca torcularibus non incommodat.* 164
*S. Anaſtaſius Sinaita citatus.* 54
*Anathemata & dona Lindenſia.* 106.*ſeq.* 375. *ſunt gratitudinis monumenta.* ibid.
*Ancillarum duarum exemplum ſingulare.* 146
*Angelorum proceſſio Lindæ.* 146.*ſeq.*
*Angina Lindæ curata.*339.*ſeqq.*vide Guttur.
*Anima.*150.vide Gratia interna.
*Anni ſpatio Linda reſtaurata.* 284.*ſeq.*
*S. Anſelmus primus Varmienſ. Epiſcopus Idola exſcindit.* 40
*Antiquitatum origo obſcura.*5.*quomodo eruenda?* 27.31
*S. Antonius Magnus hæreſin prædicit.* 166
*Apoſtolorum Magiſtra B.V.* 51.*ſeq.*
*Apoſtoli primi Pruſſiæ qui.* 35.40
*Apoſtolica ſedes Lindæ curam Societati addicit.* 358.*ſeq.*
*Apri ſunt hæretici.* 197.*ſeq.*vide Verres.
*Apum examina populi Lindæ imitantur.* 121.128.*ſeq.*
*Aqua Lindæ medicinalis.* 339.401.422.
*Arabiæ arbores venena pellunt.* 153
*Arbor vitæ B.V.* 27.48.50.153
*Arboribus variis B.V. aſſimilata.*65. *ſeq.*245. *amat Arbores*

res. 75. 81. 82. *Arbor aurea Maximiliani I. Imp.* 74. *Xerxis, Socratis, Themiſtoclis.* 104. *Nabuchodonoſoris.* 186. 245 *Reſurrectionis ſymbolum.* 184. 244. 245. *ſub qua B. V. quievit.* 75

*Arbores magnitudinis propè incredibilis.* 42. 43. *ſemper virentes.* 43. 44. 72. 73. *Hyeme miraculosè florentes.* 72. *ſeq. Inclinant ſe B. V. domui Lauretum venienti.* 74. *Cruci Chriſti.* 210. *obumbratrices veteribus quæ.* 104. 105. *Eccleſiæ calamitatem ut ſignificârint.* 184

*Arca fæderis B. V.* 11. *ſeq.* 25

*Area ſemper virens.* 74. *Lindenſis quomodo acquiſita.* 272. *ſeq. Repurgata.* 279. *ſeq.* 281.

*Arenſes curati.* 414

Paul. *Arbingus citatus.* 76

*Arnobius citatus.* 217

*Arrii pœna.* 217. 241. *hæreſis prædicta.* 157. *ſeq.* 184.

*Aſinus qualem Regem ſignificet.* 185

*Aſylum eſt Linda Fidei.* 145. *Spei.* 147. & *omnibus peccatoribus.* 150. *ſeq.*

*Aſpricollenſis B. V.* 78. 187

*Atargates quid.* 11

S. *Athanaſius citatus.* 217. 242

*Athan. Kircherus cit.* 11. 106

*Avaritia hæreticorum.* 175. 177

*Aurifodina qualis Linda.* 205

*Auſtriaca Domus pietate crevit.* 310

S. *Aug. citat.* 54. 58. 87. 112. 161. 162. 164. 173. 184. 260. 319. 322. 323. 334. 341.

*Azotii, Miniſtri hæreticorum.* 80. *ſeq.*

B. Bal-

# B.


Balga quæ & qualis arx. 41. 163

Baldumus Cabillavius citatus. 66. 68

Balsamum unde. 75. Venena tollit. 153

Cæs. Baronius citatus. 315

Barthonia Prussiæ Provincia. 403

S. Basilius Seleuciæ citatus. 54

Ven. Beda citatus. 12. 335

Io. Behm cit. 200. 247. 251

Bellifontana B. V. 79

Bellarminus citatus. 217

Bellum sacrum in Oriente. 57. seq.

Beneficia B. V. Lindens. plurima. 363. seq. 375. seq. 379. pleraque non adnotata. 371. ut notarentur, curat Varm. Episcopus. 371. seq. externa 139. seq. interna. 144. seq. 152. 375. 380. 383. 402. 404. quanti æstimanda. 375

S. Bernardus citatus. 24. 33. 63. 64. 69

Bern. Bauhausius citatus. 82

Bestiæ Deum & B. V. venerantur. 91. seqq. 97. seq. 154. 228. 234. gratæ in homines. 91. seq. in eas homines mutati. V. Metamorphosis.

S. Birgitta citata. 51. prædixit Theutonicis exitium. 166 seq. Brigitanarum Monast. Grodnæ. 411

Bisburgensium processiones Lindam. 127

Bisteinensium laus, & processiones Lindam. 126

Lud. Blosius citatus. 154

Bohuslaus Balbinus citatus. 61

Boleslaus Chobrus gloriosissimus Polonorum Rex Prussos Christo adiunxit. 36. seq. 45. eius ferrea columna in Prussia. 37




Digitized by Google

*Boleslaviensis B. V. imago.* 97
*Boccabolerìensis B. V. imago.* 89. 90
*Eberhard. Boticker citatus.* 100
*Oliv. Bonartius citatus.* 151
*Lud. Barbanius Fundator Ordinis à Carduo.* 148
*Bosphori Thracii amænitas.* 20
*Brandeburgica Domus defensa.* 182. 199. 208. *ad eam feudum Prussiæ ut venit,* 261. *seq. Lindam defendit.* 302. 303
*Breviarium Rom. citatum.* 72. *seq.*
*Brunsberga initiò sedes Episcopalis.* 40. *à Duce Prussiæ intercepta.* 199. *à Suecis* 349. *Brunsbergenses Lindæ adiuti.* 440. 443
*Brunsvicensis Imago B. V. miraculosa.* 88. 97

## C.

*Cadavera Templorum & civitatum.* 243
*Caducus morbus. V. Comitialis & Epilepsia.*
*Calamus aureus & argenteus.* 1
*Calcagninus citatus.* 68
*Calix aureus Pii II. Pont.* 62. *stanneus hæret.* 178
*Caminonsis Episcopatus in Prussia.* 37
*Campus Martius Lindæ.* 145. 224
*Capitis dolor curatus.* 419
*Capitulum Varmiens. ut æstimet soc.* 351. 360. 363
*Cardanus citatus.* 186
*Caritas Dei Lindæ augetur.* 149
*Carnalis spiritus hæreticorum.* 178
*Carnis vitia Lindæ extincta.* 381
*Castelli loco quercus.* 25
*Castor & Pollux hæreticorum.* 182

*Cathedra*

*Christoph.Castro citatus.* 51
*Cathedra pestilentiæ qua.* 345
*Catholica fides Lindæ regnat.* 133. 146. 203. *seq.* & *in Ducatu Prussiæ.* 219. *seq. à Prædicantibus variè & vanè impugnatur.* 220. *seq.*
*Caupona Lind. ius.* 28. *seq. quomodo ad Catholicos redierit.* 276. *seq.*
*Cera qualis Lindæ offeratur.* 107. *seq.* 132. *seq.*
*Cereorum Lindæ ablatorum pœna.* 235. 238. 342
*Chirotheca in patibulo.* 234
*Chorea Verbi divini.* 56. *seq.*
*Christburgensis arx spectris infestata.* 171. *seq.*
*Christiani cur dicti Cruciolæ.* 137
*S. Chrysostomus citatus.* 11. 14. 242. & *Chrysologus.* 345
*Mich. Ciaritius citatus.* 2. 82. 115. 142. *seq.* 181. *seq.* 209. 217. 238. 281. 293. 304. 312. 327. 328. 330. &c.
*Cibum è flamma petere quid.* 401
*Cicero citatus.* 24. 193
*Cithara Christus in Cruce.* 136
*Civitatum quarum annuæ processiones Lindæ.* 127. *seq.*
*Claudi in spiritu.* 318. *seq.* 321. *seq. Claudorum curatio Lindæ.* 141. 318. *seq.* 399
*Cæcorum curatio Lindæ.* 88. 311. *seq.* 318. 384. *seq.* 407. *etiam Acatholicorum.* 401. *seq. quorum aliqui cæcitate Lindæ percussi.* 236. *seq.*
*Cæcus Indica arbor.* 186
*Columba umbrâ arboris defensa.* 70. 71.
*Colicus morbus curatus.* 451
*Constantia Regina pro Linda labor.* 270
*Constantinopoleos situs.* 20
*Comitialis morbus unde dictus.* 324. *V. Epilepsia.*

*Ioann.Comneni Imp. triumphus.* 46
*Concilium Ephesinum citatum de B.V.* 50.*seq.*
*Contracti Lindæ curati.* 429.*seq.* 440
*Contraria contrariis illustrantur.* 8.15
*Confessiones generales Lindæ.* 152.*Confessio per alium facta.* *ibid.*
*Conopatii Episc. Varmiens. laus.* 299
*Adam Contzen citatus.* 213
*Balth. Corderius citatus.* 15. 321
*Cornelius Cornelii cit.* 24.92.103.151.205.343.
*Pet. Cottonus cit.* 55
*Crivve Crivvaxto Prutenorum qui.* 35.44
*Crucifixi effigies miraculosa Lindæ.* 369. *Crucifixus in cruce cithara* 136. *Crux à Iudæis & gentibus vexata.* 206
*S. Crucis templum Regiomonti* 175
*Cruciolæ Christiani unde dicti.* 137
*Crudelitas hæreticorum.* 211.*seq.* 214
*Cupressus arbor B.V. Imagine clara.* 80
*Cyngarus Lindæ illuminatus.* 317
*S. Cyrillus Alexand. citatus.* 15.46.318.341
*Cyrus Rex per Mulum in SS. expressus.* 185

## D.

*Dæmon oppugnat B.V.* 203.441. *plus per homines quàm per se nocet.* 438.*seq.* 444. *infirmus.* 223. *Myrmicaleon. ibid. Scorpius.* 335. *in Dæmonem mutat hæresis. ibid. à Dæmone obsessi Lindæ curati.* 432.*seq.*
*Dagon prædicantum Idolum.* 11.*seqq.*
*Daniel à Kunheim.* 113
*Dementia Lindæ curata.* 325

*Dentium dolor curatus Lindæ.* 412. *etiam in Acatholicis.* 413
*Deus ad benefaciendum effusus.* 51. *seq.* 309. *vi quasi impeditur à benefaciendo.* 53. *omnia per B. V. dispensat.* 62. *seq. per eandem allicit ad se.* 53. 69. *in ea honoranda certat contra Dæmonem.* 203. *Dei longanimitas.* 341. *seq.*
*Diana vera est B. V.* 180. 193. 202. *Ephesiæ templum.* 180. *seq.*
*Didymus citatus.* 322
*Draco umbrâ arboris fugatur.* 70
*Donaria B. V. Lindæ offerri solita.* 106. *seqq.*
*Duces Prussiæ Lindæ favent.* 302. *seqq.*
*Ducatus Prussiæ quo iure fundatus.* 250. 255. *quomodo à Rudnicio Ep. adiutus.* 256. *seq. in eo catholica Religio primas tenet.* 220. *seq.* 246. *seq. qui ad id nobilium adiuverint.* 248. *In eo templa restituta.* 249. *seq. à B. V. quasi de iure adiuvatur.* 403. *seq. V. Feudum, & Hæretici materiales.*
*Mich. Dzialincius in Lindam pius.* 298. 354. *seq.*

## E.

*Ecclesia catholica habet B. V. nutricem.* 56. *& Magistram.* 57. *seq. uti & particulares Ecclesiæ.* 54. *cur hæ intereant.* 56. *seq.* 168. *Occidentales duodecimo sæculo reflorescunt.* 64. *seq. Ecclesia in Prussia calamitas præsignata.* 183. *seq.*
*Ecclesia est Christi Tunica.* 158
*Eckersberg. v. Okartovv.*
*Eleëmosynis templa olim ædificata.* 100. *seqq.*
*Emprosthatoni qui.* 447

*Encania Ecclesiarum.* 291. *cur festum luminum.* 292. *seq.*
*Lindæ encania.* 192. *seq.*
*Energumeni Lindæ curati.* 432. *seq.*
*Enthusiastæ hæretici in Prussia.* 174
*Ephesinum concil. cit.* 50. *Diana.* 180. *seq.*
*Epilepsiæ nomina.* 324. *Lindæ curata.* 325. *seq.*
*Epileptici spiritu qui.* 325
*Episcopatus primi in Prussia.* 36. *seq. Episcopi qui primi ad Lutherum defecerunt.* 165. 177. 190. *seq.* 206. *qui Varmiensium in Lindam pietas.* 293. *seq.*
*Equus Lindam B. V. adorat.* 229. *Equi Lindæ curari & circumduci soliti.* 138
*Erici Brunsuic. Ducis Theutonici virtus.* 165
*Erostratus Lindensis quis.* 201
*S. Ernestus primus Pragin. Archiep. cit.* 52. 68
*Evagrius citatus.* 217
*Evangelium Prædicantum sanguinem sitit.* 211. *seq. Allio significatum.* 158. *seq. viles & agrestes reddit.* 170. *seq.* 172. *illius fructus.* 207. *seqq. retudit virtutem Evangelii Christi.* 172
*Eucharistia est sol.* 397
*Eusebius citatus.* 185. 206. 291
*Excidium Lindæ.* 156. *seq.* 173. *seq.* 196. *seq. prædictum.* 166. *à quo factum.* 196. *seq. cultui B. V. nil officit.* 205
*Exempla virtutum in ordine Theuton.* 162. *seq.* 167
*Exules fidei causâ è Dania.* 289. *seq.*

F.

*Familiaritatis laudabile exemplum.* 261. *seq.*
*Faucium morbi curati.* 339. *seq. V. Guttur.*

S. Felix

Digitized by Google

S. Felix Nolanus, quomodo olim cultus. 121. seq. 123. 137. Deus à S. Paulino dictus. 123. 137
Ferreum spiculum intra caput diu gestatum. 35
Festi dies non violandi. 385
Festuca oculo illapsa visum vitiat. ibid.
Feudum Prussiæ Ducatus collatum. 250. seq. translatum ad Marchiacos in bonum Cathol. 251. 262. quale in feudo & Ducatu regimen. 256.
Fidei Asylum Lindæ. 144. seq. 382. 399. Professio ibidem. 132. seq. 146. Catholicæ quæ motiva. 260. seq. etiam à beneficiis B. V. 318. seq. 322. 399. fidei causâ exules è Dania. 289. seq.
Filii alieni qui. 322.
Flagris cæsos Lindam adire cogitur. 116. Flagra & Allio. 167. seq.
Flores virtutum Lindæ. 150.
Formicæ Dæmones & Prædicantes. 223. seq.
Frid. Fornerius citatus. 5. 19. 60. 63. 216. 234
Forolíviensis B. V. statua unde. 88. 97. seq.
Fortitudo Christiana exercetur Lindæ. 132. seq. 143. seq. 223. seq.
S. Franciscus gratiam divinam ut æstimârit. 310
Frauenburgens. curati. 421. 449.
Friderici Berent laus. 230. seq. 253. filio sanitatem Lindæ impetrat. 230
Fulmen in Iulianũ hæreticorum Iconoclastarum parentem. 190
Furcæ Evangelii prædicantici fructus. 207. seq. 211. seq. 214. è furca suspensi Lindæ. 206
Fundamenta sacelli Lind. vetera. 285
Fundus Lindensis ægrè vendicatur. 273

## G.


*Gedani B. V. Templum magnificum.* 60. *ex eleëmoſynis per annos centum ædificatum.* 100. *Gedani furca in foro ab hæreticis poſita.* 210

*Geldriæ Dux in Pruſſiam peregrinatur.* 113

*Aul. Gellius citatus.* 92

*Geniculationes quid.* 133. *ſaxa ab iis excavata.* 135. *inde calloſa S. Iacobi genua.* 135.

*Genibus flex. orare quid ſignificet.* 134. *id uſitatum in Eccleſia Chriſti* 134. *ſeq. in itinere.* 395

*S. Germanus citatus.* 33

*S. Gertrudis de protectione B. V. Viſio.* 144. 233

*Gigantomachia apud Lindam.* 25. 301

*Gladium ut prædicantes appetant.* 211. *ſeq.*

*Godefridus Bullionius Rex Orientis.* 57

*Gozdziec morbus qualis.* 140

*Græca Eccleſia ex Menæis citata.* 12. 17. 25. 50. 52. *ſeq.* 61. *ſeq.* 64. 66. 105. 139. 151. 158. 196. 365. 380 383. *eius ruina unde.* 56. *ſeq.*

*Gratia divina ſummum bonum.* 144. 309. *ſeqq. Gratia curationum Lindæ.* 311. 375.

*Gratia interna animũ concernentes. ibid.* 144. *ſeq.* 404

*Gratitudo belluarum in homines.* 92. *hominum erga Deum quomodo expreſſa.* 375. *ſeq.*

*Simon Grunau hiſtoriæ Pruſſ. princeps cit.* 36. 38. 162. 191. 192.

*S. Gregorius cit.* 103. 132. 223. 306

*Guliel. Gumpenberg cit.* 81. 83. *ſeq.* 87. 92. 97. 196

*Gutturis morbi Lindæ ſanati.* 410. *ſeq.*

*Pet. Gyllius cit.* 20


Hære-

Digitized by Google

# H.

*Hæreseos diluvium*. 156. 159. 173. *prædicitur*. 166. *seq. Symbola*. 158. *eius ad ruinam inclinatio*. 306. *seq.* 309 344.

*Hæreticorum præsertim prædicantum in Lindam odia*. 5. 9. *seqq.* 14. 25. *seq.* 119. 211. *ab ea quidã mansuescunt*. 26. *& convertuntur*. 27. 383. *obstinati in hæresibus sunt agrestes*. 171. *Furiosi & crudeles*. 90. 167. *seq.* 175. 190. *seq.* 193. 211. *seq. præ invidia tabescunt*. 13. *seq.* 14. *Odio ardent*. 117. 145. 220. 250. *sunt extra filiorum Dei sortẽ*. 206. *puniuntur à Deo*. 217. *seq. comparantur belluis*. 169. 192. *seq. sunt muli Verres V. suis locis. in Ducatu Prußiæ fere tantum materiales*. 210. 224. 221. 404. *Nicodemi*. 225. *Lindam etiam prohibiti frequentant*. 225. *seq. experiuntur B. V. faventem*. 314. *seq.* 321. *seq.* 329. 403. *seq.* 425. *seq.* 437. 456. *seqq.*

*Hallensis AEdes B. V.* 56. *seqq.*

*Harpyiæ sunt Prædicantes*. 176. *seq.*

*Heslacense Templum bestiæ non accedunt*. 234

*Heidek Apostata templorum expilator*. 177. *seq. alter eiusdem nominis*. 200

*Heyligenbeil olim Suentomest dictum*. 40

*Heilsbergenses curati Lindæ*. 412. 420. 428. 448. 455. *eorum processiones*. 144. *pestis*. *ibid. &* 331. *Sim. Hein citatus*. 334. 381. 388. 449. *Resselii primus sedem figit*. 349. *moritur ibidem*. 382

*Hellespontus quid*. 20

*Casp. Henneberg. citatus*. 10. 23. 36. *bis*. 46. 48. 113. 120. 146. 163. 167. 190. 208. 210. 222.

*Henricus Hindebergius Canon. Varm.* 227. 252. *Linda cultum ut agnovit.* 228. *seq.*
*Herculeus morbus unde dictus.* 324. 328
*Herodotus citatus.* 71. *seq.* 103
*Homicida Lindæ quid viderit.* 157. *à pagano cur defensus.* 162
*Homines Dei liberalitatem impediunt.* 53. *seq. in belluas mutantur.* 160. 168. *gramine victitantes.* 164
*S. Hildeberti penna aurea.* 1
*Historiæ Lindens. scribendæ causa.* 2. *ratio.* 5
*Horror sacer adium sacratum.* 16. 152. *seq.*
*Hortus Iovis.* 150

## I.

*S. Iacobi frons & genua callosa unde.* 135
*Iconoclastarum furor.* 191. *Hæresis à Iudæis & Turcis.* 188. *seq. pœna, fulmen.* 190
*Idola Prutenorum veterum.* 37. *seqq.*
*Idololatria procul est à cultu Sanctorum.* 198. *seq.*
*Ieiunio iuncto cum armis Teutonicis conversi sunt Pruteni* 164
*Iericho quodammodo Linda expugnata.* 133. 237
*S. Ildephonsus B. V. carus.* 186. *citatus.* 103
*Imago B. V. Lindens. qualis & unde?* 81. *seq. in Arbore inventa Lindæ religionem addit.* 76. *seqq. splendore lucis se prodit.* 88. *qualis nunc sit.* 287. *seq. Imagines B. V. triumphant.* 46. *pleraque arte rudes.* 83. *loci tamen religionem augent.* 77. 81. *in arboribus reperta.* 81. *Aliò translatæ ad priores sedes remigrant.* 88. 94. 97. *Lindensis impietatem*

*pietatem hæreticorum experta.* 188. 195. *quæ spes ea.* 195
*Imago Crucifixi miraculosa Laureti.* 97. *& Lindæ.* 369. *seq. ex Imaginibus focus structus.* 192
*Immunitati Eccles. Linda adscripta.* 295
*Impudentia summa Prædicantum.* 15. 202
*Imperium Rom. ad Austriacos translatum.* 310
*Incendia per B. V. Lindens. extincta.* 124. 128
*Indoles Prædicantum hæreticorū qualis.* 110. 189. 207. 213. *seq.* 241.
*And. Ingievicius citatus.* 214.
*Ingrati Mulis comparantur.* 185. *puniti.* 445. *seq.*
*Ioann. Alberti Principis pietas in Lindam.* 296. *seq.* 354. *Resselii societatem Iesu collocat.* 351. 356
*Ioann. Casimirus Rex Lindam visit.* 118. *societatem Iesu Resselii fundat.* 356
*Ioann. Sigismundus Elector Brandeb. an Catholicus mortuus.* 262. *seq.*
*Ioannes Abbas, uti & Ioanna Lotharinga arbores miraculosas experti.* 72. *seq.*
*Ioann. Ep. Varmiens. idolorum eversor.* 41. *seq.* 45
*Iosephus Iudæus citatus.* 292
*Iudæi Prædicantum Patriarchæ.* 189. 207
*Iudæ Iscarioti similes qui.* 241
*Iulianus Apostata prædicantum pater.* 189
*Iupiter quid Platoni.* 150
*Ius fundi Lindens.* 28. *seq. Catholicorum in Ducatu Prussiæ.* 220. 246. *seq.*
*Iusti Lipsii Calamus.* 1

K

*Koltun quid morbi Polonis.* 140.

*Locus*

# L.

*Locus maiores bis mille triginta septem in Prußia.* 49
*Ioann.Lamshofft dona Lindæ.* 109
*Lauretana B. V. domus, quando & cur in Occidentem translata.* 59. *seq. Arbores illi inclinatæ.* 73. *verè florida dicta.* 76. *unde illi religio.* 78. *est Ecclesiæ nutrix.* 54. 59. 62.
*Laur. Schultz.* 235. 346
*S. Leo citatus.* 334.
*S. Ioann. Leo citatus.* 161. 177. 191
*Leo Isaurus Iconoclastes.* 189
*Leo qualis diabolus.* 224. *Leonem Tilia domat.* 67. 224
*Leopardus Allio fugatur.* 168
*Lescinii Episc. Varm. in B. V. Lind. pietas.* 300. *seq.* 371 *seq.*
*Liberalitas Dei in nos quanta.* 53. *seq.* 309. *seq.*
*S. Liberata Lipsana introducta Lindam.* 365
*Lignum incarnatum.* 315
*Lilium est B. V.* 343
*Limites inter Varmiam & Ducatum constituti.* 227. 261
*Linda primordia obscura.* 4. 8. 27. *seq.* 82. *seq. situs & amanitas.* 16. *seq.* 22. *seq. viriditas perennis.* 74. *seq. Ius quale.* 29. 220. *seq.* 295. 300. *seq. Limitibus Prussiæ insidet, & cur.* 22. 24. *seq. Limitum eius invasores multati.* 22. *seq. uti & eversores.* 216. *seq. & contemptores.* 232. 236. 239. *Excidium Lindæ.* 156 *seq. à quo.* 197. 209. 216. *quæ ibi excisa.* 179. *excisa & deserta magis floret.* 196. 220. 223. 205. *è loci squalore hominum squalor.* 244. *seq. Restitutio cui maxime debeatur.* 246. 254. 265. 293. 273. *restituta restorescit.*

*scit*. 303. *à peste libera*. 142. *quomodo similis B. V. Lauretanæ*. 18. 49. *Bellifontana*. 19. *Weyerensi* 19. *Haslacensi* 235. *Damascenæ*. 315. *Bosphoro Thracio*. 20. *Campo Martio*. 145. *Religio eius perpetua*. 77. 86. *prima à B. V. Imagine*. 76. *dein etiam sine Imagine*. 202. *seq. primum illius miraculum*. 87. 312. *alia innumera, & quotidiana*. 363. *vide Beneficia & Gratia. est Cynosura*. 6. 157. *Aurora*. 6. *Luna*. 8. *sol*. 8. *Paradisus*. 27. 150. *Pharus*. 21. 292. 382. *Hortus mentis*. 150. *seq. Arca fœderis triumphans*. 10. *seq*. 25. *Tropæum de Idololatria*. 39. *seq*. 46. 70. *potentia divinæ officina*. 64. *seq. Samaritani Evangelici diversorium*. 33. *Quietis & refocillationis locus*. 33. 75. *Medium seu Vmbilicus terræ*. 23. *seq. Pœnitentium asylum*. 150. *seq. Lindæ curati, qui alibi non profecerant*. 390. *Hæreticis est odio*. 8. *seq*. 40. *Possessores Lindæ antiqui*. 28. *seq. recentes* 348

*Iust. Lipsius cit.* 16. 59. 92. 94. 139. 187

*Litera Regia in causa Lindens.* 266. 268. *seq.* 274

*Lituani ad B. V. Lindens. peregrini.* 130. *curati*. 390. *seq.* 410. 452.

*Livius citatus.* 24.

*Loca certa cultui suo Deus deligit & beneficiis*. 53. 62. 183. 187. 245. *eorum Religio ab Imaginibus*. 77. *seq. quæ in Prussia peregrinationibus celebria*. 112. *quæ in Ducatu Prussiæ olim.* 112. *seq.*

*Lubaviensis Episcopatus in Prussia fundatio.* 37

*Lucernæ Aristophanis & Cleanthis.* 2

*Ludovici Theutonici laus.* 162. *seq.*

*Luminum festum Encania.* 292

*Lunatici qui*. 324. 329. *qui in spiritu tales.* 324

Lupi.

*Lupi quomódo abigendi.* 124
*Lutherus citatus.* 308. *sanguinarius.* 212. *Theutonicos pervertit.* 160. *id ante significatum.* 170. *seq.*
*Lutheranismi inclinatio ad ruinam in Prußia.* 307

M.

*Macellum è Templo ab hæreticis factum.* 176
*Magnetis virtus Allio retunditur.* 158
*Magnevi arbor Indica qualis.* 68
*Sim. Maiolus citatus.* 102
*Maleficia Lindæ per B.V. depulsa.* 332.438. *seq.*
*Malus Arbor.* 344
*Mammon Prædicantum Deus.* 175. 177
*Manibus extensis orare quid significet?* 135. *seq.*
*Manica B.V. est Forolivii.* 85
*Mansus quid.* 22
*Maria Aurora, sol, Luna.* 6. *seq.* 46. 69. *Prußiam ad Christum convertit.* 6. 34 38. 47. *seq. V. Linda. Orbis restauratrix & illuminatrix.* 45. *seq.* 57. 59. 153. *Apostolorum & Ecclesiæ magistra.* 58. *cur in terris tam diu relicta.* 52. *per eam Deus homines allicit.* 53. 59. 69. 87. 404. *sine Iesu cogitari vix potest.* 82. *seq. ipsa sibi illum appingi iubet.* 82. *Honoratur ut Mater à Deo.* 332. *seq. imperat sibi Templa struitui.* 87. *seq. Hæreseon victrix.* 309. 344. *Hostibus benefacit.* 403. *etiam hæreticis, præsertim Lindæ.* 403. *seq. summa eiusdem potentia.* 62. *seq.* 379. *& caritas in homines.* 63. *seq.* 87. 403. 404. *umbra.* 102. *seq.* 146. *Refugium est peccatorum.* 154. *seq.* 225. *seq. Fons aquæ vivæ.* 17. 48. *Aquæductus.* 63. *seq. Arbor Paradisi.* 27. 414. *per Arbores figurata.* 65. *Lilium inter spinas.* 344. *Sphæ-*

344. Sphara calestis. 54. Mare. 69. Hortus. 150. seq. quomodo Mediatrix & Lapis angularis. 26. Rubus incombustus. 71. amat Arbores. 81. seq. Odio est Satana. 8. 13. 203. & cur ministris. 8. eius sacra AEdes in Occidente quando florere caperunt. 59. seq. 87. Dua in Prussia. 61

S. Maria Magdal. Templum Regiomonti. 174

Masovii in B. V. Lind. pii. 130. seq. ab eadem curati. 422. 447.

Matris Dei dignitas. 232

S. Maternus Tungris B. V. Imaginem ponit. 97.

Maximiliani I. Imp. arbor aurea. 74.

Medicina à B. V. 139. 144. seq. 153. etiam hareticis. 314. vide Haretici.

Medium terra quomodo B. V. Linda. 23. 50. 186

Franc. Mendoza citatus. 8

Mentis hortus. 150.

Metamorphosis Tritici in Allium. 169. Theutonicorum. 160. 168. in Damones. 165. seq. Mulieris in equam. 194. seq.

S. Methodius cit. 229

Miecislaus Pol. Rex fidem in Prussia plantat. 37

Miles ut confessus. 381. ad fidem iuvat. 163

Minis B. V. interdum utitur. 233.

Ministri hareticorum quales. 9. seq. 240. V. Pradicant.

Calest. Mislenta Pradicans furiosus. 9. 13. seq. 112. seq. 211. 220. 222. 306. seq. Fabulator. 36. 181. 198. 211. 306. citatus. 174. 190. 252.

Monachi. V. Religiosi.

Monasteria ab hareticis in Prussia ut tractata. 176. seqq. in Monte Serrato Imago B. V. 93

Monetaria

*Monetaria officina ex templo.* 174. *ſeq.*
*Morbus Poloniæ proprius.* 140. 423
*Morbi in ſpiritu.* 318. *ſeq.* 321. 324
*Moribundi per B V. Lind. reſtituti* 231. 335. *ſeqq.* 408. *&*
*mortuus.* 315
*Mulhuſenſe Templum unde hæreticis ſacrum.* 113
*Mulier in equam verſa.* 146
*Mulis qui ſignificantur.* 166. *ſeq.* 185
*Mundus univerſus Mariam refert.* 68. *ſeq.*
*Murus peccatorum Lindæ diſiicitur.* 25
*Myrrha pœnitentiæ ſymbolum.* 151. *ſeq.*

## N.

*Nabuchodonoſoris viſiones* 186
*Pet. de Natalibus citatus.* 72
*Natarea villa in AEgypto unde memoranda.* 76
*Nazareth florida.* 76
*S. Nazianzenus cit.* 190
*Negligentia in reddendis votis caſtigata.* 319. *ſeq.* 415. 445.
*Neſtorius hæreſiarcha à Deo punitus.* 217
*Nicephorus citatus.* 80. 222
*Nicetas Chon.* 49
*Nicodemi Lindenſes qui.* 223. *ſeq.*
*Nicopææ B. V. Imago.* 46
*Nili origo.* 4
*S. Greg. Nyſſenus cit.* 135
*Novoforenſis B. V. Imago.* 87
*Nox peccatorum.* 7
*Nundinæ Riſemburgenſium Iconoclaſtarum.* 191. *ſeq.*
*Nuntius Apoſt. Lindæ donationem confirmat.* 358. *ſeq.*

Oculi

# O.

*Oculi animi Lindæ illuminati.* 380.399. 404. *& Corporis.* 422. *V. Cæcitas depulsa.*
*Odia Prædicantum in Catholicos.* 214. *seq. in B. V. Lindens.* 306. *ipsorum inter se.* 212. *seq.*
*Okartovvo opidum quondam quo celebre.* 414
*Olaus Magnus citatus.* 73.104
*Opera bona & occultanda & propalanda.* 132
*Orandi ritus varii.* 135. *seq. orando citharâ canere.* 136.
*Orientalis Ecclesia cur & quomodo corruit.* 156. *seq.*
*Opisthotoni qui.* 447
*Ordo Equitum B. M. à Carduo.* 148
*Ordo Theutonicorum. V. Theut. &c.* 159. *seq.*
*Origenes citatus.* 318
*Otto à Gröben Lindæ possessor.* 255. *seq. adversatur restituendæ Catholicis Lindæ.* 256. *seq.* 264. *seq. effugia ut quæsierit.* 265. *seq. regiâ authoritate quasi obruitur.* 268. 276. *ad Cathol. Ecclesiam accedit.* 257. *laudatur à zelo.* 258. *seq. & ab aliis.* 225. 271. 275.

# P.

*Pagi præsertim Lindæ viciniores quando processiones annuas obeant.* 128. *seq.*
*Palestina quando à Christianis amissa.* 57 *seq.*
*Palma Indica arbor.* 66.
*Panacæa Mariana Lindæ.* 139. 150. 153. 335. 424. 431. *seq.*



Digitized by Google

*Paradiso comparatur Linda.* 414. *& Prußia.* 49
*Pastores Imaginum B.V. inventores.* 88 91. 93
*Patavina B. V. Imago quomodo probata.* 87
*Patibulum Lindæ. v. Furca.*
*Pavimentum vetus Lindæ repertum.* 283
*S. Paulinus citatus.* 121. *seqq.* 157. 287
*Peccata, quæ Ecclesiam evertant.* 56. *pœnam accelerant.* 341. *seq. Peccati nox.* 7. *Lindæ d'spellitur.* 380. *peccatores à B. V. Lindæ admißi.* 153. *Vi eò compulsi.* 116. *ad promovendum B. V. cultum assumuntur.* 82. *seq.* 86.
*Pecora Imagines B.V. venerantur.* 88. 92. *etiam Lindæ.* 91. *offeruntur ibidem.* 137. 225. *erga homines grata.* 92
*Peregrinationes in Ecclesia semper usitatæ.* 111. *in Prußia solennes.* 112. *Ierosolymitanæ.* 111. *Lindenses.* 9. 110. 115. 119.
*Perkunus & alia Prutenorum Idola.* 40. 44
*Persecutionibus magis excitatur Lindæ pietas erga B. V.* 219. *seq.* 223. *seq.*
*Pestis.* 125. 128. 142. 330.
*S. Petrus M. hæresin Arrii prædicit.* 167. *seq.*
*Pharaones qui apud Lindam.* 205
*Pharus Lindæ.* 21. 293. 382
*Philo Iud. citatus.* 56. 86
*Phrenesis curatur Lindæ, v. Dementia.*
*Pirus arbor mira.* 72
*Piscator Lind. punitus.* 235. *seq.*
*Planta asbestos.* 71. *seq.*
*Platanus Xerxis & Socratis & Themistoclis.* 104. *semper virens.* 72
*Plato cit.* 150

*Plica*

96. præfectus Rastemburgens. Lindam evertit. 201. seq. 209. patibulum ibidem suo malo erigit, 209
Refugium peccatorum B. V. Lindæ. 151. 154. seq.
Reges Poloniæ Lindam vindicant. 265. adiuvat tota regia domus. 280. 295. 302. 357. Regis Poloniæ votum Lindam. 128
Regina Protmannia virginum conventualium in Prussia fundatrix. 326
Regiomonti templum Catholicum erectum. 249. 263. ibidem Bellum inter Prædicantes. 308 V. Templa.
Regnum Dei de gente in gentem transfertur. 56. seq.
Religiosi si pervertantur, sunt omnium pessimi. 161. ab hæreticis in Prussia vexati & pulsi. 191.
Reliquiæ Sanctorum excitant religionem. 77. seq. Lindam introducta. 365. seq. prædicantum quales. 113
Renovalia quæ festa Lindæ. 292. seq.
Resselienses Lindæ restaurationem adiuvant. 288. seq. B. V. Lindens. piè colunt. 97. 125. quaternas processiones Lindam quotannis instituunt. 124. curantur ibidem. 430. Resselii Societas Iesu diu expetita. 288. 347. in deserto ibi Monasterio collocata. ibid. fundata. 356. est B. V. Lindensis alumna. 383.
Resurrectionis symbolum arbor. 184. 244
Rhedanus citatus. 292
Richardus à S. Laurentio citatus. 26. 105
Rikaioth seu Romovre Idolorum sedes. 37. seq.
Risenburgum Iconoclastarum theatrum. 191
Ritus varii B. V. colendi. 131. seq. 137. seq.
Rodulphus cit. 318
Rogationum dies à quo inchoati. 124.



Digitized by Google

*Romaniolæ Imago miraculosa quomodo reperta.* 87
*in Rubo Imago B. V.* 97. *seq.*
*Sim. Rudnicius Episc. Varm. laudatus.* 246. 261. *pro Linda restauranda maximè laborat.* 248. 277. *feliciter restaurat per Sadorscium.* 280. 284. 367. *limites Lindæ & Episcopatus constituit.* 228. *frequens eò peregrinatur.* 293. *fratri salutem ibi impetrat.* 337. *quibus comparandus.* 246. *seq.* 292
*Ruffinus citatus.* 206. *& Rupertus.* 50. 134. 151. 232. 343.
*Rustici Imaginum B. V. repertores.* 101. *seq. eorum in vetere Ecclesia pietas.* 136. *seq.*

## S.

*Sacellum Lindens. à quo, & quando ædificatum.* 98. *figura & magnitudo illius.* 102. *dirutum.* 180. *seq. restauratum.* 280. 184
*Sacerdotes, qui Lindæ curam habuerunt.* 32. *seq.*
*Sacrificia gentilium Prutenorum quæ.* 43. *seq.*
*Sacrilegia gravißimè punita.* 228. *seq.* 242.
*Salfeldia Iconoclastarum theatrum.* 191. *seq.*
*Salvianus citatus.* 53
*Sambienses Pruteni quomodo conversi.* 163
*Sancti curant morbos.* 122. *seq.* 137. *seq. in vet. Test. invocati.* 116. 129. *qui in Prußia olim culti.* 112.
*Sanguinaria semper est hæresis.* 41. 208. *seq.*
*Sanitatum gratia Lindæ.* 139
*Saul quare gravißimè punitus.* 236
*Saxa geniculando excavata.* 135. *Saxum unum pro tecto*

*Templi,*

*Plica Polonica quid morbi.* 140 423
*Plinius cit.* 67.76.106.306
*Pœnitentium asylum Lindæ.* 33. *seq.* 151. *Pœnitentiæ indicia.* 131. 150. *seq.*
*Georg. Polentz Apostata.* 165. *seq.*
*Politici pravi.* 319
*Poloniæ morbus singularis.* 140
*Pomesaniensis Episcopus Apostata.* 177.190.200
*Populus honorificatus sunt Catholici.* 244
*Porcis qui significati.* 197. *seq.*
*Portenta de futuris in Prussia hæresibus.* 166 *seq.*
*Potollo Idoli.* 40.47
*Prædicantes hæreticorum fatuè gloriantur.* 113. 169. 220. *seq. Myrmicaleontes.* 223. *seq. divinitus puniti.* 240. *ut Arrio & Iudæ similes.* 241. *eorum indoles qualis.* 176.206.240. *Allio pasti.* 168. *seq. spurci.* 240. *eorum odium in B. V. Lind. & furor.* 5.8.13.26.220. 345.425. *seq. Vires nullæ.* 147.294. *vis in plebem innoxiam.* 221.226. *Furor.* 191.206. *seq. Bellum Regiomontanum.* 308
*Præsentationis B. V. festum Lindæ salutare.* 281
*Preces armatæ in causa Lindæ.* 268.270
*Pridexion arbor Indica.* 70
*Privilegium antiquum Lindens.* 28
*Processiones ut differant à peregrinationibus.* 118. *seq. Lindæ quales.* 119. *seq.* 132. *seq.* 157. *quales olim Regiomonti.* 120. *Angelorum processio Lindæ.* 156.
*Proles à B. V. impetrata.*
*Prophetia de hæresibus.* 166. *seq.*
*Propontis quid.* 20
*S. Prosper cit.* 134

*Providentia divina signi.* 47. 51. 86. 166
*Prudentius citatus.* 441
*Prußia medium in Europa locum habet.* 24. 49. *quando ad Christum conversa.* 34. 47. *per quos.* 35. 36. 145. 161. *seq. ut Palestinæ similis.* 49. *per B. V. Lindens. illustrata.* 6. *seq.* 35. 39. 60. *seq. quomodo à fide perversa.* 158. *hæresibus vexata.* 173. *per Rudnicium Episcopum adiuta.* 246. *V. Ducatus Prußiæ, per Tiliam ut exprimatur B. V.* 70. *duas præcipuas B. V. AEdes habet.* 60. 243. *& aliorum Sanct.* 112.
*Pruteni gentilium obstinatißimi.* 34. 39. 162
*Purgatorium.* 261. 345. *seq.*
*Eryc. Puteanus cit.* 19. 62.
*Pythonissa verum fateri coacta.* 334

## Q.

*Quaternarius numerus.* 87
*Quercus Româ antiquior.* 76. *mira magnitudinis.* 40. *seq. quadam in Prußia semper viret.* 71. *Idolorum sedes.* 40. 93. *propugnaculi instar.* 45. *in quercubus B. V. Imagines.* 81. *seq.*

## R.

*Radices Lindæ Marianæ in cœlo.* 183. 187. 244
*Nic. Radivilus princeps citatus.* 75
*Rastemburgum quando & quare conditum.* 32. *aliud quodammodo Linda.* 33. *à quo ibi Imago B. V. Lindens. sculpta.* 81. *eò ter traducta.* 94. *Rastemburgenses ut olim pii.* 94. *seq. cum Resselienßibus de pietate certant.* 96. *præ-*

*Tabulatum Lindens. affabrè factum.* 287

*Tarentina B. V.* 85

*Tectum Templi mirum.* 102. *Lindense.* 286

*Templa ab hæreticis in Prussia profanata vel expilata.* 177. *in officinas vel macella Regiomonti conversa.* 120. 174. 177. *in stabula.* 174. *Ierosolymitanum Ecclesiæ Prutenicæ figura.* 182. *Templi dedicatio.* 291

*Tertullianus citatus.* 9. 15. 104. 133

*Thamuz sive Adonis.* 206

*Theodoretus citatus.* 11. *& Theophrastus.* 72

*S. Theresiæ arbor refloruit.* 73

*Theca insula planta asbestos.* 72

*Theutonici Ordinis milites laudati.* 58. 156. 164. 166. *seq. Prussiam convertunt.* 6. 34. 80. 149. 152. *Lindæ Iura confirmant.* 28. *perverteruntur.* 7. *plerique in hæresim lapsi.* 158. *seq. prædictus eorum interitus.* 167. *seq. præclara quorundam exempla.* 162. *sacerdotes eius Ordinis Lindæ curam habent.* 29

*Ioann. à Tieffen Mag. Ord. Theut.* 28

*Tilia Lindensis Tropæum de Idololatria.* 39 47. *quæ in ea consideranda.* 66. 69. 282. *quomodo B. V. referat.* 66. *umbra illius.* 70. 139. *viriditas perpetua.* 71. *mellifera.* 11. 198. *triumphat de Idolis.* 70. *tecti vicem obit in sacello.* 71. *ab Imagine B. V. inclaruit.* 76. *seq. excisa cum sacello.* 183. *radices habet in cœlo.* 183, 245. *Tiliarum aliarum mira.* 72

*SS. Trinitatis simius est Damon.* 43 *seq.*

*Gul. Tyrius citatus.* 157. 170. *Toletana Imago B. V.* 196.

*Triumphat B. V. de hæresi.* 11 14. 49. 71

*Triumphi Christiani idæa.* 45



Digitized by Google

*Thom. Treterus citatus.* 190. *seq.* & *S. Thom.* 309
*Tropæa Lindæ de Idolis & hæresi.* 35. 71. 369.
*Tungrensis B. V. Imago, & Turcanensis.* 97
*Hor. Tursellinus citatus.* 18. 59. 62. 73. 76. 97. 3 2
*Tyrannis prædicantum.* 219. *seq.*

## V.

*Vaidoleti sacrificuli gentilium Prutenorum.* 44
*Vandalorum persecutio per Arborem signata.* 184
*Varmia medio Prussiæ loco sita.* 23. *Asciæ vel mandibulæ formam præfert.* 2. *quàm illi utilis & necessaria Soc. Iesu.* 351. 360. 361 *Varmiensis Episcopus primus Anselmus.* 40. & *ille & alii Idola extirpant. ibid. Lindam promovent.* 293. *seq.* 300. 363. *Varm. Capitulum Lindæ & societati favet.* 360
*Vartembergensium processiones.* 127. *curationes.* 412
*Vartensis B. V.* 61
*Venena quò pellenda.* 154. *vide Maleficia.*
*Venter Deus prædicantum.* 120
*Verres sunt prædicantes.* 193. 197. 201
*Victor Vticens. citatus.* 184
*Videvvtus Prutenorum Rex & Idolum.* 42. 163
*Vindicta divina non semper differtur.* 217. 341. *in eversores Lindæ.* 217. *in contemptores eiusdem levior.* 232. *gravior.* 236. 341
*Vipera sine veneno.* 154
*Virgilius cit.* 160
*Virginitas Lindæ reflorescit.* 149
*Virginum conventualium apud Varmiam colonia, initia & institutum.* 326. 327
*Viriditas perpetua Tiliæ Lindens.* 68. 70. *florentem Prussiæ sta-*

templi, imò pro toto templo. 102
Scomandris Prutenorum Dux prudens. 162
Scorpiacon ex Damone. 334
Seculum duodecimum quàm singulare. 58
Securis sacra qua, & ubi. 40
Seeburgenses curati. 406. 455. eorundem processiones annua Lindam. 127
Semen, è quo Arbor S. Crucis nata. 209
Sepulturâ indigni Iconoclastæ. 190. in sepulchra sævitum. 228.
Serpens sacrificio cultus. 44. seq.
Siccitas per B.V. abacta. 125.
Sidonius citatus. 124
Sigismundus III. Rex Lindā vindicat. 265. 267. 273. seq. 301. Resselium mittit Soc. Iesu. 351. quam ibi eius filii promovent & fundant. 356
Silvaducensis B. V. Imago quando inclaruit. 6. unde, & quâ causâ! 78
Simonis Oniæ laus. 246. seq.
Simon magus à Deo punitus. 217
Simplicitas. 136. subrustica. 152
Societas Iesu Brunsbergâ ab hæreticis pulsa. 351. id vastitatem adfert Varmiæ. ibid. idcirco repetita. 352. Linda diu antè desiderata. 288. 347. laborat apud Lindam. 371. est alumna B. V. Lindensis. 383. commendata à Cap. Varmiens. v. Capitulum.
Solea ferrea portentosa. 146
Soliditas corporum à quaternario. 58
Sozomenus cit. 206
Spectra nocturna. 43. Christburgensis avis. 171
Spei symbolum. 148. Asylum Lindæ. ibid.

*Spiculum ferreum è capite excidens.* 35.114
*Spiritus S. templum in Macellum conversum à Lutheranis.* 176
*Spiritu lunatici qui.* 324
*Sponsarum umbra.* 103
*Spumare spiritualiter quid.* 324
*Stemmata Lindensi sacello appicta.* 285
*Stephani Sadorscii laus.* 303. 347. *Lindam ab hæreticis vindicat.* 255. 268. 276. *eandem restaurat.* 279. *ornat.* 285. *seq.* 369. *tutelæ Regum Poloniæ transscribit.* 301. *seq. societati semper addictus.* 347. 351. *seq.*
*Statua B. V. argentea à quo curata.* 107. *seq. alia ab aliis. ibid. Crucifixi rudes sed miraculosi.* 369
*Studiosorum Resselienss. processiones Lindam.* 130
*Ioann. Sturmius cit.* 212
*Succinum nigrum portentosum.* 169. *è succino medicina.* ibid.
*Sudini Prutenorum pertinacissimi.* 162. *seq.*
*S. Suitbertus Prussiæ Apostolus.* 35
*Supplicium V. vindicta.*
*Surdi Lindæ curati.* 416. *seq.*
*Suspendio ob Lindæ religionem qui puniti.* 211. *vicissim in Gallia Eversoris Lindensis filius suspensus.* 218.
*Symmachus citatus.* 197
*S. Symphoriani Reliquiæ Lindæ.* 365
*Nic. Szysiovski Ep. Varm. in B. V. Lindens. pietas.* 298. *in Ecclesiam & Soc. Iesu liberalitas.* ibid.

# T

*Tabellæ votivæ quales Lindæ.* 141

ſic ſtatum indicabat. 74
Virtus & in hoſte laudanda. 163. quæ apud Lindam divinitus concedi ſolita. 145. 149. 151
Vita hominum diverſa. 134. à B. V reſtituitur. 315. 335
Viterbienſis B. V. Imago. 83
Vitis ſymbolum virginitatis. 149. Imaginem B. V. ambit. 83. ubi ſemper virides. 72. 149
ex Vkraina decem nobiles matronæ Lind. 115.
Vladislaus Rex Pol. pro Linda laborat. 268. 275.
Vmbilicus terræ ubi. 23 ſeq.
Vmbra arboru fugat Draconem. 70. umbra Tiliæ Marianæ. 71. 102. 105. 153. Variarum arborum. 103. ſeq.
Voluntas hominis quàm libera. 438 ſeq.
Vormditenſes curati. 407. 429. 433. 450. 456.
Vota qui negligunt divinitus puniti. 319. ſeq. Vota prædicantum qualia. 212. ſeq.
Vpſaliæ arbor ſemper virens. 73. 104
Vrbanus VIII. donationem Lindæ confirmat. 362
Vrſiductor Lindæ oculos accipit. 398. ſeq.
Sim. Wagnereck citatus. 109.
Weierenſis B. V. 60
Wickleſiſtæ in Pruſſia. 174
Xenaias Iconoclaſtarum parens. 188
Iac. Zadzik Lindam promovet. 270. ſeq.
Ioann. Zimiſces Imper. B. V. cultor. 46
Otto Zilius citatus. 60
Zonaras citatus. 46
Zyrovicenſis B. V. Imago. 79


Ad majorem Dei gloriam & B. V. Honorem.

3.16

[illegible]

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitiz[illegible] Google

Digitized by Google